



**H. Zanchii, De religione Christiana fides: : quam nunc demùm,  
annum agens Lxx, suo suaeq[ue] familiae nomine, in lucem  
edendam curauit ad Vlyssem Martinengum, Comitem  
Barchensem, & Patricium Venetum.**

<https://hdl.handle.net/1874/423576>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>**

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>**

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E. qu.  
127



Yannick  
Fidèle






127  
nogha


U<sup>t</sup> vocuerbo & compunctione mūcūtū  
censos in huius mundi desideris. in  
ne restringat. U<sup>t</sup> minus potentū rāto  
e mitage. U<sup>t</sup> oppressorū angustias  
pūalet ope leue. U<sup>t</sup> fors resistētibus.  
patientiā. U<sup>t</sup> int̄ superbi entibz. ex/  
cū patientia di sciplinā. Ut erga errata  
q. sic mansuetudo zelū temperet. qua  
ustitiae studio non eneruet. Sic adiutio[n]ē  
rueat. nemamen pietatis lūmitē feruendo  
dat. Ut ingratos. beneficis adamore  
Vrgatos quosq[ue] ministeris in amore  
U<sup>t</sup> proximorū mala cū corrigerē non ualeat.  
U<sup>t</sup> quecumq[ue] corriḡ loquendo possunt.  
concessū esse p̄imescat. Ut sicei que  
sleret. nemamen in animo unde doloris oc  
Vt sic maluolis munus benignitatis ex  
nemumen p̄gramā aut̄ recentudinis ex

Theologia

Quarto n°. 127.







N 23. B.

I

*qec*

H. ZANCHII,  
DE  
RELIGIONE  
CHRISTIANA  
FIDES:

*Quam nunc demum, annum agens LXX, suo  
suęq; familia nomine, in lucem eden-  
dam, curauit*

*Ex domo Barchelli.*

AD

VLYSSEM MARTINENGVM,  
Comitem Barchensem, & Patricium  
Venetum.

1585

*Rom. 10.*

Corde creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad  
salutem.

Omnia iudicio Ecclesie verè Catholicæ subdita sunt.



NEOSTADII PALATINORVM.  
*Excudebat Matthaus Harnisch.*

1585



И МОИ СЫН  
И МОИ СЫН

V L Y S S I M A R -  
T I N E N G O ,  
C O M I T I B A R C H E N S I ,  
H . Z A N C H I V S ,  
gratiam & pacem.

V A E & qualis, quantaq; sit nostro hoc seculo,  
generose Comes, in toto orbe Christiano, cum  
rerum fermè omnium, tum maximè Eccle-  
siasticarum deg; religione, confusio ac pertur-  
batio: nemo est hominum, qui non videat:  
nemo bonus; qui non etiam doleat: nemo de-  
niquepius, qui non summa cum admiratione diuinorum indi-  
ctorum, tantam quoque defleat Ecclesia calamitatem.

Magna quidem veritatis lux nostra hac atate, per ali-  
quot fidos Christi seruos, singulari Dei beneficio, è sacris literis  
hausta, & longè lateq; diffusa, cœ Sol è Cælo nobis affulst: sed  
quot obsecro mox, qualesq; errorum nebulae, quam multæ &  
atrabaresium nubes, per non paucos nebulones, diaboliq; admi-  
nistros, ex infernali abyso, ad tenebras huic diuinæ luci offun-  
dendas, excitatae, collectæq; fuerunt?

De tyrannis nunc ræcio: qui omnia sua arma, omnem  
suam potentiam, omnesq; suorum principatum vires in hoc  
exeruerunt semper, atq; etiamnum exerunt & intendunt: ut  
lucernis omnibus, testaceis quidem illis, fatemur, in quibus ali-  
quid adhuc huiuscæ lucis restat atque splendet, ferro confractis,  
funditusq; deletis, totum hoc (si auctor placet) diuinæ sapien-  
tia lumen opprimatur, penitusq; extinguatur: Et in huius lo-  
cum, infernales tenebra ab orco reuocata, succedant, paßimq;  
omnia occupent.

## E P I S T O L A

Quid nostris miseric temporibus, huius rei caussa actum  
& gestum sit: quoq; qualisue infinitorum hominum cades, mul-  
tis in locis perpetratae, in alijs verò pluribus, non semel tentata  
fuerint: in recenti habemus memoria omnes. Quid verò nu-  
per Diabolus, & per quos, in istis vestris vallibus molitus sit,  
quanquam Deo vos protegente, cades illa non successerit impys  
ex sententia: tu ipse melius nosti, quam nos. Quid nunc etiam  
Satan mille artifex, eundem in finem perpetuò machinetur:  
que consilia agitat: quas insidias mediterat: que arma præpa-  
ret: que bella cognat aduersus pios Principes ac Magistratus,  
qui lucem hanc cœlestem in suis ditionibus splendescere volunt,  
ing̃ totum terrarum orbem, pulsis tenebris, longè lateq; effun-  
dendam curant: nouit ille Dominus, qui habitat in cœlis, quiq;  
iniqua impiorum consilia, pro sua erga nos incredibili benevo-  
lentia, cum Ecclesia expedit, & cum tyranni nihil minus, quam  
suorum diu diligenterq; coctorum consiliorum frustrationem  
expectant: dissipare, & cœn inanis nubes, miru modis disisce-  
re solet.

Testes fusto Pharaones: Senacheribi: Amani: Antiochi:  
Juliani: valentes: & alijs non absimiles hostes Ecclesia. Stat  
enim promissio, portæ inferorum non præualebunt aduersus  
eam. Sed, ut omis̃sū tyrannis, ad misere diuulsum Christia-  
na Reipub. corpus reuertamur: quis est obsecro, nisi omnis pro-  
sus pietatis expers, qui spectata tali tantāq; huiusc corporis, co-  
rum nimirum omnium, qui Christum ut verum Deum, verum  
hominem, unicumq; mundi redemptorem profitentur & inno-  
cent, diuersas in partes dilaceratione: diuersis diuersos erro-  
res, & alijs quidem plures ac grauiores, alijs pauciores & leuio-  
res, pertinaciter defendantibus: atq; hanc obcaussam, alijs alios  
plus quam Vatiniano odio prosequentibus, & sauitia plus quam  
Neroniana persequentibus, atque ita sese mutuo perdentibus:  
quotus inquam quisq; est, qui haec spectans, qui haec audiens, qui  
hac in

hec in animo voluens, summo dolore non afficiatur, non ingemiscat, non lugeat, lachrimas non profundat? Romana Ecclesia fuit olim & ab antiquis temporibus, propter summum sua pietatis, cœlestis doctrina, diuini cultus, Christiana disciplina, constantia infidei, aduersus omnes hereticos, splendorem, celeberrima: ac sicut Sol in caelo omnibus stellis, Sic illa omnibus in terra Ecclesiis, suo illo eximie pietatis Christianæ exemplo præluxit: atq[ue] ita præluxit, ut mater omnium Ecclesiarum non prorsus immeritò, pa[ri]sim fuerit appellata: sed in quales porrò, quantasq[ue] tenebras, iusto Dei iudicio, quasi e[st] cælo deturbata, projecta fuit, & in illis etiamnum sepulta iacet? Qui in tanta Euangeliū luce hoc non videt: is talpa cæcior est. Neque est res noua: quando idem Ecclesia primū Israëlitice: deinde Christianis in oriente, totaq[ue] Gracia contigisse videremus. Quanquam nescio quo singulari Dei beneficio, hoc adhuc boni in Romana Ecclesia seruari nemo non videt, nisi qui videre non vult: quod nimisrum, sicut semper, sic nunc etiam constans & firma in veritate Deo, deo[rum] persona Domini nostri Iesu Christi doctrina persistit: & baptizat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: Christumq[ue] agnoscit & prædicat pro unico mundi redemptore, futuroq[ue] viuorum & mortuorum indice: qui vero si fides secum in aeternam vitam recepturus, incredulos autem & impios in aeternum ignem cum Diabolis & Angelis eius, eiecturus sit: quae causa est, cur Ecclesiam hanc, pro Ecclesia Christi etiamnum agnoscam: sed qualis & qualis & ab Osea alijsq[ue] Prophetis, Ecclesia Israëlis sub Ieroboamo, & deinceps fuisse describitur: nunquam enim resipuit a suis fornicationibus. Atq[ue] hec de Ecclesia Romana.

De illis verò Ecclesiis, ut dicam, quæ à Romana in illis rebus, in quibus illa ab Apostolis amissione fecerat, tandem, propter illius pertinaciam atque tyrannidem coacta fuerunt deficere: quam horrenda heres in illarum nonnullis, per ministros Sa-

tanta ex inferis renocata fuerunt: Anabaptismus, Libertinismus, Arianismus, Samosatenismus, Martionismus, Eutychianismus, Nestorianismus, & qua non? imo & atheismus, prob dolor, grassatur. Restiterunt quidem his omnibus fidei ministri Christi, & multis in locis has Diabolicas doctrinas represserunt, suaque Ecclesias ex sincera Euangeli doctrina reformatas, ab his pestibus immunes seruarunt, & Dei beneficio adhuc seruant, ita ut cum talibus sedis nulla nobis intercedat amicitia: interim tamen Zizaniam haec non possunt penitus ubique extirpari. Grassantur adhuc paucim multe pestes: & multi male spiritus sabinde veniant in mundum. Quid igitur Christiano homini, cui cordi est gloria Dei, salus animi sui, & proximi sui, bonumque in Ecclesia nomen (neque enim res est de nihilo, agnoscit & haberi in Ecclesia Catholica, pro vero Christi membro:) quid inquam homini Christiano in tanta rerum confusione, opinionum dissensione, heresium multitudine, religionum varietate, faciendum fuerit? Simili, si potero, explicabo sententiam meam, cum sacris literis consentaneam.

Si numerosissimus & simul etiam potentissimus hostium exercitus, ita in aliqua grassetur regione, omniaque depopuletur, ut inde citò & facile pelli non posse: quid illius regionis populo, ut sua suorumque liberorum salutem consulat, faciendum fuerit?

1. Primum, configiendum est in urbes munitas: ibique permanendum, donec beneficio Dei, tota regio hostibus libertetur. Deinde statim, ne obsessi, aut fame perire, aut se se hosti tandem dedere cogantur: de commatu, quam fieri potest copiosissime, omnino proficiendum est. Quia verò, nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam: idcirco ardentibus precibus tocius populo inuocandus est Dominus, idque quotidie: ut nobis adsit, tueatur, seruet. Adhac curandum est, ut omnes ciues fraternaliter interfidelem, dilectionem, pacem, concordiam constanter colant: quando omnem regnum, ut dicere

dicere solebat Dominus Iesus, in seipsum diuisum desolatur: Et  
testibus etiam Ethnicis, concordia res parue & crescunt: discordia  
autem res magna dilabuntur. Negligenda est valetudo, 5.  
qua ciues, quoad eius fieri potest, in columnes & viribus prædicti,  
ad Reipub. utilitatem ac conservationem, seruentur. Aegroti  
enim & male valentes, in tali præsertim tempore, parum pro-  
dese possunt Reipub. imò saepe oneri sunt & impedimento: tan-  
tum abest, ut contra hostem pugnare valcant. Omnes ergo,  
suam quisque valetudinem current, necesse est. Ad hæc dili- 6.  
genti vigilancia opus est: ne hostes aut vir repentina, aut ex insi-  
dijs, & per cuniculos, in urbem penetrant, nosque incautos &  
imparatos adoriantur: hinc excubia. Sed quomodo vigilari 7.  
potest sine sobrietate? Crapula enim & ebrietate, somnus ex-  
citatur grauis: ita ut vigilia locus esse non possit. Ergo ne vi-  
no somnoq; sepulti, ab hostibus opprimamur: sobrietate opus  
est. Quid verò magis necessarium, quam tenere semper arma, 8.  
quibus & ipsi recti tutiq; ab hostium iaculis esse possimus: & ho-  
stem ipsum ferire ac propulsare valeamus? Ergo prater fortis  
urbis muros, beneq; munita mania: ciues etiam ipsos, in ar-  
mis semper esse oportet. Nihil verò pestilentius, & Reipub. 9.  
perniciiosius contingere potest: quam si in urbe, præsertim tem-  
pore belli, habeat hostium amicos, qui cum illis reipsa colludant,  
ut ut cum ciuib; amiciciam, inq; rebus omnibus consensionem,  
verbis simulent ac profiteantur: homines nimirum perfidi as-  
proditores. Ergo id cum primis danda est opera: ut diligenter  
inquiratur, quinam in urbe sint: quid agant: quam vitam  
vivant, & unde vivant: ac si qui reperiantur exorbitare à  
communiciuium professione, vita, moribus: iij notentur, ex-  
aminentur, corrigantur, plectantur, urbe pellantur. Ut verò 10.  
nihil est, quod & maiorem infamianotam ciuib; inuircere, &  
eosdem grauiore supplicio dignos efficere possit, quam si hostium  
vel pollicitationibus & largitionibus pellecti, patriam prodant:  
vel

veletiam comminationibus perterriti, à suo Principe deficien-  
tes, turpiter se dedant: Sic contra nihil est honoris centius, ni-  
hilq; utilius, & maiore cum laude, tum præmio dignius, quām  
fiservata fide patriæ ac Principi tuo, cum publica huius fidei pro-  
fessione, constanter ad mortem usque, pro aris & focis pugnare  
pergas. Constantia igitur in fide Reipub. vel Principi tuo da-  
ta, publicaq; eius fidei usque ad mortem professione, opus est.

1. Urbes munitæ, mihi sunt, Ecclesia illa, quæ super funda-  
mentum Apostolorum & Prophetarum, olim adificata, & post-  
modum ex Euangelio etiam instaurata, vereq; reformatæ fun-  
damenta Apostolicae doctrinae, cum sacris literis firmaretinent:  
eaq; secundum orthodoxas veterum Patrum interpretationes  
intelligunt & explicant. Fundamenta hac solita semper fuit  
Ecclesia complecti illa doctrina formula, quam vocari Catechi-  
smum: in quo in primis continentur symbolum Apostolorum,  
oratio Dominica, & Decalogus. Symbolum, & quid nobis cre-  
dendum, & in quem tota salutis fiducia sit collocanda, breuiter  
ostendit. Oratio Dominica, & quis nobis inuocandus, & qua-  
petenda sint, & verò etiam quibus de causis, tum solus Deus à  
nobis inuocetur, tum omnia qua petimus, ab eo solo petere de-  
beamus, luculenter docet: quia nimirum ipsius solius est re-  
gnum, potentia & gloria: qua particula, fiducia ad petendum  
acceditur. Decalogus, quomodo agendum cum Deo, quóue  
culi ille à nobis sit colendus: quomodo item cum proximo vi-  
uendum: nobis verò ipsis, hoc est, nostra concupiscentia: quo-  
modo moriendum, ea nimirum omnia, qua contra legem Dei ap-  
petit, illi semper denegando, non minu perspicuè, quām bre-  
uiter præscribit. His tribus Catechismi partibus, illuq; præ-  
cipuis, accedit quarta: doctrina de Sacramentis: quæ nomine  
Baptismi ortodoxiæ, in magno (ut vocant) Symbolo, signi-  
ficatur. Hac omnia è sacris literis summatim collecta, & in  
breue compendium redacta: totius Christianæ religionis fun-  
damen-

damenta, cum tota veseri Ecclesia appellare non dubitamus. Quia verò heretici, cùm hac fundamenta simpliciter negare non auderent, caplerumq; falsis interpretationibus, ad suas heres detorserunt, & adhuc detorquere solent: idecirco ut vera Ecclesia ab hereticorum conuenticulis discerni queant: capita illa doctrina non alio sensu, quam quo & vetus Ecclesia consenteat cum sacris literis, ex communi consensione, in Concilijs præsertim probatissemis, explicauit, intelligenda & explicanda nobis sunt.

Quid enim (ut aliquid exempli causa dicam) firmius, certius, clariusq; ad articulum in symbolo de persona Christi, dici potuit aut potest: quamquam in synodo Nic. Constant. Ephes. Chalced. adde & V. & VI, à pījs Patribus contra Arium, Samosatenum, Apollinarem, Nestorium, Eutychen, Monotheletas, è sacris literis definita fuerunt? Quicunq; ergo de persona Christi, diuersa à Conciliorum illorum definitionibus docent: iū certè fundamentum hoc præcipuum Christianæ religionis, rectè non tenent.

De gratia porrò & beneficio Christi; cuius initium est aeternus erga nos amor, gratuitaq; ad redemtionis aeternaq; salutis participationem, electio: progressus autem est ipsius redemtionis, semel in cruce peracta & gratuita dispensatio, efficax votatio, iustificatio, sanctificatio, perseverantia donum in fide: finis verò ipsa gloriose resurrectio, & vita aeterna: De hoc igitur altero præcipuo Christianæ religionis fundamento, quid clariss, quid certius & copiosius dici potuit: quamquam in Concilijs Africanis, Milcuitano, Arausicano, & alijs contra Pelagianos, è sacris literis definita, & ab Augustino, ut de alijs taceamus, multis libris, contra eosdem Pelagianos, disputata & conscripta fuerunt?

De sancta Ecclesia Catholica, quid scitu necessarium est, quod ab Augustino cum alibi, tum præsertim in libris contra

E P I S T O L A

Donatistis, ex fundamento sacrarum literarum, copiose simul  
& dilucidè explicatum non fuerit? Plurimum autem refert,  
scire quæ sit & ubi sit vera Christi Ecclesia: cum extra Eccle-  
siam nulla sit salus: ac proinde articulus est fidei Christianæ non  
postremus.

Justin : in  
Apol. 2.

De re etiam sacramentaria, si quis simplici veritate velit  
esse contentus: quid illa doctrina clarissima, quam veteres Patres,  
Iustinus, Irenaeus, Tertullianus, Cyprianus, & imprimis Au-  
gustinus, è sacris literis tradiderunt, scriptamq[ue] nobis relique-  
runt? Vnus dicit: quemadmodum per verbum Dei, caro fa-  
ctus Iesus Christus, carnem & sanguinem habuit: Sic etiam  
per verbum precationis, & gratiarum actionis, sacramentum ab  
ipso alimoniam, illius incarnati Iesu carnem & sanguinem es-  
se didicimus: (nempe iuxta illa verba Christi, Hoc est corpus  
meum:) Atqui Christus, id est, λόγος factus est caro, sine ulla  
sui in carnem mutatione, sed tantummodo per unionem hypo-  
staticam: Ergo neque panis factus est corpus Christi, per ullam  
sui in illud Transsubstantiationem, sed per solam unionem:  
non physicam quidem illam, nec hypostaticam, sed duntaxat  
sacramentalem: Item ait, ex illa almonia panis nimiram  
benedicti, sanguinem & carnes nostras, per quandam muta-  
tionem (sui scilicet in C H R I S T U M) nutriti: εξ ής (τρο-  
φης) αἵματι σάρκα μετεβολή τέσθονται ημῶν. Ergo με-  
τεβολὴ, quæ sit in Cena, non est panis in corpus Christi, ve-  
quidam male interpretati sunt; neque Christi in nos, sed no-  
stri in Christum, propter inscriptionem: ut etiam Christus dixisse  
legitur Augustino, de sumptu Eucharistia loquens, Ego non  
mutabor in te, sed tu mutaberis in me. Idem ait: Ad quod  
(alimentum Eucharistia) nemo admittitur, nisi qui credit,  
veram esse nostram doctrinam, ablutus regenerationis lau-  
cro in remissionem peccatorum, & sic viuens, ut Christus  
docuit. Ergo ad cœnam non sunt admittendi, aut infideles &  
bare-

A D C O M I T E M.

baretici: aut qui baptismum Christi nondum acceperunt: aut quibus in manifestis vivunt peccatis, ut nullam Ecclesie dent sue resipiscientia significationem.

Alius ait Eucharistiam constare ex duabus rebus, terrena & cœlesti. Panem, licet sanctificatum, rem tamē terrenam vocat: quid ita? quia & è terra est, & in terris existit, & terreno ore editur: Corpus autem Christi, rem cœlestem, non quod eius substantia sit è cœlo, sed partim quia in unitatem personæ verbi assumptum est, partim quia in cœlo est qualitatibus cœlestibus præditum. Et si enim hypostasi, qua est ipsum VERBVM, ubique est: suam tamen propria similitudinem in cœlo tantum est, non in terra. Ex quo etiam sequitur, illud non ediri, aut à terrenis hominibus, aut terreni corporis dentibus: sed ab illis tantummodo, qui nati à vnde, cœlestis hominis imaginem gestant, modoque cœlesti, mente nimirum ac spiritu edunt. Et tamen ipsa quoque fidelium corpora, dum solum rem terrenam edunt, ipsa etiam re cœlesti ad gloriosam sui resurrectionem participant, & ab ea aluntur: ut ipse idem autor ibidem diserte explicat.

Credo te C. Vl. ex ijs, quæ de quatuor principiis membris doctrina Christianæ, ex symbolo dixi: quid de toto corpore concludendum sit, facile quæ tua est pietas, eruditio, prudentia, intelligere posse. Summa hac est: illas esse veras Christi Ecclesias, eoque regni Christi verè munitas urbes à nobis appellari: quæ generatim quidem sacras literas, speciatim vero receptū ubique Catechismum profidentes: ita veterem Ecclesiam, veteresque Patres venerantur, itaque cum illis in Cœlo degentibus amicitiam colunt, & communionem habent: ut neg. in dogmatibus, neque etiam in sacrarum literarum interpretationibus, facile ab illis declinent: sed tum demum duntaxat, cum & manifestissimis sacrarum literarum tum verbis, tum testimonijs, & plus quam necessarijs, ex principijs fidei deductis consecutioni.

bus, dissentire coguntur. Hoc certè cum primis vitiis datur Nestorio. & cauſa illi fuſſet tantæ hæreſeos ſcribitur: quod Patribus contemtis, & ſuo confiſus ingenio, ſacras literas pro ſuotapite interpretabatur. Quid dico de Nestorio? Imò eundem Patrum contemtum, eandemque de ſuo proprio ingenio, ſuagè eruptione confidentiam, alijs quoq; multis, magnis alioqui viris, in cauſa fuſſe, cur in varias hæreſes lapsi fuerint: ex ecclesiasticis historijs & synodis, facile mihi eſſet, ſi breuitas epiftola patereatur, demonſtrare. Vnde enim obſecro factum fuit, ut poſt sacramiſimam illam Nicenam Synodum, tot hæretici denuo extiterint: quorum alij veram & aternam Christi Deitatem: alij veram & perfectam eiusdem humanitatem: alij veram utriusq; naturam in una eadēque persona unionem: alij veram naturarum, earumque proprietatum diſtinctionem, oppugnarunt? Inde ſanè, quia contentis Patrum in Niceno Concilio definitiōnibus, & ſacrarum literarum de persona Christi interpretatiōnibus: ſuis autem confiſi ingenijs, & humana vel eruditione vel eloquentia inflati, ſacras literas, fideique fundamenta, pro ſuo quisq; iudicio interpretari, hoc eſt, deprauare auſi ſunt. Per-  
 tinet huic quod Vigilius contra Eutichen, lib. 1. ſcriptum reli-  
 quit, de cauſis hæreſium: Sed has ( inquit ) inanum accusatio-  
 num nebulas illi effundunt precipue: qui aut imperitiae vitiis,  
 aut contentionis morbo agrotant: Et dum petulantis animi ſu-  
 percilio eriguntur, antiquitū traditas à Patribus ſidei regulas,  
 ob hoc ſolum despiciunt, ut male conceptas mobilitatum ſua-  
 rum ſententias, Eccleſiae intromittant. Hac Vigilius. Conſir-  
 mant hoc quod dico, contraria Orthodoxorum Patrum inge-  
 nia, veſtigia, verba: qui ſacris literis, & fidei Christianæ fun-  
 damentis, ſecundūm veterum Patrum definitiones explicatis,  
 veritatem Christianæ religionis, non minus feliciter, quam fi-  
 deliter propugnarunt, conſirmatāq; in Eccleſia retinuerunt.  
 Quo ſpectant illa in ipſorum definitionibus verba: DEFI NI-

TIONES SANCTORVM PATRVM SEQUENTES VEL-  
QUE ET REGVLAM: ET NOS EADEM DEFINIMVS,

Conc. Cal  
cedonen.

Nihil ergo tutius, quam ut quisque in hisce Ecclesiis, tanquam  
in urbibus benè munitis, sese contineat: in quibus sacra litera,  
secundum analogiam fidei, & secundum receiptas veterum Pa-  
trum interpretationes, explicantur: ac proinde, quarum eadem  
est fides, qua & Apostolorum, totiusque veteris Ecclesia fuit.

Dixi de primo Christiani hominis officio, qui se suamque  
familiam, tutam ab hostibus, ad aeternam felicitatem seruari  
cupit: nimur, ut in munitis urbes regni Christi, sese recipiat,  
ibique, constanter permaneat: donec tandem profligatio per illu-  
strem aduentum nostri Regis, hostibus omnibus, ubique, liberi &  
tuti esse posimus.

Sed sine commeatu, quis uitam diu traducat suam? Com-  
meatus noster est quotidiana verbi divini auditio, lectio, medi-  
atio, & sacra Cœna suis temporibus perceptio: Utroque enim a-  
limur, fouemur & viuimus: idque, propter Christum vitam no-  
stram, quem nobis illa offerunt, & exhibent. Qui manu-  
cat hunc panem: ( siue ex verbo, siue ex sacramento acceptum )  
non morietur in aeternum. In Actis, discipuli Christi, erant per-  
seuerantes in doctrina Apostolorum, & in fractione panis, hoc  
est, in communibus cœlestis, in quibus Cœna Domini celebra-  
ri solebat. Talis autem cœlestis commeatus, in urbibus benè mu-  
nitis desse non solet: sed nisi edas & bibas, vitamque tuam hac  
ratione sustentes: quid proderit esse in munitis urbibus? Ergo  
frequentande conciones, & percipienda sacramenta, lectiones  
sacrarum literarum incumbendum est.

Accedant etiam preces ad Deum perpetuae, tum publi-  
ca, tum priuata, necesse est: quibus ea petamus, quæ Dominus  
Iesus peti à Patre iussit: omnia scilicet, quæ tum ad ipsius glo-  
riam, tum ad nostram, proximiq[ue] nostris salutem pertinent: ut ge-  
nos ab omni hostium generetueatur, & tutos seruet in veritate.

3.

In die tribulationis, inuocabis me, ait Dominus. An non vero  
sum maximè dies est afflictionis: cum graffantur heresēs, &  
tyranni veritatem persequuntur? Tunc ergo maxime inuocan-  
dus est Dominus, idque ex fide. Ideo & Apostolus, inde-  
sinenter, inquit, orate: Et Christus, oportet semper orare,  
& non deficere. Qui autem ita orat, & ex fide orat: quomodo  
non accipiet? Ideo subdit per Prophetam Deus, ET EGO EX-  
AUDIAM TE. Petite & accipietis, dicebat etiam Dominus  
Iesus: quarine & inuenieris: pulsate & aperietur vobis.

4. Qui verò fieri potest, ut ibi feliciter vivatur, eoque &  
urbs seruetur: ubi cives inter se non colunt amicitiam? Colen-  
da ergo est fraterna dilectio, pax, concordia: quam nihil suauius,  
nihil Deo gratius, nihil ad Ecclesiarum conseruationem con-  
ducibilius esse potest: sicut contra nullares est, qua ciuius per-  
dantur Ecclesia & omnes societates: quam inuidia, quam odia,  
quam similitates, quam inimicitiae, quam dissidia, quam pu-  
gnæ domesticæ. Profectò fides ibi nulla est: ubi non vigeat  
caritas: cum vera fides, teste Apostolo, operetur per carita-  
tem. Et nota verorum Christianorum semper fuit, fraterna  
dilectio: dicente Christo, in hoc cognoscent homines, quod se-  
tis mei discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. Hoc re-  
ipsa docent Acta Apostolorum: ubi de fidelibus ait Lucas:  
Erat illis anima una, & cor unum, nempe in Domino. Et Ter-  
tullianus in Apolog. cap. 39. narrat Romanos dicere solitos  
fuisse de Christianis: VIDE UT INVICEM SE DI-  
LIGANT. Hac enim fraterna dilectione, tanquam vero  
Christianæ pietatis symbolo, discerni Christianos à non Chri-  
stianis volebant.

5. Quam porro necessaria sit ciuibus in tali urbe degenti-  
bus, ad se suosque, adeoque & totam urbem, aduersus hostes tu-  
endam, cura valetudinis: paulò ante dictum est. Valetudo  
spiritualis, hic mihi est bona conscientia: qua sicut nascitur  
à fide,

à fide, sic etiam fidem, ne prorsus pereat, tueretur: quemadmodum & vita corporis parit valetudinem: Et valetudo, corpus in vita conservat. Cuique igitur curandum est, ut bonam seruat conscientiam. Sed quibusnam rationibus seruatur? Primum, firma, post iustum dolorem, de gratuita remissione peccatorum à nobis admissorum, propter Christum fiducia: Deinde, vera resipiscientia: hoc est, serio vitandi porrò peccata, seruandique mandata Dei, studio: firmo denique, si ex infirmitate labamur, denuò resurgendi, & ad CHRISTVM pro condonatione, confugiendi, proposito. Hac ratione, bona semper retinetur conscientia. Qui hoc modo suam curat constanter valetudinem: is certò sciat, nequaquam permisum iri à Domino, ut in aeternum moriatur: hoc est, ut in doctrina ad salutem necessaria, in finem usque erret & pereat. Apostolus enim ait Timotheo: Retine fidem & bonam conscientiam: quam quidam cum repulissent, non usfragium fecerunt circa fidem, hoc est, doctrinam fidei. Ergo, qui conscientiam bonam retinent: à doctrina ad salutem necessaria, exitiosum naufragium non facient: Domino illos, sicut bona conscientia thesaurum, sic etiam perseverantiae in fide, caelestique doctrina, beneficio, pro sua gratia donante. Res igitur tutissima est, cum semper, tūm presentim in hac religionum varietate, in Ecclesiis, ubi purum sonat Dei verbum, certaque fidei secundum Patrum interpretationes, fundamenta retinentur, persistendo, incumbere verbo Dei audiendo, & sacramentis percipiendis: inuocare Deum: Colere amicitiam cum fratribus, & sibi bonam seruare conscientiam.

Ad hæc autem omnia, quam necessaria sit vigilancia: quis, nisi rerum prorsus omnium imperitus, ignoret? Vbi nihil prorsus metuendum est, veluti in calo: ibi nulla etiam opus est vigilancia: sed in summa securitate viui potest & debet. At vero, ubi non desunt fures, latrones, fraudato-

res, adulatores, impostores, proditores, inimici, hostes, omniaq;  
plena sunt insidiarum: ibi quām perniciosa sit securitas & osci-  
tantia: quis est qui nesciat? Ideo Christus prāvidens mala, qua  
imminebant, dixit Apostolis: Vigilate & orate, ne intreris in  
tentationem. Et Petrus, Sobriū estote & vigilate: quia aduer-  
sarius vester Diabolus, circuit, quārens quem deuoret. Quā au-  
tem est hāc vigilantia, quam exigit Spiritus sanctus? Quid  
sit vigilare in animalibus: notum est omnibus hominibus. Er-  
go tunc etiam homo, quatenus mente prāeditus est, vigilare dici-  
tur: cūmpulsā omni mentis oscitantia, apertisque oculis, in ea,  
qua proponuntur, attenē intuetur: ac qua bona sunt, quaē  
mala, qua propitia & qua aduersa, prudenter discernit: ut in-  
deporrō voluntas, & qua reycienda sunt, reyciat: & qua eli-  
genda, eligat: qua vitanda, deuitet, atque propulset, & qua ad-  
mittenda, admittat, ac perseguatur. Excuso igitur omnis car-  
nalis securitatis somno, vigilandum: & ab insidiis Diaboli, ab  
illecebris mundi & carnis, & ab hereticorum doctrinis ac sophi-  
smatibus, diligenter nobis cauendum est. Attendite vobis à  
falsis Prophetis, dicebat Dominus Iesus, qui veniunt ad vos in  
vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

7. Quomodo uero quis, crapula & ebrietate grauatus, vigi-  
lare queat? Sobrietas igitur per necessaria est. Preinde Apo-  
stolus Petrus premisit, SOBRII ESTOTE, & postea subiecit,  
1. Thes. 5. ET VIGILATE: Et Paulus: sobri simus, & vigilemus. Op-  
ponitur autem sobrius, ebrio: Et sobrietas dicitur quasi sine  
ebrietate: qua voce, ipsa etiam crapula per synecdochen intelli-  
gitur. Est enim sobrietas, moderatus usus, non solum potus,  
sed etiam cibi: ut tali ac tanto simus contenti, qualis & quan-  
tus ad vitam sustentandam, valetudinemque conseruandam  
sufficiat. Ideo Dominus Iesus ad sobrietatem exhortans, tam à  
crapula, quām ab ebrietate dehortatus est, dicens: Negrauen-  
tur corda vestra, crapula & ebrietate: uno verbo, quām perni-  
tiosa
- Luc. 21.

tiosa sit ebrietas, luculenter demonstrans. Nam ita hac grauatur corda, & in terram deprimuntur ac suffocantur: ut ad res cœlestes, ad Deum ex animo innocandum, ad seriam rerum diuinarum contemplationem, ad attentam sacrarum literarum lectionem, auditionem, veramq; cognitionem, ad salutarem denique mysteriorum Dei, uti est Cœna Dominica, considerationem, eleuari non possint: Et qui huic ebrietatis vicio dediti sunt, iij ad omnia pietatis exercitia, ineptissimi sunt. Et quām multi sunt, qui propter ventrem, à veritate deficiunt? tantum abest, ut velint aut possint, aduersus illius hostes vigilare, & à falsis Prophetis sibi cauere: ita tandem misere pereant, necesse est. Sed longius latiusq; sese extendit Christiana sobrietas, de qua Apostolus, Sobrij, inquit, simus, & vigilemus: nimirum ad moderatum non solum esculentorum & poculentorum, sed aliarum quoq; rerum omnium huius seculi usum. Non enim vult Deus, ut nimio dinitiarum, voluptatum, honorum, amicorum, liberorum, uxorum, nostra deniq; vita amore, seu dulcissimo vino incibriemur: sed ut qui uxores habent, sint tanquam non habentes: & qui flent, ut non flentes: & qui gaudent, ut non gaudentes: & qui emunt, ut non obtinentes: & qui utuntur hoc mundo, ut non abutentes, &c. Quām verò sit hac sobrietas ad retinendam fidem, veramq; pietatem necessaria: declarant illi, qui pranimio mundi rerumq; huius seculi amore, deficere solent à fide: alijs prorsus, ut qui nunquam resipiscunt: alijs ex parte, ut quos Deus donat resipiscientia: sicut Demas, de quo Apostolus, Demas me dereliquit, diligens hoc presens seculum. Et Dominus Iesus cum dixisset, cauete, ne corda vestra grauenter crapula & ebrietate: subiecit de his altera ebrietatis specie, dicendo: ET CURIS HVIVS VITÆ: Et superueniat in vos ultimus ille dies. Vnde enim haec cura, nisi ex nimio amore huius vitæ? Sed accedit tertia ebrietas, qua eò alijs pestilentior est, quo subtilior, & ad mentem magis quam

1. Cor. 7.

2. Tim. 4.

Col. 2.

ad carnem pertinet: ebrietas nimis sapientia carnis, vano eloquentia, secularisq; Philosophia. Qui enim ijs, ut fucato dulciq; uino, nimis sunt addicti, oblectantur & fidunt: ijs porrò fastidientes simplicitatem doctrinae Christianae, haud difficulter facili naufragium faciunt: qua de re Apostolus: videte, ne quis vos deprædetur per philosophiam & inanem deceptiōnem. Dum enim mysteria Dei, qua simplici stylo ac methodo tradita nobis sunt à Spiritu sancto, nostris carnalibus speculationibus perscrutari, & legibus humanae sapientiae metiri voluntus: oppressi à diuina gloria, quam ferre non possumus, in barathrum diuersarū hæresium precipites damur: ut Ario, Martioni, & omnibus fermè hæreticis contigit: quando prudenitia carnis inimicitia est aduersus Deum: et animalis homo non percipit ea, quæ sunt Dei, nec potest percipere: stultitia enim sunt illi. Ex ijs, que quantum breuitas epistola patiebatur, de triplice ebrietate dixi: quām necessaria sit contraria sobrietas ad resistendum hostibus, & ad thesaurum diuinae sapientiae conseruandum: ut tu, mi Comes Ulysses, optimè nosti, sic qui non posset, si velit intelligere, credo esse neminem. Quid si accedat etiam nimius & cacus amor doctorum hominum, præceptorumq; nostrorum: quo plerung; ita ebrij simus: ut quacunq; ab illis dicuntur & scribuntur, ea sine ullo iudicio & probatione, tanquam oracula Spiritus sancti, contra Apostolicum præceptum, omnia probate, quod bonum est, tenete, amplectamur, mordicuj; teneamus? Sobrij ergo simus, & vigilemus.

8. Arma porrò nostra, non sunt carnalia, sed spiritualia, ut docet Apostolus: duplicitisq; sunt generis: alia ad nos tuendos, alia ad hostes feriendos accommodata. Primi generis sunt galea, thorax, balteus, scutum: alterius, gladius, missilia.

Primum itaque, interioris hominis caput, manitum esse debet galea salutari: id est, certa spes salutis, in nobis, sicut iam per Christum, ex sola gratia incoata, sic etiam per eundem, ex eadem:

eadem gratia perficienda. Nisi enim ad sit hæc certa spes: quis in pugna consistere, eamque continuare valeat? Peclius, ubi partes sunt vitales, thorace iustitiae, iustitiae inquam fidei cum primis, & simul etiam bona conscientie, circum quaque munitum esse oportet. Quis enim congregari in pugna valeat contra tot tantosque hostes: nisi & Deum propitium sibi fauente a se stare, persuasum habeat: & ex corde oderit inquitatem contra quam, & amet iustitiam pro qua, instituta est pugna?

Lumbos circum cinchos esse oportet baltheo veritatis: pedes vero calceatos cognitione Euangeli pacis: hoc est, ita nos, omni ex parte, veritatis cognitione, amore & viribus munitos esse conuenit: ut semper ad pugnam pro Euangelio expediti, & paratis simus: sinistra manus scutum fidei tenentes, quo omnia ignita aduersarij iacula excipiamus & extinguamus: dextra autem gladium verbi Dei, quo hostis propulsetur, & confodiatur. Scuto quidem fidei utemur, si aduersus omnia haereticorum sophismata principia fidei, de quibus supra diximus, firma retineamus, ut ut Strophas ipsas refellere nesciamus: gladio autem verbi, si apertis sacrarum literarum testimonij, & rationibus ex illis necessaria consecutione deductis, hostes conuincamus. Quam ad rem non parum profuerit: si acuta etiam misilia, aculeatasq; sagittas, ex vetustissimorum Patrum pharetris, in hostes transmittamus: quemadmodum & Patres ipsosmet posteriores, priorum testimonia & argumenta, aduersus haereticos, proferentes, fecisse videmus. Sumenda igitur nobis est tota hec Dei παρωνία, cum ardentissimis ad eum precibus: ut hoc tempore aduerso ac turbulentio, tam multis, tam varijs, tam potentibus aduersarijs resistere, tandemq; de illis triumphare possumus.

*Ad urbis conseruationem, & cuiusque ciuis salutem, 9.  
quam necessarium sit, ut ciuitas ab hostium amicis, stipendia-*

rijs, collusoribus, proditoribus repurgata, tuto rem tranquilioremq; vitam degat: quis nisi rerum omnium & prateritarum & presentium omnino imperitus, ignoret? Danda igitur opera est praefectis Ecclesiarum in primis & Magistratibus: ut secundum Apostolicam disciplinam, diligenter obseruetur, quam quicq; & doctrinam profiteatur, & vitam traducat: ac qui edocti & admoniti resipiscere nolint: iij palam toti Ecclesia indicentur, & a sanctis conuentibus, caterorumq; fidelium conversatione, separantur: ne illorum contagio, alij quoque inficiantur: néue (ut loquitur Apostolus) modicum fermentum, totam massam corrumpat. Cuiq; autem fidei, hucusmodi prefracti homines, ut eihnnici & publicani sunt: illudq; Iohannis seruator, si quis venit ad vos, non adferens hanc doctrinam, quam videlicet Apostoli tradiderunt de Filio Dei, deq; fundamentis Christiana religionis: ne recipite eum in domum, nec Aue ei dicite. Hac disciplina est Ecclesia perpetua: de qua & Tertullianus in Apologetico, cap. 39. Magistratus autem pro qualitate porrò criminum & blasphemiarum, in illos ex mandatu Dei animaduertet.

Quod ad extremum, de ultimo cuiusq; ciuis officio diximus: illud in hoc etiam negotio, de quo agimus, facile est ad intelligendum: vtinam & ad praestandum. Constanter ergo ad finem usq; cum profusione etiam, si opus sit, sanguinis & vite, seruanda est Principi nostro Iesu Christo, data a nobis in Baptismate, fides. Ac proinde, quam doctrinam ex Propheticis & Apostolicis scriptis, ex aperte fidei principijs, & verò etiam ex communione totius veteris Ecclesie consensione, certò nouimus esse Christi doctrinam: ea constantissima fide, aduersus omnes dogmatum nouitates, retinenda nobis est: nec solùm in animo eam retinere, sed etiam ore ingenuè confiteri, & ab ea nos nunquam deflectere velle, liberè profiteri debemus: atque ita debemus, ut nisi id faciamus, nulla nobis plane speranda sit salus.

Corde

Corde enim creditur ad insitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Apud Deum quidem, qui corda intuetur, sola fides satis facit: Sed apud homines, & propter homines, necessaria etiam est libera eius confessio atque profectio. Qui erubuerit me coram hominibus: erubescam & ego eum coram Patre meo: dicebat Dominus Iesus. Per nos enim promouenda est in hoc Mundo gloria Dei, nomen Christi, salus proximi: & nos, quam sequamur religionem, & qua fide per Dei gratiam praeditissimus, toti Ecclesiae declaremus oportet: ut quanam sint eius membra, non planè ignoretur. Proinde idem Dominus, ad confessionem hanc nos excitans, adiecit: Qui me confessus fuerit coram hominibus: confitebor & ego eum coram Patre meo. Ergo neg, muncribus allici ad prodendum Christum, neque terriculamentis aut supplicijs, à libera eius Confessione absterrei debemus: sed intuentes potius in ipsum ducem fideli & perfectorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, pertulit crux, ignominia contemta, & ad dextram throni Dei consedit, propositum nobis stadium constanter decurramus. Qui enim perseverauerit usque in finem: hic saluus erit.

His decem capitibus, mi C. VL: veram rationem, qua in tacta, de via salutis, opinionum diuersitate: malorum spirituum in nos incursione atque impetu: in tanta denique tyrannide Diaboli, sua quisq; suorumq; saluti consulere possit: explicata amisse arbitror.

Hanc ego rationem ut sequerer, DEI beneficio, operam dedi, annos iam fermè 34: ac prater sacras literas, quæ illam ex Dei voluntate esse, manifestissimè docent, ipsa etiam multorum annorum experientia, verè diuinam & optimam esse didici. Nam hanc ob causam, relicta Babilonica captiuitate, in liberas regni Christi Ecclesias, tanquam in urbes munitas, me contuli: in Rheticas primū, ubi menses octo & amplius: Deinde in Geneuensem, ubi itidem menses plus minus nouem, vitam

E P I S T O L A

aduxi: Inde Argentinam veni, ubi Gallicana tunc florebat Ecclesia: ibique per annos XI, & vixi & docui: sed non sine pugna, mortuo illo totius Reipublica ornamento, & schola parente Iacobo Sturmio, veteribusque Patribus paulatim deficientibus. Post, Clauennam vocatus, in ea Ecclesia pastorem ei annos circiter quatuor: quam fructuose, licet non absque cruce, tu generose Comes, qui pro tua singulari pietate, me semper audiueristi, & in regno Christi promouendo, tua & opera & autoritate, non parum inuisti: optimè etiam nosti. Postmodum regnante magno illo & incomparabili Principe Friderico III, in Academia Heidelbergensi, annos decem professus sum: ac tandem Neustadium veni in Illustissimi & fortissimi Principis IOHANNIS CASIMIRI oppidum, ubi noua Schola instituta, annos docui septem & amplius: Et ubi adhuc decrepitus senex, bona tamen per Dei gratiam valetudine, ex mei Principis liberalitate viuo: & ut mundo, sicut paulatim corpore, sic etiam animo in dies magis ac magis moriar, id ut possum, operam do: opto certè. Mundus enim transiit & concupiscentia eius: Et vermiculus apud Ionam, parvus horula spatio, radicem cucurbitæ, sub cuius umbra securus vivebat, ita corroxit: ut illa exiccata, bonus propheta, quo se ab immenso Solis astu tueretur, non habuerit. Hanc eandem rationem liberi mei ut persequantur, excepto.

Quæcausa etiam est præcipua, cur hanc totius Christianæ doctrinæ summam, quæ olim à me in alium communiorum usum conscripta fuerat, nunc non solum meo, verum etiam familia mea nomine, in lucem edendā curauerim: nempe ut liberis meis, prater illam, quam quotidie in nostris Ecclesijs sonantibz Christi doctrinam audiunt: meam quoq; eiusdem fidei Christianæ, quam sequantur, formulam relinquerem. Et si enim ad substantiam doctrinæ Christianæ quod attinet, nihil ab eo, quod nostra Ecclesia prædicant, in hac mea Confessione diversum doceam:

quia

quia tamen quantum apud liberos valeat parentum autoritas & exemplum, non ignoro: idcirco rem non parum utilem me illis facturum indicavi, si aliquam mei, mea inquam non faciei, sed fidei imaginem, in quam subinde intuerentur, & qua ad serum sacrarum literarum studium, ad profectum in cognitione veritatis, ad perseverantiam denique in pietate, magis ac magis excitarentur: in Ecclesia Christi relinquerem. Neque enim me latebat, hoc maximè illud Apostoli pertinere, quod ad Timotheum scripsit: Qui suorum & præsertim domesticorum curam non habet: fidem negavit, & est infideli deterior.

Huic accessit altera causa, quæ ad me, meamq; conditionē propriè pertinet. Quæ hactenus de Christo, deq; eius religione, & corde credidi, & ore confessus sum, atq; etiā multos annos publicè in Ecclesia, tum voce, tum libris editis docui: ea uno quoq; & iusto volume, complecti uolui: ut quanam fuerit mea fides, toti posteritati constaret: meq; in heresēs, quæ nunc passim gravantur, aut quæ unquā etiam grasset & fuerunt, nunquā consensisse, omnes fideles tam præsentes, quam futuri, adeoq; tota verè Catholica Ecclesia, perspectū haberet: præsertim cùm si qua fortassis in refalsus fui, erratum hoc recto illius iudicio subjiciam, & illud ad lydium lapidem sacrarum literarum, & ad analogiam fidei, ab ipsa examinari & corrigi velim.

Tibi vero, mi C. VL: librum hunc meum ut dicarem, multi illusq; honestissimis causis, quas nec tibi, nec cuiquam alijs bono viro improbatum iri confido, adductus fui.

Decuit bona doctrina librum non malum, bonum habere patronum: qui & vellet ob pietatem, & posset ob eruditorem, illum tueri: & id quidem constanter: quam ad rem quantum possit nobilitas sanguinis ac generositas animi, si cum vera pietate coniungantur, longa didicimus experientia. Est enim proprium viri nobilis, constantem esse in relaudabili, honoreq; digna: nec sinere se ab honesto proposito, vel

seun-

secundis, vel aduersis rebus abduci. Sinceritas & constantia, tales sunt virtutes, quae in rusticos & seruiles animos cadere non possunt. Accedit, quod ut mea erga te obseruantia, nostrae Christiane amicitiae, aliquod apud omnes extaret omnibus seculis monumentum: honestum ac necessarium esse iudicauit. Est enim res & apud Deum, & apud homines, omni laude dignissima, illa qua ex virtute, eoz sincera ac solida est amicitia: qualis fuit inter Dauidem & Ionaham: Petrum & Iohannem, Paulum & Barnabam. Ut enim non omnium est fides, sicut dixit Apostolus, sic non omnium vera est amicitia: Et ut fides, sic etiam dilectio, ex Deo est, ait Iohannes: nascitur ergo ex vera pietate atque virtute. Nostram certè conciliavit non caro & sanguis: sed Christus, sed pietas, sed religio, eiusdemq; religiosus amor: cui postea accessit similitudo animorum, studiorum, morum, suauissimaq; per aliquot annos consuetudo, quibus illa fuit confirmata: atque ita confirmata, ut nullo etiam locorum per multos annos, vel maximè longo intervallo, imminui aut labefactari potuerit. Quid? quod non solum firma ac constans semper huc usq; permanxit: sed etiam incrementa accepisse, & in dies accipere videtur: Spiritus sancto sanctam Philadelphiav, in cordibus nostris magis atq; magis accendente? Egocertè, quantum me tui videndi, tecum colloquendi, regi in Domino amplectendi, desiderium teneat, sentio: & vicissim ex tuis, tum ad me literis, tum pro me officijs, quanto tibi cura sint res meæ, facile intelligo. Sic solent vera amicitia, qua ex Spiritu Dei conciliantur: perpetuo conserueri, & augeri.

Qua autem ex Deo sunt bona, & alijs quoq; usui esse posse sunt: ea ad ipsius gloriam, & ad fratrum edificationem, quibus cunque possunt rationibus praedicanda & celebranda sunt. Ut ergo voluit Deus peculiares quorundam sanctorum amicitias, sacra litteris commendari: sic perpetuo silentio nostra sepeliri non debuit.

Ad

Ad hac, praterquam quod non me solum (ut dictum est) sed meos quoque carissimos affines Limacios, totamq; eam honestam Christianamq; familiam, singulari tua benevolentia, semper prosequutus es: ea etiam fuerunt & sunt tua in me officia ac beneficia: ut, nisi planè ingratus esse voluisse, de aliqua mihi, si non iusta compensatione, honesta saltem grati animi significatione, omnino cogitandum fuerit: præsertim cum inter ingratos, vera amicitia consistere nequeat. Quid verò vel tibi gratius, vel tua pietate, virtute & nobilitate dignius præstari à me potuit: quam si libellum hunc, quo totius Christianæ doctrinae summam, qua potui breuitate & perspicuitate, complexus sum, tuo nomini consecrarem? Qualis enim quisquam est, & qualem quisque profiteretur artem, scientiam, religionem: talia ei dicari & commendari opera solent ac debent. Sic Lucas Acta, suo & re & nomine Theophilo: sic Cælius Lactantius, suas Christianas institutiones, Christianissimo Imperatori Constantino: Sic Ambrosius, suos pios deside, deg, Spiritu sancto libros, p̄p̄issimo Imperatori Gratiano, dicarunt: sic denique ne in re perspicua immorer, quicunque sapuit, tales sibi delegit suorum librorum patronos, quales fuerunt libri: ut librorum tituli, cum professione illius, cui dicabantur, congruerent. Ergo cum nulla alia meliori ratione, quam huius libelli dedicatione, tua in me merita, aliqua ex parte compensare potuerim: hoc qualecunque munusculum, perpetuum amoris erga te mei testimonium, benigno accipias animo, meq; vicissim, ut facis, amare pergas: meos verò liberos, T. Cornelium: Ludouicum: Hier: Robertum: Lal: Constantiam: An: Lydiam: Violanthem, cum amantissima liberorum omnium matre, mihi verò carissima in Domino uxore, R. Liuia, habeas, post meam præsertim mortem, commendatos, rogo & obsecro.

Ego verò tibi à Domino precor meos annos, C. VI: quò & tuis & meis, imò & nostris Ecclesijs, ut hactenus fecisti, diu

prodeesse quæas: sed sine illis incommodis, ad meam usq; atatem  
& ultra peruenias, precor, qua decrepitam senectam consequi  
solent: & quorum causa, qui dixit καλὸν γέρεαν, subiecit etiam,  
καὶ μὴ γέρεαν τάλαν: τὸ γέρεαν γέρεας εἰς ἔρχεται μόνον. Nam vi-  
uere quoq; ipsum senile καλεσθεὶς Θάρος solet esse senibus: ut me-  
ditandum illis potius semper sit de morte & sepultura, quam de  
vita: quo ipsum quoque nomen γέρων, quasi τιμὴ γέρεων, nos  
semper inuitat.

Caterūm cū & VIVERE ipsum per se, magnum sit Dei  
beneficiam: & alijs multis usui esse posit: & ipsa deniq; etiam  
carnis incommoda, quæ senectam consequuntur, utilia sint spi-  
ritui in pīs hominibus: his de causis longam alicui pio atatem  
precari, non est malum, sed bonum precari: etiam si malis ali-  
quot carere senectus non possit. Deus ergo optimus max: in  
bonate seruet valetudine: & bona longag: vita, ad mul-.

torum bonorum, pro sua bona voluntate dona-

re dignetur. οὐίεια καὶ ρῆσις εἰδὴ λα-

τῷ βίῳ δύο.

Necustadio Cal, Aprilis. 1585

AD

## AD LECTOREM



V A M aliquot ante annis conscriperam fidei confessionem, Candide lector: ea certis de causis, neq; in rebus, neque in verbis immutare volui: sed si quæ aut clarius explicanda, aut pluribus confirmanda esse videbantur: ea seorsum potius declaranda & constabilienda esse iudicaui, quām committendum, ut ipsa Confessio, quippe cuius iam plura, quām decem exemplaria cōscripta fuerant, & in multorum manus peruererant, aliqua ex parte mutaretur. Quæ autem inter recognoscendum, digna correctione occurrerunt, vel cōfirmatione: ea suis quāq; locis, in ipsa Confessione, hac stellula \* notauimus. Vbi ergo hanc notam videris: ad OBSERVATIONES recurrito, & idē caput, eundemq; Aphorismum consulito. Aliud quoq; monendus es Lector. Cūm iam absoluta esset totius libri editio: certior factus fui, non deesse, qui improbent, quod alicubi scripti, cap. xi. Aph. 15, Christum non solum sibi, sed etiam nobis vitam æternā promeruisse: quasi illud SIBI, impie à me positum fuerit. Miratus sum initio, & non parum sum miratus: cum nihil hac doctrina sit clarissimus apud Patres, à quibus & Scholastici acceperunt. Sed simulac in mentem mihi venit: diuersa hominum esse palata: & alijs quidē vtiuuenibus, vina noua ac dulcia, magis sapere, alijs vt senibus, vetera tanquam salubriora magis probari: statim desij mirari.

Veterem illam esse doctrinā, liquet ex veteribus Patribus, qui locum illum ad Phil. 2. Propter quod & Deus exaltauit illum &c, sic interpretati sunt: vt dixerint, Christū sua humilitate, obedientia & morte, sibi illam exaltationem promeruisse.

Augustinus T. 9. in Iohan. tract. 104. in caput XVII. Col. 505. explicans verba Apostoli Phil. 2. Humilitas eius (inquit) incipit ab eo loco, Semetipsum exinanivit: claritas vero, incipit ab eo loco, propter quod & Deus exaltauit eum, &c. Humilitas, claritatis est M B R I T V M: claritas, humilitatis est p̄m̄iū: sed hoc factum est in forma serui: in forma vero Dei, semper fuit, semper erit claritas. Hęc eadem Augustini verba probauit Beda: ea enim retulit in suos commentarios, in caput 2. Philip.

Ambrosius in eadem verba Apostoli, PROPTER QVOD ET  
 „ DEVS, &c: quid & quantū (inquit) humilitas mereatur, ostédit.  
 „ Hieronymus in eundem locum: quia se assumptus homo humili-  
 „ liare dignatus est: Diuinitas, quæ humiliari non potest, eum qui  
 „ humiliatus fuerat, exaltavit. Nota illud, QVIA.

Vigilius contra Eutychen, lib. 5, pag. 130: ait Christū secundūm  
 „ humanam naturam, ob meritum, honores accepisse.

Item pag. 132. demonstrás, HONORIBVS SVBLIMARI, hoc  
 „ non posse attribui Christo, secundūm diuinam naturam, sed tan-  
 „ tūm secundūm humanam, præter alia ita scribit: Numquid & ho-  
 „ noribus sublimari, & dignitatis profectibus augeri natura eius  
 „ (diuina) indigebat: vt humilitatis & obedientiæ ac mortis M-  
 „ RITO, sublimium meritorum tenere fastigium, & potestatem  
 „ Cœli ac terræ mereretur accipere, tanquam qui antea non habuit?  
 „ An fortè negabunt Domino Iesu Christo ob meritum passionis  
 „ & mortis hæc omnia fuisse collata? Legant Apostolum dicentem  
 „ de ipso: Humiliauit semetipsum, factus obediens usque ad mor-  
 „ tem, mortem autem crucis: propter quod & Deus illum exaltavit,  
 „ & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine  
 „ Iesu, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.  
 „ Et Dauid, de torrente (inquit) in via bibet, propterea exaltabit ca-  
 „ put. De torrente in via, id est, de fluvio mortis humanæ bibet: pro-  
 „ pterea exaltavit caput, quia mortem gustauit. Et ipse in Euange-  
 „ lio, propterea (inquit) diligit me Pater meus, quoniam animam  
 „ meam pono pro ouibus meis, &c.

„ Et paulò post subdit: persequamur ergo omnia adhuc beatitu-  
 „ dinis eius munera, passionis eius MERITO acquisita: quibus lu-  
 „ ce clarius apparebit, non posse ei secundūm quod naturâ Deus est,  
 „ sed secundūm quod naturâ homo factus est, conuenire. Legantur  
 „ quæ sequuntur. Plura possem proferre testimonia: sed epistolæ bre-  
 „ uitas non patitur, neque etiam est necesse. Hæc certè vetus est Ec-  
 „ clesiæ doctrina. Rogo igitur coniuias meos, vt si vino & veteri &  
 „ nouo in mensa proposito, ego tanquam Senex, relicto alijs nouo,  
 „ de veteri bibam: ne mihi succenseant. Meæ enim valetudini, vt  
 „ debeo ex mandatu Dei, consulō: de bono etiam nouo libentius  
 „ alioqui, quam de malo veteri, bibiturus.

Neq;

Neq; hoc prætereundum fuit: quod inter relegendum librum iam impressum, offendit erratum, in obseruationibus, pag. 248. linea 25; illi particulae  $\mu$ , præponenda est dictio,  $\tau\alpha\alpha\rho\nu\nu$ : ut hæc sit lectio, illud  $\tau\alpha\alpha\rho\nu\nu$   $\mu$ . Non enim de sola illa particula  $\mu$ , sed de toto illo dicto Pauli, sermo mihi fuit: quemadmodum liquet ex ijs, quæ ibi sequuntur.

Addam & hoc. In appendice de persona Christi, ad calcem obseruationum, ut ex Vigilio, breuem rationem, qua controuersia, de reali communicatione Idiomatum, cōciliari possit, indicarem: dixi, carnem Christi dici posse, sine vlla contradictione, & omnipotentem, & non omnipotentem esse, vbiq; præsentem, & non vbiq; præsentem: diuersis nimirum respectibus. sua enim propria  $\sigma\nu\lambda$ , non esse: esse autem ipsa  $\iota\pi\sigma\delta\sigma\iota$ , quæ illi cum natura diuina communis est. Hic ergo, netibi à Sophista aliquo fiat fucus: hanc nota explicationem. Cùm dicimus propria  $\sigma\nu\lambda$ , præsentem non esse: id bifariam intelligi potest. Primum hoc sensu, vt secundum questionem, quæ  $\tau\delta\pi\eta$  quod sit, vocatur, ipsa carnis Christi substantia, realiter præsens esse dicatur, non sua cognitione, non suo imperio, nō etiam  $\tau\delta\pi\sigma\delta\sigma\iota$  tantum: sed reali ac propria sua  $\sigma\nu\lambda$ : quo sensu,  $\lambda\beta\gamma$  quoque sua  $\sigma\nu\lambda$ , vbiq; esse verè prædicatur: quia sua  $\sigma\nu\lambda$  omnia implet. Deinde hoc altero sensu: vt secundum questionē  $\mathcal{E}\delta\iota\omega\eta$  quare sit, caussa queratur, cur vbiq; præsens sua  $\sigma\nu\lambda$ , esse dicatur: vtrū hoc habeat ex sua natura seu  $\sigma\nu\lambda$ , an verò ex gratia donoq; vnionis hypostaticæ: quo sensu  $\lambda\beta\gamma$  etiā dicitur Deus esse, & omnipotens sua  $\sigma\nu\lambda$ : quod hoc habeat non ex gratia, sed ex sua natura atque  $\sigma\nu\lambda$ . De primo: multi haec tenus acriter pugnabant, vt partem affirmatiuam defenderent: carnem Christi vbiq; esse sua  $\sigma\nu\lambda$ : idq; in hunc finem fecerunt, vt inde eam sua  $\sigma\nu\lambda$  realiter existere in pane, concluderent. Nos constanter vtrunque per negauimus. De secundo: ijdem negant, & rectè, sed nemine contradicente, carnem Christi ex sua naturali  $\sigma\nu\lambda$ , hoc habere, vt sit vbiq; præsens: sed ex vniione quidem hypostatica, hoc illam fuisse cōsecutam, vt posset si vellet, vbiq; esse: à resurrectione verò & glorificatione, id accepisse, vt re ipsa sit sua  $\sigma\nu\lambda$  vbiq; existens. Nos vnum cum ipsis: alterum contra ipsos, falsum esse contendimus. Etratio alterius membra hæc est: quia vno hypostatica facta est

ἀπέριτος καὶ ἀσυγχύτως, ut Concilium Chalcedonense definiuit: hoc est, in ea vila vel naturarum seu τῶν ὕστον, vel essentialium proprietatum mutatione, & confusione. Si ἀτετάπει: Caro igitur ab unione non accepit, multo minus à glorificatione, aliquam in sua ὕστα, aut in suis essentialibus proprietatibus, mutationem: sed manet ὕστα creata, finita, circumscripta. Non maneret autem: si aut posset, aut re ipsa esset ubiq; præsens, & quidem secundum se totam: cum illud cadere non posset nisi in ὕσται infinitam simul, & simplicissimam qualis est diuina. Si ἀσυγχύτως: quibus ergo discernitur diuina ὕστα, ab humana: ea humanæ attribui non possunt: alioqui confusio sequitur, qua discerni nequeat una natura ab altera: & an hæc Christo competant, deoque illo prædicentur, secundum diuinam, an vero secundum humanam. Aduersus hæc Eutychianam cōfusionem, adiecta fuit à Chalcedonensi Concilio illa particula ἀσυγχύτως: Et explicatur à Patribus, hac regula, quam passim legimus: Quæcumque legis de Christo, altiora & diuina, ea diuinæ eius naturæ: quæ humiliora & humana, ea humanæ attribuuntur. Iustinus græcè, fol. 178. ἔτρανάνθης περὶ θεοῦ τὰς εὐαγγίας φωνᾶς, καταλήκας μέλεις τὸν οὐσιοτάτην τὰ λεγόμενα: ἐν μέγαρῳ θεῖον, τῇ θείᾳ φῶναι αποστέλλων: ἀν δὲ π μηδὲν καὶ ἀνθεωπτικον, τῇ ἀνθεωπτίῃ λογιζόμενον. Θεοὶ δὲ καὶ τὰ τῶν φωνῶν ἀσύμφωναν διαφεύξῃ, ἵνας οὐ πέψουντες δεχομένης φύσεως: καὶ τὸν κὸν τὴν ἑταῖρα, καὶ τὴν πάνταν ἀλέσιον, καὶ περσφατον κατατὰς θείας γραφὰς ὅμοιογέντεις. Nec dissimilia tradit Cyr. T. 2. Dial. 5. cum Hermia, Col. 320. Damasc. autem, lib. 3. cap. 4. egregie totum hoc contra confusionem Eutychianam explicat: ac præter alia in hæc scribit verba: Σέβτητα μὲν λέγοντες, κατατονομάζομεν αὐτῆς τὰ τῆς ἀνθεωπότητος ιδίωματα. οὐδὲ φαμὲν θέστητα παθητὴν οὐκτονίην. οὐδὲ δὲ σαρκός, οὐτοὶ τῆς ἀνθεωπότητος κατηγοροῦμεν τὰ τῆς θέστητος ιδίωματα. οὐδὲ φαμὲν σάρξ, οὐτοὶ ἀνθεωπότητα ἀκπονοῦν. Postea quomodo de persona, siue ab una natura, siue ab altera nominetur, quæ cuiusq; sunt naturæ propria, prædicentur: sibi declarat.

Hæc duæ sunt inuidæ rationes, quibus euincitur, carnem Christi, non accepisse ex unione, aut ex glorificatione: ut sua propriæ ὕστα, ubiq; esse queat. Si ergo concedenda sit (quod tamē non probamus) hæc locutio, Caro Christi ubiq; præsens est: non alio sensu esse concedendam docemus, quam sua ἴπτοσαση, vel etiæ sua scientia,

tia, potentia & imperio: minimè autem sua propria *ὑστορία*, creata & finita: quod hoc sit monstrosum verè Diabolicum, verā Christi humanitatem, qua nobis similis est per omnia, excepto peccato, penitus abolens.

Posset & alia addi explicatio illius propositionis, quam ex Damasco colligimus. Libro enim quarto, de orthodoxa fide, cap. 3. explicans, quomodo adoremus carnem Christi, ad calcem capit. in hac scribit verba: Καὶ ὡφαμὲν, ὅπι σάρκα μεγαστηνῆμεν ψιλὸν, ἀλλὰ σάρκα τεῖχος, ἥτοι σταύρονέντος θεόν. Possumus igitur & nos sic explicare propositionē, Caro Christi, id est, Christus incarnatus, ubiq; præsens est: sed quānam sui parte, seu secundūm quānam naturam? Faxit D E V S, vt omnes tandem idem in Domino sapiamus, & loquamur. Te verò Christiane lector, quisquis es, Christianè, hoc est, sincerè & ex animo rogo: vt si quid fortè, in hoc meo libello defideres: illud me liberè moneas, & amicè doceas: certò persuasus, te mihi facturam rem longè gratissimam. Nihil enim magis cupio, quām vt antequam moriar, talem in Ecclesia, fidei confessio nem relinquam, quæ ad lapidem lydium sacrarum literarum diligenter examinata, pio cuiq; & docto viro, eoq; toti Ecclesiæ verè Catholicæ, probetur. Vale: & pro vera Ecclesiarum omnium nomen Christi inuocantium, inter se cōciliatione ac coniunctio ne, subq; vno & eodem capite Christo coagmentatione, Denū Patrem, per eundem Dominum Iesum Christum, nobiscum rogato: meq; in tuis precibus commen datum habeto. *πολὺν ιχθυεν δέοντας*

*διαιτήσεγγενεν.*

1525

1525

3

三

H. ZANCHII,  
DE  
RELIGIONE  
CHRISTIANA,  
FIDES:

*Quam nunc demum, annum agens Lxx,  
suo suaq; familia nomine, in lucem eden-  
dam curauit.*

CAPUT PRIMVM.  
DE SCRIPTVRIS SAN-  
CTIS, totius Christianæ religio-  
nis fundamento.

I.

*De Deo, rebusque ad religionem pertinentibus, soli  
Deo simpliciter esse credendum.*



R E D I M V S , de Deo , rebusque diuinis ,  
ad regnum Christi , salutem que nostram Ambros.  
pertinentibus , à nemine posse nos melius epist. 31 .  
certiusque doceri , quām à Deo ipso : qui  
nec falli nec fallere potest . Deum nemo Ioh. 1.12 .  
vidit vñquam . Filius qui est in sinu Patris , ipse enarra-  
uit nobis .

A

## DE SCRIPTVRIS

### I I.

*Deum loqui in scriptis Propheticis & Apostolicis.*

Deum autem nouimus, tametsi totius orbis hominibus, per ea quæ facta ab ipso sunt, non exiguum neque obscuram sui suæque sempiternæ virtutis ac Deitatis cognitionem exhibuit, ita, ut quotquot illum, non ut Deum glorificarunt, inexcusabiles facti sint: suæ tamen Ecclesiæ peculiari ratione, per Prophetas nimirum atque Apostolos, spiritu suo afflatos, pérque ipsorum scripta, sese suámque voluntatem, clarius pleniùsque reuelasse: cōque scripta Prophetica & Apostolica, ipsissimum esse Verbum Dei.

### I I I.

*Prophetica & Apostolica scripta esse solos  
Canonicos libros.*

Prophetica verò & Apostolica scripta ea esse non dubitamus, quæ ideo Canonicorum librorum nomine Ecclesia Dei appellare solita est, quia cum hosce libros certo nouerit esse Ἰερογράφους, eos etiam solos pro canone totius Christianæ pietatis, ad quem omnis de religione controversia examinanda sit, semper agnouit: Reliquos, quanquam in volumine Sacrorum Bibliorum continentur, ideo tamen apocryphos vocans, quod eos ita esse à Spiritu sancto, sicut prioris generis, minimè perspectum habeat.

### I V.

*Libri Canonici & Apocryphi quinam sint.*

Concil. Laodic. 628. 59.  
Pro certissimo igitur verbo Dei, hosce libros ex veteri Testamento cum tota, tamante, quam post Christi aduen-

S A N C T I S.

3

aduentum, Ecclesia, sine vlla dubitatione agnoscimus  
atque amplectimur.

*Quinq. libros Mosis:*

*Iehosue unum:*

*Indicum unum:*

*Rutha unum:*

*Samuelis duos:*

*Regum duos:*

*Paralipomenon duos:*

*Esdrapriores duos:*

*Esthera capita nouem, &  
priores decimi capit is ver-  
sus tres:*

*Iobum:*

*Psalmos:*

*Proverbia:*

*Ecclesiasten:*

*Canticum canticorum:*

*Iesaiam:*

*Ieremiam cum Threnis:*

*Ezechielem:*

*Danielis priora duodecim  
capita, excepto trium pue-  
rorum cantico:*

*Minores Prophetas duo-  
decim.*

Pro non canonicis autem hosce reliquos  
accipimus.

*Juditham:*

*Thobiam:*

*Esdratertium & quartum:—*

*Sapientiam Salomonis:*

*Sapientiam Iesu filij Sirach,  
qui Ecclesiasticus latinis  
dicitur:*

*Baruchum:*

*Epistolam Ieremie:*

Hæc de Veteri.

Ex Nouo autem Testamento nullum excipimus:  
quoniam et si aliqui sint, de quibus olim fuit dubitatum,  
postea tamen agniti fuerunt & ipsi non minus quam alij  
Pro Apostolicis scriptis: quorum iudicio nos quoque  
lubscrimus.

*Danielis cap. 13. & 14:*

*Canticum item trium pue-  
rorum, quod est capit ter-  
tio affixum:*

*Esthera à tertio versu ca-  
piis decimi reliquum.*

*Macchabaeorum utrumque  
librum,*

DE SCRIPTVRIS

	Prioris generis sunt
<i>Euangelia</i>	<i>Matthaum:</i>
<i>secundum</i>	<i>Marçum:</i>
	<i>Lucam:</i>
	<i>Iohannem:</i>
	<i>Acta Apostolorum:</i>
	<i>Epistola Pauli.</i>
	<i>Petri prior:</i>
	<i>Iohannis prior.</i>

Posterioris sunt.

<i>Epistola ad Ebraeos:</i>	<i>Secunda &amp; tertia Iohannis:</i>
<i>Iacobi epistola:</i>	<i>Epistola Iude:</i>
<i>Posterior Petri:</i>	<i>Apocalypsis.</i>

Licet enim maioris cuiusdam autoritatis illi, de quibus nunquam, quam isti, de quibus aliquando fuit dubitatum, quodam modo esse videantur: Nos tamen perinde vnis atque alijs, tanquam certo Dei verbo credimus: apocryphis verò, qui in volumine Bibliorum habentur, primum post Canonicos locum tribuimus.

V.

*Solis Canonicis probari posse dogmata fidei.*

Hieron. in  
pref. in  
lib. Sal.  
Cyp. in  
Symb. p.  
377.  
Conc. Lat.  
cap. 59.

Ac proinde Canonicis libris duntaxat ad dogmata fidei probanda utimur, utendūmque esse cum Patribus docemus: Reliquos verò non parum autoritatis ad eadem iam probata, postmodum confirmanda habere sentimus.

VI.

*Canonicos libros suam ab Ecclesia autoritatem  
non accepisse.*

Quare illud quoque extra omnem controversiam habemus, & habendum esse sentimus: Licet Ecclesia à primis Patribus, Prophetis nimirum & Apostolis, qui à Deo doctrinam immediatè acceperunt, cāmque literis commi-

### S A N C T I S.

commiserunt, edocta, & à Spiritu sancto persuasa, perpetua & continuata traditione, quinam sint, & qui non sint Canonici, posteris indicarit, testimoniumque diuinæ ac cœlestis veritatis, illis dederit, & perpetuò det: nullam tamen hæc scripta accepisse, haberéue autoritatē ab illa, sed à solo Deo, proprio horum autore: eoque perseſe, quia verbum Dei sunt, ius habere in omnes, dignaque esse quibus simpliciter ab omnibus credatur & obediatur.

### VII.

*Ad fidem tamen Sacris literis apud homines faciendam: non parum prodeſſe autoritatem Ecclesia.*

Quanquam interim non inficiamur, quin autoritas Ecclesiæ, multum ad homines, quò Sacras literas, tanquam Dei verbum audiant ac legant, permouendos, habeat pōderis: iuxta illud Augustini, Non credidissem (sic Tom. 6. enim sensit) Euangeliō, nisi autoritas Ecclesiæ me com-mouisset. Quòd tamen crediderit, se hoc non ab Eccle-sia, sed à Spiritu sancto, cuius est donum fides, accepisse, vbiique prædicat idem Augustinus.

*cont. Epi.  
Fund. c. 5.*

### VIII.

*Ecclesiam nullam habere autoritatem in Sa-cræ literas.*

Disputare verò an maior sit Ecclesiæ autoritas, quam sacræ scripturæ, multò verò magis partem affirmatiuam afferere, quasi Ecclesia præter donum, quod ha-bet, cognoscendi Spiritus, scripturásque Canonicas ab alijs discernendi, déque illis testificandi, illásque inter-pretandi, habeat etiam autoritatem eis vel addēdi quid-

## DE SCRIPTVRIS

*Deut. 4.2.* piam, vel adimendi, déque illis dispensandi: plus quām  
*& 5.31.* & sacrilegum esse iudicamus. Deus enim mandat, ne quid  
*12.32.* quis addat, aut imminuat, néue quispiam declinet ad  
*Apoc. 22.* dextram, vel ad sinistram, sed omnes ad vnum sibi in suis  
*18 & 19.* sacrī literis loquenti simpliciter per omnia obedient.

## IX.

*Scripturam Sacram ita esse perfectam, ut nihil ei addi  
 vel adimi à nobis possit.*

Est enim Scriptura sancta usque adeò & perfecta, continens abunde, quidquid ad salutem necessarium est, ut nihil ei addi possit: & perfectè prudenterque conscripta, ut nihil etiam queat de illa detrahi.

## X.

*Acquiescendum igitur esse in Sacris literis.*

Proinde in doctrina sacrarum literarum, sicut omnes p̄ij debent, nos quoque acquiescimus: tenentes illud Apostoli, *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad doctrinam, & quæ sequuntur.*

## XI.

*Nihil de Religione extra verbum Dei esse statuendum:  
 sed omnia ad illud corrigenda.*

*Difst. 9.*

Quare etiam sentimus, nihil de religione statuendum esse in Ecclesia Dei, quod aut non habeat apertum in libris canoniciis testimonium, aut manifesta necessariaque consecutione inde euincatur. Ac si quid vñquam irrepsit in Ecclesiam, vel doctrinæ, vel cultus, quod cum Sacris literis consentaneum non sit: illud esse legitima ratione vel prorsus tollendum, vel ad regulam verbi Dei corrigendum: omnes item controversias de religione, ex ijsdem

### S A N C T I S.

ex ijsdem Sacris literis esse legitimè diiudicandas & componendas.

7

### X II.

*Traditiones verè Apostolicas & catholicas in Ec.  
clesia retinendas esse.*

Traditiones interim, quas manifestè constat ab *Aug. Tom,*  
*Apostolis profectas, in omnibus semper Ecclesijs obser-* 7. cont. Do  
*uatas fuisse, qualis est de die dominico, loco sabbathi san* nat. lib. 4.  
*ctificando, & similes: tametsi in Sacris literis nullum de* ca. 24. &  
*illis seruandis extet mandatum, in Ecclesijs tamen reti-* Tom. 2. ad  
*tinendas esse iudicamus.* Ian. ep. 118  
D. 11. c. 8.

### X III.

*Perspicuam esse Scripturam in ijs, quæ ad salutem neces-  
saria sunt: eoque ab omnibus esse  
legendam.*

Neq; verò solum abundè, verum etiam perspicuè,  
totam salutis doctrinam, in Sacris literis traditam esse  
sentimus, atque nouimus: cùm Deus populo suo non sit  
locutus, nisi lingua populari, quæ ab omnibus intellige-  
re tur: ut summa sit iniquitas & tyrannis, eorum librorum  
lectione, eoque & in linguam cuiusque gentis propriam *Psalm. 44.*  
conuersione cuiquam interdicere, quos Deus ab omni-  
bus, ipsorū salutis causa legi, & in omnium manibus dies  
noctesque versari voluit, atque iussit.

### X IV.

*Fideles piorum doctorum interpretationes non  
esse contemnendas.*

Etsi verò Scriptura Sacra in ijs, quæ ad salutem ne-  
cessaria sunt, perspicua est: non improbamus tamen cru-  
ditorum,

*1. Thes. 5.  
21.* ditorum, piorumque doctorum, tam veterum, quam recentiorum, interpretationes, & explicaciones, nempe, quæ petuntur ex iisdem Sacris literis, & quatenus Scripturæ per Scripturas explicantur, idque cōsentaneè cum primis fidei principijs: quorum summa tum in Symbolo Apostolico, tum etiam in symbolis verè Oecumenicorum, sanctorumque veterum conciliorum, aduersus manifestè hæreticos coactorum, continetur.

## XV.

*Solum verbum Dei, fulcrum esse Fidei, & fundamentum Religionis.*

*Ro. 10. 17.* Nam nulla realia niti potest aut debet fides nostra, quam verbo Dei, in Sacris literis tradito: ut semper fides sit ex auditu, auditus verò per verbum Dei: cui quidquid in quorumuis hominum libris aduersatur, reiçimus: quidquid est consentaneum, amplectimur: quod verò neutro se habet modo, illud, prout Ecclesijs expedit, vel non expedit, admittimus vel reiçimus, admittendumq; esse vel reiçendum docemus.

## CAPVT II.

DE DEO, DIVINIS QVE PÉR-  
sonis & proprietatibus.

## I.

*Vnum tantum esse Deum, in tres personas  
distinctum.*

\* Edocti igitur à Deo in Sacris literis, quæ sunt ipsius Deut. 4. 6. verbum, credimus, vnum tantum esse Deum, hoc est, vnam

## DE DEO.

vnam simplicissimam, impartibilem, æternam, viuentem, perfectissimamque essentiam in tribus <sup>οφιση μενοις</sup>, <sup>Mat. 28.19</sup> seu (vt Ecclesia solita est loqui) personis, æterno nimirum <sup>1. Job. 5.7.</sup> Patre, æterno Filio, æterno Spiritu sancto, inter se verè, sed citra omnem diuisionem, distinctis, subsistentem: principium & causam rerum omnium.

## II.

*Ita vnamquāmque personam verum esse per se Deum,  
ut tamen non sint tres dī.*

Ita enim credimus, atque è Sacris literis didicimus, Patrem per se verum & perfectum esse Deum, Filium item per se Deum, & Spiritum sanctum per se Deum: ut tamen non multi sint, sed vnum tantum Iehoua: à quo o. mnia, per quem omnia, & in quem omnia.

<sup>Rom. 11.36</sup>

## III.

*Proprietatibus personalibus personam à persona distingui: Essentialibus autem ab omni crea-  
tura differre.*

\* Quoniam verò Sacrae literæ ita loquuntur de Deo. vt multas illi attribuant proprietates, tum essentiales tum personales: & essentialibus quidem eum differre docent à rebus omnibus creatis, personalibus autem vnamquāmque personam ab altera distingui: Idcirkò nos quoque credimus, sicut generare Filium, ita proprium est Patris, vt neque Filio, neque Spiritui sancto conueniat, & contrà generali, non nisi Filio, atque ita de reliquis: Sic etiam, simplicissimum esse, æternum, immensum, ubiq; præsentē, simpliciter omniscium, simpliciter omnipotentem, simpliciter bonum, & huius generis alia, ita pro-

B

pria esse Dei, ut nulli queant reapse communicare creaturæ: ita vt eadem (exempli causa) immensa bonitate, bona sit, aut omnipotentia omnipotens, qua & Deus est.

## III.

*Essentiales proprietates in Deo, re ipsa non differre ab essentia.*

Agnoscimus enim in Deo propter eius simplicitatem, essentiales proprietates, re ipsa non differre ab essentia: ac proinde illas sine hac commuuicari non posse vlli creature: eoque nec vllam creaturam verè esse, dicue posse simpliciter (exempli causa) omnipotentem, simpliciter bonam, iustum, sapientem, & id genus alia: quemadmodum & Dominus Iesus de uno attributo loquens, de omnibus docuit, dicendo, Nemo bonus (simpliciter) nisi Deus,

Mat. 19. 17

## V.

*Nihil simpliciter tale esse aut fieri posse, qualis est Deus: nisi & simpliciter Deus esse possit.*

Quapropter, qui aliquam creatam substantiam, volunt fieri potuisse aut posse diuinorum proprietatum, quibus talis sit, qualis est & Deus, vt simpliciter omnipotens, & huiusmodi, participem: hanc quoque fateantur esse, aut esse posse Deo ἀπονότοι, necesse est: quando neq; Filius ipse simpliciter omnipotens est, nisi quia ἀπονότος est Patri: atque ita etiam Spiritus sanctus,

## VI.

*Confirmatio superioris sententiae.*

Vnde

## DE DEO.

Vnde etiam inrelligimus, qui fiat, quod, cum Filius non minus sit omnipotens, quam Pater. & ita etiam Spiritus sanctus, non tamen dicamus eos esse tres omnipotentes, sed vnum tantum omnipotentem, cum Athanasio, totaque Ecclesia confiteamur: quia nimirum vna symbol. tantum est omnium eademque *ōvōla*. Cūm itaque nulla res creata vnam & eandem habeat cum Deo essentiam, sed longe aliam atque diuersam: si ea etiam fieri possit, communicatione diuinæ omnipotentiæ omnipotens, plures vno esse possint omnipotentes, necesse est: quod non sine blasphemia dici posse credimus.

## VII.

### Errores.

Ita que damnamus & exsecramur omnes hæreses, quæ aduersus hunc primum fidei articulum exortæ, aut ab inferis reuocatae à sanctis etiam Patribus in legitimis concilijs damnatae fuerunt: Cerinthi, Ebionis, Valentini, Marcionis, Manichæi, Arij, Eunomij, Sabellij, Praxeæ, Fotini & similium, veluti Seructi & Tritheitarum, blasphemias quoque Iudæorum & Turcorum: ac denique omnes hæreses, quæ aut contra unitatem essentiæ diuinæ, aut contra veram personarum trinitatem; fuerunt à diabolo excogitatæ: ac proinde, quæ vel negant, Filium verum & æternum esse Deum, & ita Spiritum sanctum: vel quæ has confundunt personas, & vnum atque idem *ōφις μενον* esse dicunt, quod propter diuersos respectus, diuersis etiam nominibus Patris, Filij, & Spiritus sancti appetetur. Nec non & illos omnes damnamus errores, qui essentiales Dei proprietates, ab essentia diuina separant: id quod nobis illi quoque imprudenter facere videntur, qui illas alicui creaturæ sine essentiæ communicatione,

revera cōmunicari posse, vel potius communicatas  
iam esse docent.

## CAPVT III.

DE P R A E S C I E N T I A E T  
prædestinatione Dei.

## I.

*Deum omnia ab æterno præcognouisse &  
præuidisse.*

Credimus Deum, antequam creasset mundum, iam  
inde ab æterno pro sua immensa sapientia, præcognouis-  
se omnia, quæ porrò aut facturuserat ipse bona, aut per-  
missurus ab alijs fieri mala: vsque adeo, ut nihil eum un-  
quam latuerit, lateréue possit: sed omnia, tam quæ facta  
sunt, fiunt, futuræ sunt, quam quæ fieri possunt, etiamsi  
*Heb. 4. 13.* nunquam fiant, nuda & aperta semper fuisse & esse oculis  
*Act. 15. 18.* cius, non dubitamus.

## II.

*Deum omnia in suo æterno consilio præfiniuisse, & ad opti-  
mos fines præordinasse.*

Nec solum præuidisse omnia Deum, haberéq; præ-  
sentia in suo conspectu credimus: verum etiam in sa-  
*Act. 4. 28.* pientissimo suo illo & æterno consilio, quæcumque aut  
ad mundi creationem & gubernationem, aut ad Ecclesiæ  
exaliorum hominum colluuie collectionem, redemptio-  
nem salutémque æternam, pertinebant, ac pertinent,  
præfiniuisse: ac mala etiam omnia, quæ fieri sapientissi-  
me erat permitturus, ad optimos fines, pro infinita boni-  
tate.

D E I.

tate sua præordinasse: ita ut ne capillus quidem cadat de Matth. 10.  
capite nostro, sine voluntate Patris & sine causa. 29. 30.

III.

*Omnium hominum alios ad vitam, alios ad mortem prædestinatos esse.*

Quapropter etiam non dubitamus, Deum, omniū hominum (vt de Angelis nil dicamus) quos creaturus in Adamo iustos, præuiderat etiam in eo omnes peccato-  
ros, alios in Christo elegisse, vt essent sancti, & immacu-  
lati in conspectu eius, in caritate, eoque ad æternam vi-  
tam, ex mera gratia, & secundum propositum voluntatis  
suæ, prædestinasse: alios autem hac gratia noluisse dignas, Rom. 9. 22  
ri, eoque tanquam vasa iræ ad interitum, pro iusto suo iu-  
dicio, præparasse: vt in illis infinita ipsius misericordia,  
in his autem iustitia toti mundo pateficeret ad ipsius glo-  
riam.

I V.

*Sanctorum electionem esse gratuitam.*

Quemadmodum enim vocatio ad Christum, & iu-  
stificatio in Christo, tota gratuita est, non autem ex ope-  
ribus nostris: sic etiam intelligimus, totam prædestina-  
tionem sanctorum, gratuitam esse, quia in Christo facta  
est, & propter Christum executioni mandatur: vt nemo  
possit in seipso gloriari, sed qui gloriatur, in Domino  
g'orietur.

V.

*Prædestinatos nos esse non solum ad finem, sed  
etiam ad media.*

Vnde & credimus, cùm Deus nos elegerit in Chri-  
sto, vt essemus fideles & sancti, & inculpati, in conspectu

ipsius, nos prædestinatos esse, non solum ad finem, hoc est ad æternam vitam & gloriam: verum etiam ad media, per quæ ad finem peruenitur: atque in primis ad fidem,  
<sup>2 Cor. 5.17</sup> qua inseramur Christo: & ad regenerationem, verâmque  
<sup>Gal. 6.15.</sup> resipiscientiam, qua facti noua creatura in Christo, sanctè  
<sup>Mat. 5.16.</sup> viuamus ad eius gloriam, & proximi ædificationem.

## VI.

*Non esse electos, eoque nec seruari posse, qui nunquam  
 Christo per ipsius Spiritum, fidemque  
 viuam inseruntur.*

Proinde illi turpiter, & in suam perniciem falluntur, qui putant se electos esse, & ideo saluos fore, etiam si Eph. 2.10. non sint Christo per fidem insiti, neque resipiscant à peccatis, nec studeant voluntati Dei, bonisque operibus faciendis. Disiungunt enim, quæ Deus coniuncta esse vult.

## VII.

*Debere quemque confidere, se esse electum in Christo: certiores autem fieri nos posse ex fide in nostra in  
 Christum sensu.*

Hinc etiam liquet, quanquam nemo in genere exprimere se debet è numero electorum, cum neque scriptura hoc faciat, sed potius confidere, se, cum vocatur ad Christum, secundum æternum Dei propositum & electionem vocari: si quis tamen velit de certa sui electione fieri certior, huic recurrentum esse ad fidem, & ad conscientiae testimonium an sentiat se verè in Christum credere, sinceroq; amore affectum esse erga Deum & proximum, nec ne sentiat. Quod si etiam hoc non solidè & efficaciter sentiat ne diffidat tamen, sed roget Deum, ut suam adiuuet incredulitatem: sperans fore, ut fiat certior.  
<sup>Mar. 9.24</sup>

## VIII.

*Causæ, propter quas tradita est doctrina de prædestinatione in Sacris literis.*

Neque enim doctrina de æterna, gratuita, & immutabili prædestinatione in Sacris literis tradita est, vt aut Christum negligamus, aut de salute desperemus, aut securi concupiscentiæ fræna laxemus, aut denique insolescamus: sed contra, has præcipuas ob causas. Primum, vt sciamus, extra Christum seruari posse neminem: quan- *Act. 4. 12.*  
do fundamentum totius salutis nostræ, in ipso Christo *2 Tim. 2. 19*  
ante mundi creationem iactum & firmatum fuit. Deinde, *Rom. 8. per*  
vt in tempore temptationum, nos, qui in Christum *Ephes. 1. 4.*  
credimus, sustentemus nos in certitudine salutis, nec aut *& 2. 10.*  
desperemus, aut etiam diffidamus: quando ea certa &  
firma est in æterno Dei decreto. Tertio, vt inde ad stu-  
dium fidei in Christum, sanctitatis, honorumque ope-  
rum incitemur: quando electi fuimus, vt fideles essemus,  
& sancti, & inculpati in conspectu eius, & vt in bonis o-  
peribus ambulemus. Denique ne insolescamus, si credi-  
mus in Christum, & sanctè viuimus: sed totum soli gratiæ  
diuinæ in Christo acceptum feramus: & vt, qui gloriatur, *1 Cor. 1. 31.*  
in Domino glorietur: quando, vt tales essemus, Deus  
quoque pro sua gratia ab æterno constituit in Christo.

## CAPVT IV.

DE OMNIPOTENTIA  
& voluntate Dei.

## I.

*Deum ita esse omnipotentem, ut plura possit,  
quam velit praestare.*

Credi-

Credimus, Deum ita esse omnipotentem, vt non solum quæcunque voluit ac vult, fecerit & faciat: verum etiam infinita, quæ non vult, & velle & facere possit: sequuti hac etiam in parte doctrinam Iohannis, qui dixit:

*Matt. 3.9.* Potens est Deus suscitare de lapidibus istis filios Abrahæ, quod tamen facere noluit: & Apostoli sententiam, qui

*Rom. 9. 15.* scripsit, Deum misereri quorum vult, (cum tamen possit omnium) & indurare (non omnes, vt potest, sed) quos vult: vt nimis impium sit, à sola omnipotentia Dei, non monstrata eius voluntate, aliquid factum esse, vel fieri, vel factum iri à Deo, concludere velle.

*Tertull. contr. Prax.*

## I I.

*Quædam à Deo fieri non posse, non pugnare cum eius omnipotentia.*

*2. Tim. 2.* Cum Apostolus scribat, Deum seipsum negare non posse: credimus nullam fieri omnipotentiæ Dei iniuriam, si quis dicat, multa esse, quæ fieri à Deo non possint: nimirum, quæ cum ipsius pugnant natura, implicantque contradictionem.

## I I I.

*Superioris sententia & confirmatio.*

Cum enim sit summum bonum, fieri certè malus, aut facere malum non potest: & cum sit summa veritas, non potest mentiri: cùm summa sit iustitia, nequit iniuste aliquid agere: cum ipsa sit vita, mori quomodo potest: denique, cùm sit unus tantum Deus, ilque incrementus, & æternus, in tribus tantum personis subsistens: cum non posse aliquam creaturam ita sibi assumere, vt eam sibi faciat, & talem prorsus, qualis & ipse est, quartamue constituere personam, credimus & confitemur: nihilque

nihilque hac confessione, de omnipotentia Dei decedere, aut detrahi, persuasum habemus. Certè, quæ etiam facta sunt, fieri non potest, quin sint facta: ut certum sit: quæ contradictionem implicant, ea neque etiam à Deo fieri posse, qui summa est veritas. Hac enim ratione ipsa quoque omnipotentia Dei, quæ facta fuerunt, apertè negaretur.

## I V.

*Voluntatem Dei in solis Sacris literis nobis esse inquirendam.*

Porro cùm infinita sint & arcana Dei consilia, quæ ne Angelis quidem ipsis manifestat: credimus, cum de Mar. 13.38 voluntate Dei quæstio est, eam non esse alibi locorum, quæ in Sacris literis, inquirendam: vbi, quæcunque nobis ad salutem necessaria erant, abundè & perspicuè sup. Ioh. 15. 15. & 17. 29. peditauit, atque suppeditat, quidque à nobis fieri velit, pro sua benignitate reuelauit per Spiritum suum, Deus.

## C A P V T V.

D E M V N D I C R E A T I O N E,  
de Angelis, & deque primo hominis statu.

## I.

*Omnia fuisse à Deo condita, & quidem bona  
valde.*

*Gen. 1. & 2*

Credimus, Deum Patrem, omnia per Filium, vñà Col. 1. 16. cum Spiritu sancto, visibilia & inuisibilia, quæ coeli terræque nomine complexus est Spiritus sanctus in Sacris literis, & quidem omnia valde bona, intra spacium sex dic-

*Pro. 16. 4.* rum è nihilo creasse: eaque ad hominis usum, & ad suam  
*Hebr. 1. 10.* gloriam destinasse: ita, vt tam Filium & Spiritum san-  
*Lug. 1. 35.* tum, quam Patrem, pro mundi creatore agnoscamus:  
 cùm unus sit idemque Deus.

## I I.

*Cælum à terra distingui, cælumq; beatorum à reliquis  
 cælis differre.*

\* Neque cœlum terræ miscemus, cœlosue inter se  
*2Cor. 12. 2* confundimus, sed cum Sacris literis distinguimus: quem-  
*Mat. 6. 10.* admodum & elementa, omniaque animalium & alia-  
 rum rerum genera distincta esse videmus. Ac proinde  
 cœlum quoque, in quo beatorum cum Christo degunt  
 animæ, futuræq; sunt omnium piorum corpora, & quod  
*Ioh. 14. 2.* Christus domum Patris sui, & Paradisum vocat, Aposto-  
*Lug. 23. 43* lus verò ciuitatem habentem fundamenta, cuius artifex  
*Heb. 11. 10.* & conditor fit Deus: à reliquis cœlis, multò verò magis à  
 terra & inferis, differre confitemur. Ad quod & Paulus  
*2Cor. 12. 2* allusit, cùm dixit, se raptum fuisse usque in tertium cœ-  
 lum: nempe supra cœlum Aëris, supraque omnes visi-  
 biles & mobiles orbes.

## I I I

*Angelos creatos fuisse omnes bonos: quanquam non  
 omnes in veritate perstiterint.*

Credimus itaque, etiam Angelos omnes, creatos  
 fuisse bonos & iustos: substantias spirituales & immorta-  
 les, intelligentia & libera voluntate præditas: quanquam  
*Ioh. 8. 44.* non omnes in ea bonitate & iustitia, atque (vt Dominus  
 Iesus loquitur) in veritate, perstiterunt: sed per multis  
*Ioh. 8. 44.* docemur à scripturis, propria voluntate iam inde ab ini-  
 tio peccasse, factos Dei, omnis boni, humanique generis  
 atque in primis Ecclesiæ Dei hostes, mendaces, menda-  
 ciūmque

## CREATIONE.

19

ciūmque ex proprijs loquentes, homicidas, diabolos, ca- 2 Pet. 2. 4.  
codemones: hāc; ob causam ē cōelo in tartarū detrusos,  
catenisq; caliginis traditos fuisse, & damnationi asseruari.

## IV.

*Causa, cur permitti multi cœlestes spiritus peccare,  
malique fieri.*

Sed neque hoc frustra fuisse à diuina sapientia permissum, è sacris literis didicimus. Nam p̄terquam quod voluit in istis sua patefacere iudicia, irāmque aduersus peccata cuiusque generis creaturarū: constituit etiam, horum opera, ad nos tentandos exercendosque in fide, spirituali pugna, patientia, eoque ad salutem nostram Eph. 6. 12. promouendam, vti: & denique, eos voluit esse suorum iudiciorum aduersus humana sclera executores & ad Reg. 22. 21 ministros: vt, qui amorem veritatis nolunt recipere, qua salui fiant, sequantur doctrinas dæmoniorum, corūmq; 2 Thes. 2. mendacijs credant, & pereant. 12.

## V.

*Angelos bonos, seruatos gratia Dei fuisse, ut essent  
ministri Dei & nostri.*

Rursus credimus ex illis cœlestibus spiritibus innumerabiles fuisse gratia Dei propter Christum seruatos, ne cum alijs peccarent, sed persisterent in veritate & obedientia: atque hos factos esse nuntios & ministros Dei, qui saluti electorum inseruiant, eoque aduersus diabulos tueantur & promoueant regnum Christi: qui ita nos amant, nobisque inseruiunt, vt de salute nostra summo perè lātentur: nolunt verò à nobis adorari, sed solum Deum adorandum esse monent, seque nostros aiunt esse conseruos: quibuscum etiam in cōelo æternam beatam- Luc. 15. 7. Apoc. 22. 9 Mat. 22. 30 que vitam acturi sumus.

DE MUNDI  
VI.

*Hominem ad imaginem Dei creatum fuisse.*

Credimus, creatis iam rebus alijs omnibus, Homi-  
Gen. 1. & 2. nem etiam ad extremum, corpore è terra formato, & anima, substantia spirituali & immortali, è nihilo facta, & in corpus illud insufflata, creatum fuisse ad imaginē & similitudinem Dei: addita illi paulò post uxore, ex ossibus illius, ad corpus quod attinet, conflata, & ad eandem Dei imaginem efformata.

## VII.

*Imago illa Dei, quibusnam in rebus potissimum consisterit.*

Credimus verò, imaginem illam Dei, in hoc potissimum fuisse positam: tum, quod sicut Deus, absolutus est rerum omnium dominus: sic homini subiecta fuerunt omnia, volatilia cœli, pisces maris, & bestiæ terræ, usque adeò ut Rex esset totius mundi: tum verò maximè, quod sicut Deus sanctissimus & iustissimus est, sic etiam Homo Eph. 4. 24. creatus fuit rectus, in iustitia, & sanctitate vera, sicut interpretatur Apostolus.

## VIII.

*Adamum verè liberum fuisse ante lapsum.*

Hinc verò credimus, hominem in primo illo statu, non solùm tali libertate præditum fuisse, vt nihil velle posset inuita voluntate: (quæ libertas semper in homine mansit & manet) verùm etiam talibus viribus fuisse do-  
Eccles. 7. 30. natum, vt potuerit, si voluisset, non peccare, & non mori, sed in iustitia perseverare, & mortem euitare: vt merito, quod vtrumque amiserit, illi ipsi attribuendum sit, & non alijs.

## IX.

*Errores.*

Damnamus itaque, Valentinianos, Marcionitas, Manicheos, & quicunque aduersus hunc fidei articulum aliquid vel docuerunt, vel scriptum reliquerunt: fingenentes, aut ab alio Deo, quam à Patre Christi, omnia esse condita, aut ab uno Deo bono, bona, ab altero autem malo, mala: cum Deus esse non possit, qui non sit summè bonus, & solus rerum omnium conditor. Damnamus etiam omnes, qui aut docent animam hominis è substantia esse Dei: aut, qui eius negant immortalitatem, & perpetuam actionem: aut qui in solo dominatu imaginem Dei collocant: aut denique, qui primum hominem verè fuisse creatum liberum, negant:

## CAPVT VI.

## DE PROVIDENTIA, MVNDIQUE gubernatione.

## I.

*Mundum, & quæcunque in eo sunt & fiunt, diuina regi prouidentia.*

Credimus, Deum, creatis rebus omnibus, ita qui. Gen.2.2.  
euiss ab omni opere, quod patrārat: vt interim tamen nunquam desierit aut desinat, Mundum, & quæcunque in eo sunt, tam parua, quam magna, atque in primis humānum genus, singulōsque homines curare, regere, gubernare: ita vt nihil in mundo fiat, aut contingat, quod non regatur diuina prouidentia. Sap. 14.3.  
Matt. 10. 29.30.

## DE PROVIDENTIA.

## II.

*Peculiaris cura regi Ecclesiam Dei.*

Etsi verò vniuersa & singula, diuinæ prouidentiæ  
subiecta sint: credimus tamen, speciali quadā cura & ra-  
tione regi Ecclesiam Dei, singulōsque electos & electo-  
Rom. 8.30.  
Phil. 2.13.  
2 Cor. 6.16  
Alt. 14.16.  
1 Pet. 5.7.  
rum voluntates atque actiones: cum ipsos peculiariter  
vocet, iustificet, sanctificet, & non omnes: cum in ipsis o-  
peretur velle & perficere, inq; ipsis inhabitare se dicat, &  
non in omnibus: cum deniq; eos ad aternā vitam dedu-  
cat, reliquos verò sinat pro suo iusto iudicio vijs suis in-  
gredi, & in aternum ruere exitium: ut merito etiam nos  
peculiariter iubeamur omnem solicitudinem nostram  
in Deum proiecere, quoniam ipsis (peculiariter) cura  
est de nobis.

## III.

*Deum ordinariè Mundum regere per cas-  
tas secundas.*

Hoc quoque è Sacris literis didicimus, quanquā Deus  
multa sua aternæ prouidentiæ decreta per seipsum sine  
vlo externo coadiutore, imò & nonnunquam contra  
ordinaria media, perficit: multò plura tamen & ordina-  
riè solitum illum esse per causas secundas, tam in totius  
Mundi, quam in Ecclesiæ gubernatione, executioni  
Hof. 2. 21.  
22.  
mandare: cum ipse dicat, se exauditurum cœlum, cœ-  
sum exauditurum terram, terram exaudituram frumen-  
tum, frumentum exauditurum Iezreel.

## IV.

*Media ad finem contempnenda non esse: cum non minus  
unum, quam alterum, Deus sua velit  
prudentia.*

Vnde

## DE PROVIDENTIA.

13

Vnde etiam intelligimus, licet certi sumus, nos Deo curæ esse: media tamen ad salutem nostri tum animi, tum corporis à Deo ordinata, cōtemnenda non esse, Deumq; tentandum: sed sequendum esse Apostolum, qui de salute omnium, qui in nauī erant, persuassissimus, nautis tamen fugam meditantibus, dixit militibus & centurioni, Nisi hi in nauī manserint, vos seruari non poteritis. Deus *Act. 27.31.* enim, qui cuilibet rei suum destinat finem: is etiam principium & media, per quæ ad finem usque perueniatur, ordinavit.

## V.

*Respectu Dei, omnia necessariò, respectu nostri multa contingenter euenire,*

Cum verò Deus sua prouidentia causas secundas, quibus in mundi gubernatione vti solet, in sua quamque natura conseruet, & ita etiam moueat: harum autem alię ad certa affecta sint sua natura definitæ, aliæ verò indefinitæ: Nos intelligimus & confitemur, licet respectu Dei, sine cuius præscientia & voluntate nihil contingit in Mundo, omnia fiant necessariò, respectu tamen nostri causarumque secundarum, non omnia necessariò, sed quamplurima contingenter fieri & euenire. Quid enim magis contingens, atque adeò casuale esse potest lignatori & viatori: quām si è manu illius decidat securis, atque hunc interficiat? Dominus tamen ait, se illum esse, qui viatorem interfecit. Et Dominus Iesus voluntariè mortuus est: is tamen dixit, oportuit Christum pati. Heroes item & Pilatus libera voluntate Iesum damnarunt: Apostoli tamen aiunt, eos non fecisse, nisi id, quod manus & consilium Dei decreuerunt fieri. *Mat. 10.29*  
*Exo. 21.13.* *Lt. 24.46* *Act. 4.28*

## VI.

## DE PROVIDENTIA.

## VI.

*Deum peccatorum, quæ in Mundo admittuntur,  
autorem non esse.*

Atque hinc etiam intelligimus, & confitemur, licet  
Alt. 17. 28. multa in mundo, dum Deus omnia mouet, admittantur  
Ioh. 2. 16. ab hominibus scelera: ea tamen Deo, eiusue prouiden-  
Hebr. 1. 3. tiæ imputari non posse: quoniam omnia quidem ille  
Alt. 17. 28. mouet, & vires cuique ad operandū suppeditat sua pro-  
videntia: sed malitiam, qua malè operentur, nemini in-  
stillat. Vt igitur terra, succum non minus malis arbori-  
bus, quam bonis suppeditans, reprehendi nequit, quod  
mala arbor malos fructus faciat: Sic multò minus Deus,  
uel autor vel causa dici iure potest peccatorum nostro-  
rum, etiamsi manu suæ prouidentiæ omnia, etiam im-  
pios sustentet, portet, agat, regat. In ipso (inquit Apo-  
stolus) viuimus, mouemur, & sumus: tales nimirum ab  
ipso mouemur, quales sumus: nisi ipse nos pro sua gratia  
alios faciat.

## VII.

*Adoranda, non autem inquirenda esse arcana Dei con-  
silia, in Mundi gubernatione.*

Interim arcana & admiranda Dei consilia, quibus in-  
 numerabilia fieri videmus, quorum tamen nullam pos-  
 sumus reddere, aut etiam nosse rationem: ea, qua debe-  
 mus, reuerentia, suspicimus & adoramus: contenti hac  
Mat. 10. 49 certa scientiæ: nimirum, nihil in mundo fieri, sine volun-  
30. tate Dei: Dei autem voluntatem ita esse iustum, vt sit  
Rom. 9. 14. certissima omnis iustitiæ regula: sic proinde semper illud  
Rom. 11. 33 esse rerinendum, quod Apostolus ait. O altitudo diui-  
 bilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ eius. Item  
 illud,

## DE PROVIDENTIA.

25

illud, Nunquid est iniquitas apud Deum? Et tamen, Ex Rom. 9.14.  
ipso, & per ipsum, & in ipsum sunt omnia. Ipsí sit gloria Rom. 11.36  
in secula, Amen.

## VIII.

### Errores.

Itaque damnamus omnes illusores, omnésque illos philosophos, qui aut prouidentiam Dei penitus è Munde tollunt, aut humanas & minimas quasque res à Deo curari negant: illos item, qui prouidentia Dei abutentes, media à Deo ad salutem nostri, tum animi tum corporis ordinata contemnunt: nec non illos, qui ita sim-pliciter omnia euenire necessariò contendunt, vt omnē tollant contingentiam, omnemq; hominibus adimant libertatem: eos denique, qui ita volunt Deum omnia in omnibus operari, vt peccatorum quoque οὐδεὶς γένοιται, & auctorem esse blasphemēt.

## CAPVT VII.

### DE LAPSY HOMINIS, dēque peccato originali, & eius fructibus.

#### I.

*Adamum suā p̄spōne, per inobedientiam  
peccasse.*

Credimus, cùm primus homo ad imaginem Dei Gen. 1. 2  
conditus esset, iustus & rectus, veréque liber, vt qui poterat, Eccl. 7. 30.  
si voluisset, non peccare, & nullo mortis genere mori: eum, diabolo quidem suadente, Deo autem nihil impediente, Sirac. 15. 18.  
per manu consilij sui illum relinquente, per Gen. 3. 1.  
Sir. 15. 14.

D

*Gen. 3. 19.* inobedientiam sponte, veréque libera voluntate peccasse: ita ut peccati sui culpam, neque in suam à Deo acceptam naturam, neq; in Deum ipsum, neque in vllam rem creatam transferre, sed sibi vni, quia sic voluit, adscribere potuerit atque debuerit.

## I.I.

*Quod & qualenam Adæ peccatum.*

*Gen. 2. 17.* Intelligimus enim Adæ peccatum, fuisse voluntariam diuini mandati de non edendo vetito pomo, (vt describit Moses) transgressionem, eoque (vt lopuit Apostolus) inobedientiam: quæ non tam in externo facto, quæm in spontaneo animi proposito, quo noluit Deo obediens, posita fuit.

## III.

*Quanam, & quotuplex mors insecura sit  
peccatum Adæ.*

Ita fatemur, hominem, destitutum iam gratia Dei, vitam illam, qua Deo sanctè viuebat, sua culpa amisisse, occæcata mente, depravata voluntate, omniq; integritate naturæ prorsus perdita, in ijs nimirum, quæ ad *Job. 3. 34.* Deum vitamque Deo gratam pertinent: factum peccati *Eph. 2. 1.* seruum, & Satanæ mancipium, veréque Deo mortuum: *Rem. 5. 12.* Incurrisse insuper mortem, tūm corporis, quæ omnibus hominibus communis iam est, cum omnibus corporis calamitatibus: tūm maximè totius hominis æternam, hoc est, miserrimam, calamitosissimam, infelicissimamque, in æternis pænis cum diabolo, vitam, omni morte, *2. Cor. 15.* sine vlla comparatione duriorem: vnde liberari non potuit nisi per Christum.

## IV.

*Omnes homines in Adamo peccasse.*

Quia.

Quia verò totum humanum gentis, quod ex Adamo per naturalem generationem erat propagandum, in ipsius erat lumbis, vnde & præceptum cum sua comminatione coniunctum, non ad personam Adæ tantum, sed ad totum humanum genus pertinebat : Idcirco cum Rom. 5. 19. Apostolo credimus, & confitemur, in Adamo peccante, omnes homines peccauisse : Ita vt illa inobedientia non tam fuerit Adami propria, quām totius humani generis facta sit communis: quando illius reatus, omnes homines inuoluit, qui ex illius porrò semine procreati carnaliter fuerunt, & quotidie procreantur: quemadmodum Apostolus ad Romanos manifestè docuit, atque etiam antithesi inobedientiæ Adami, & obedientiæ Christi firmissimè comprobauit. Si enīm obedientia Christi non minus nostra est per imputationem, quām Christi ipsius per propriam actionem, quia ex ipsius semine incorruptibili, & ex eius Spiritu renati sumus: efficitur, inobedientiam quoque Adami, nobis imputari, illiusque reatu nos teneri, quia ex carnali eius, ut patris omnium, semine, geniti sumus.

## V.

*Inobedientiam Adami, insecutam fuisse totius natura corruptionem, in omnibus hominibus.*

Quemadmodum autem personā Adami propter illum actualem inobedientiam, mox iusto Dei iudicio cōsecuta est totius naturę corruptio, cōcupiscentia ab Apostolo appellata, quæ & poena præcedentis peccati fuit, & peccatum, & causa aliorū peccatorum: sic omnes etiam homines, qui naturali propagatione, ex illius semine cōcipiuntur, eadem corruptæ naturæ contagione infectos

Rom. 7. 7.Aug. Tom.7. con. Iul.Pela. li. 5.cap. 3.

nasci, merito, è sacris literis edocti, credimus, & cum tota Ecclesia confitemur. Peccarunt enim omnes in Adamo, eiusdémque inobedientiæ reatu omnes constricti tenentur.

## V I.

*Peccatum originale, quid propriè appellemus.*

Quapropter ita vitium hoc hæreditarium, & naturæ contagionem, in omnibus hominibus peccatum esse dicimus, & peccatum Originale appellare solemus: vt tamen à reatu & imputatione illius primæ inobedientiæ, minimè separemus. Quemadmodum etiam contrà iustitiæ Christianorum, non tam in regeneratione naturæ, quæ fit per Spiritum Christi, & quæ iustitiæ inhærentis nomine appellari consuevit, quam in imputatione perfectæ obedientiæ, & iustitiæ Christi, cuius membra sumus, consistere non dubitamus.

## V II.

*Natura contagionem, verè esse peccatum.*

Etsi verò contagio hæc, in poenam illius primæ trægressionis diuini mandati, inficta fuit non Adamo solum, sed toti etiam illius posteritati: eam tamen non solum poenam esse peccati, & causam omnium porrò peccatorum, sed etiam verè peccatum, vt ad condemnationem vel sola sufficiat, tam certum habemus è Sacris literis, quam quod certissimum.

Rom. 7. 7.

## V III.

*Concupiscentiam in ipsis etiam renatis suanatura esse peccatum.*

Visque adeò autem didicimus concupiscentiam sua natura esse peccatum, pugnans cum lege Dei, & æternæ

damna-

damnationi omnes homines, nisi per Christum liberentur, obnoxios reddens: vt in ipsis etiam renatis, quamuis sublato reatu propter fidem in Christum, non imputetur amplius: verè tamen, & per se peccatum esse, eoque æterna morte dignum, nullo modo dubitemus: cùm sit *Ioh. 3. 4.*  
*et apoc.*, & lege Dei damnetur, vt etiam Apostolus docet. *Rom. 7. 7.*

## IX.

*Ex innata concupiscentia, perpetuò scaturire iuu-  
los peccatorum.*

Credimus præterea, prauitatem hanc naturalem, tales esse omnium malorum fontem, eumque inexhaustum, vt perpetuò inde scaturiant putidissimæ aquæ malorum affectuum, impiarum cogitationum, prauorum desideriorum: quæ, nisi per Spiritum Christi cohibeantur, in manifesta tandem erumpunt scelera atque flagitia, alia alijs grauiora: vsque adeò, vt ne vllus quidem sanctus sit, qui hanc vitiorum omnium sentinam, secum non ferat, putidosq; eius vapores, semper exhalantes, non sentiat, & subinde sordibus illis non aspergatur, & contamineatur. Vnusquisque (inquit Iacobus) tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus: concupiscentia autem, cum conceperit parit peccatum: peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem.

*Iac. 1. 14.*  
15.

## X.

*Deum autorem peccati non esse.*

Ex quibus etiam omnibus in ea fide confirmamur, qua credimus, Deum minimè autorem esse peccati: cum neque Adamum crearat malum, aut ad malum propensum, sed iustum & rectum: neque eum ad malum impulerit vel mouerit, sed ille sua sponte, liberaque voluntate

DE LAPSY

<sup>30</sup>  
1 Joh. 2. 16. peccarit: neque etiam hæc innata prauitas sit ex Deo, sed inobedientiam illam Adami iustitia priuati, per se sit consecuta, iustè Deo sic permittente, peccatumque homini hac digna poena puniente.

XI.

Errores.

Damnamus igitur cum Ireneo, totaque Ecclesia, omnes, qui Deum autorem peccati faciunt: omnes item Pelagianos, tam nouos, quam veteres, qui aut homines omnes in Adamo peccasse, primique illius peccati reatu teneri negant: aut ipsam innatam concupiscentiam, morbum tantum, poenamque peccati, non autem vere peccatum esse, contendunt: aut in renatis saltet minimè veri peccati nomine dignam esse volunt. Damnamus & illos, qui peccatum originale docuerunt esse substantiam: quod hæc opinio, aut faciat Deum autorem peccati: aut neget, Deum omnis substantię esse conditorem, & Doctrinam Manichæorum confirmet, de duabus primis principijs, summo Bono, & summo Malo, à quibus omnia, à Bono nimirū bona, à Malo mala profecta sint, & proficiscantur. Damnamus insuper Stoicos, & horum similes, qui omnia peccata, paria, neque unum alio grauius esse docent: illos denique, qui aliquem in hoc mundo inueniri posse contendunt, qui omni proflus peccato careat.

CAPVT VIII.

DE LIBERO HOMINIS  
post lapsum arbitrio.

Liberi

## I.

*Liberi arbitrij nomine quid intelligamus.*

Cùm omnes homines post, & propter lapsum Adami, in peccatis concipientur, filijque ira nascantur, ad bonum minimè, ad malum autē quām maximè propen-  
Eph. 2. 3.  
Gan. 6. 5.  
& 8. 21.  
 si: hæc nostra est de libero arbitrio hominis non renati, fides atque confessio. Liberi arbitrij nomine, ita intelligimus liberam hominis voluntatem: vt ab ea tamen non separemus intellectus facultatem, qua de rebus iudicamus, & arbitramur, quid bonum sit, quid malum, quid eligendum, & quid respundendum.

## I. I.

*Duplicem esse questionem, unam de natura, alteram de viribus Liberi arbitrij.*

Distinguimus autem quæstionem de viribus totius Liberi arbitrij, à quæstione de natura humanæ voluntatis. Naturam vocamus, naturalem atq; essentialēm à Deo inditam voluntati proprietatem: qua fit, vt, quidquid vult, siue bonum, siue malū, illud semper velit libere, sponte, utrō ab omni semper coactione libera. Virium autem nomine, intelligimus innatam aut donatam potentiam, qua possimus tum mente cognoscere, quæ bona, & quæ mala: tum voluntate, illa eligere, hæc verò respuere.

## I. I. I.

*Liberum arbitrium semper liberum esse à coactione.*

Sicut igitur substantia Liberi arbitrij propter peccatum non periret: (mansit enim intellectus & voluntas, totaque animæ substantia) sic neque eiusdem natu-ram perisse credimus, quin quæcumque etiam num- vult tam mala, quam bona, ea velit libere, & citra omnem

omnem sui coactionem: ut verè dixerit Augustinus, liberum arbitrium semper esse liberum (nimis à coactione) sed non semper esse bonum.

## I V.

*Triarum actionumque genera, in quibus vires humani arbitrii occupantur.*

De viribus autem ad bonum eligendum, vel malum respuendum, ita sentimus. Distinguimus bona, ac mala, in tria genera: in ea quæ ad animalem, in ea quæ ad humanam, & in ea quæ ad diuinam, hoc est Christianam vitam pertinent. Primi generis sunt, quæ ferè communia nobis sunt cum bestijs, & ad animam vegetantem, ac sentientem spectant. In secundo genere statuuntur, quæ propria sunt hominum, & ad mentem humanam pertinent: vti artes omnes, tam Mechanicæ, quam Liberales, virtutes morales atque politicæ, deniq; scientiæ omnes, totaque philosophia. Tertium verò genus continet ea tantum bona, bonisque actiones, quæ ad regnum Dei duntaxat, Christianamque vitam ordinatae sunt: veluti est vera Dei cognitio, fides, eijsque effecta, regeneratio, obedientia, charitas, huiusque generis alia.

## V.

*Imbecilles esse admodum vires hominis non renati; in ijs, quæ ad humanam vitam pertinent.*

Vt igitur de viribus humanis post lapsum, in ijs cognoscendis, appetendis, & si offerantur, eligendis ac persequendis, quæ ad vitam hanc animalem sustentandam, & feliciter transigendam spectant, contrarijsque fugientis, nihil dicamus, quod hæc nihil ad religionem & mores attineant, (quatenus etiam in parte, quanta sit homines consecuta tum iudicij, tum appetitus depravatio, quoti-

quotidiana docet experientia) credimus, quanquam per Dei misericordiā, aliquid luminis in humanis mentibus relictum sit, partim ad iudicium de æquo & iniquo, bono & malo in rebus humanis, faciendum, partim ad multarum rerum, artium, disciplinarum, diuersarūmque virtutum cognitionem comparandam: tam exiguū tamen esse illud, quidquid est luminis, in humana mente relictum: & tam deprauatam esse humanam voluntatem: vt nisi & illa coelesti lumine adiuuetur, & hæc speciali gratia ad propositum bonum eligendum, malūmque rejiciendum flectatur: homines nequeant, vel veras disciplinas & artes sibi comparare, vel virtutes villas qualescūnque in non renatis esse possunt, assequi: vt non immeritò scripsit Augustinus, omnes etiam quæ in Romanis, alijsque infidelibus, fuerunt & scientiæ, & virtutes, vel potius simulacra virtutum, singularia fuisse dona Dei.

*Tom. 2.  
cont. Iul.  
Pel. lib. 4.  
cap. 3.*

## V I.

*Confirmatio superioris sententia.*

Neque enim omnes infideles, fuerunt, aut sunt ijsdem vel æqualibus prædicti virtutibus, & scientijs: vt inde Iuculenter appareat, ea non fuisse bona naturalia, sed dona Dei, addita naturæ.

## V II.

*In ijs, quæ ad Deum, verāmque pietatem pertinent, hominem non renatum nihil posse.*

At vero in ijs, quæ ad Deum, pietatem, religionem, vitamq; Christianam pertinent, credimus, hominis non renati mentem ita esse cœcam, & cor ita prauum, virēsq; reliquas omnes tam esse nullas: vt nequeat, aut Deum, & quæ Dei sunt, verē cognoscere: aut eum amare, &, quæ illi grata sunt, expetere: nedum eius voluntati, vt debet obe-

*1 Cor. 2. 14.* dire: quando Apostolus ait: Animalem hominem non percipere ea, quæ sunt Dei, nec posse percipere: quomo-  
*Ioh. 15. 5.* do igitur velle & perficere? Et Christus, Sine me (inquit) nihil potestis facere.

## VIII.

*Confirmatio superioris sententiae.*

Vt enim homo naturæ & hominibus mortuus, nihil eorum, quæ naturæ sunt & hominum, præstare potest: sic neque qui Deo, in peccatis mortuus est, ea, quæ Dei sunt, & veræ pietatis, verè cognoscere, faceréue potest, sed tantum in peccatis foetere, atque cōputrēscere, nisi inde per Christum ex gratia liberetur, inq; vitam reuocetur. Sunt *Eph. 2. 3.* autem omnes homines extra Christum, Spirituque Christi *Ioh. 5. 21.* si non dum renati, verè mortui: vt verè illi dicantur viuificari, resuscitari, renasci, qui per fidem in Christum à peccatis liberantur, Christoque inseruntur.

## IX.

*Errores.*

Damnamus itaque Pelagianos omnes, qui contrarium docent, virésq; liberi arbitrij, contra gratiam Christi extollunt: Nec minus etiam Manichæos, & alios execraramur qui hominem instar trunci faciunt: qui ne in ciuilibus quidem rebus, vlo iudicio, yllāue voluntatis libertate præditus sit.

## CAPVT IX.

## DE PROMISSIONE REDEMPTIONIS &amp; SALUTIS PER CHRISTUM.

*Christum*

## I.

*Christum, cœlestem hominem, ex gratia fuisse promissum, qui nos seruaret.*

Cùm igitur primus & terrenus homo intam miserabilem statum, sua culpa, propter inobedientiam cecidisset, & cum eo simul eius omnes posteri, qui in eo peccarunt, & qui re ipsa concipiendi erant in peccatis, nasciturque filij iræ: Credimus, Deum ex mera gratia & misericordia, Adamo atq; Euæ, & in eis toti humano genere, alium cœlestemque hominem, è vera quidem veræ 48. hominis substantia, sed sine semine viri concipiendum, Mat. 1. 20. eoque & sine peccato è virgine nascitum, promisisse: Luc. 1. 34. in quo, tanquam in altero humani generis capite, ex diuina & humana natura constante, vera Dei Patris imagine, Ebr. 4. 15. Spiritus sancti pleno perficeretur, quod in priori capite Ies. 7. 14. Adamo, ipsius culpa, non successerat: hoc est, vt ipse secundus homo, nomine nostri omnium, qui eramus illi per ipsius Spiritum inserendi, & spirituali regeneratione Rom. 6. 5. futuri caro de carne eius, & os ex ossibus eius, perfectissimè Deo Patri obediret: suaque obedientia & morte, pecatum tolleret, iram Dei placaret, nos redimeret, iustificaret, sanctificaret, suo Spiritu regeret, vera libertate, viribusque ad bonum donaret, & denique in æternam vitam seruaret ac glorificaret.

## II.

*Necessariam fuisse illam de redēmptione per Christum promissionem.*

Adamus enim, non vt priuata persona, sed vt totius humani generis parens & origo, sicut donatus fuerat iustitia, vt eam in posteros omnes tanquam hereditariam propagaret, qua de causa Originalis quoq; iustitia appell-

lari solita est: sic sua inobedientia, loco iustitiae, transmisit in omnes homines summam iniquitatem, omniū m̄q; peccatorum fontem, & loco æternæ vitæ, æternam mortem. Necessarium igitur aliud fuit caput: à quo propter ipsius obedientiam, deriuaretur in omnia membra, vera cœlestisque iustitia, sanctitas, vita. Hoc est Christus.

## III.

*In quem finem fuerit illa promissio, statim post peccatum, facta.*

Credimus autem, ideo statim post peccatum, ab initio mundi factam, & postmodum s̄epius sanctis Patribus repetitam, explicatam, varijsque modis, signis, sacramentis confirmatam & obsignatam fuisse hanc promissionem: vt non solum nos, qui post ipsius Messiae aduentum futuri eramus, verum etiam omnes alij, qui à condito orbe credituri erant huic promissioni, veraque fide venturum hunc Seruatorem amplexuri, per hanc fidem fierent futuræ redēctionis participes, iustificarentur, & seruarentur.

## IV.

*Quotquot à condito orbe, in Christum venturum crediderunt: eos seruatos fuisse.*

Credimus igitur, quotquot à condito orbe in Christum promissum & venturum crediderunt, eos fuisse illi per hanc fidem insitos: futuræ eius obedientiæ, passionis, mortis, redēctionis participes: futurū cius tradendum q; corpus comedisse, & sanguinem fundendum bibisse: & deniq; omnes fuisse Christianos, Spiritu Christi donatos, & in æternam vitam seruatos, non minus, quam nos.

## V.

*Errores.*

Ae

Ac proinde damnamus, & execratur eos, qui dicunt, neminem ante aduentum Christi fuisse seruatum: illósque Patres nullas de æterna salute, sed de rebus tantum temporalibus, accepisse promissiones.

\*

## CAPVT X.

## DE LEGE.

## I.

*Inter promissionem de redēctione per Christum, & eiusdem complementum, legem Mosis intercessisse, & in quem finem.*

Cæterum, inter promissionem de redēctione per Christum, Adamo primum factam, & deinde tum alijs, tum maximè ipsi Abrahæ, clarius explicatam, sacramento circumcisionis obsignatam, ac ceu morte Isaaci primogeniti in sacrificium oblati, confirmatam, foederaque sempiterno stabilitam: & inter ipsum huiusc promissionis complementum, interiecta fuit lex, per Mosen tradita: collecto iam & mirabiliter aucto populo è semine Abrahæ nato, (ex quo & Christus nascitur uerat) & è seruitute Aegypti, admiranda ratione liberato, ut certa & visibilis, atque à cæteris Gentibus separata, & in certo loco coacta, exstaret Deo Ecclesia: in qua custodiretur promissio de Christo Patribus facta, gratuísque Deo cultus exhiberetur, usque ad promissi veri Redemptoris aduentum: Lex, inquam per Mosen à Deo tradita suæ Ecclesie, intercessit, tria præceptorum genera continens: Moralia, quibus cuiusque pietas & vita informaretur: Cerialia, ex quorum præscripto, Ecclesia in externo cultu ac religione regeretur: & Iudicialia, ad totius Rei-

publicæ in rebus politicis & Oeconomicis gubernationem pertinentia: ut hac ratione populus Dei, ex quo futurus erat Christus, & à profanis gentium impiarum mortibus atq; idololatrijs cohiberetur, & in officio atq; obedientia voluntatis diuinæ contineretur, & denique in fide & spe complendæ promissionis de vera per Christum redemtione sustentaretur: atque ita ad excipiendum Christum, indies magis ac magis præpararetur: sicut Deus in illo populo glorificaretur.

## I I.

*In lege Dei, quæcunque ad salutem facta necessaria sunt, contineri.*

Vt verò de postremis duabus totius legis partibus, quæ ad nos non pertinēt, nihil præterea dicamus, sed tantum de priori: Credimus, ea lege, prout in libris Mosis, *2 Tim. 3. 16.* Prophetarum, & Apostolorum explicatur, tam perfectè, quæ ad salutem necessaria sunt, ea explicata fuisse, Deiq; *Deut. 4. 2.* voluntatem, quam à nobis in hoc mundo fieri vult, reuec*& 5. 22.* lati: vt nihil ei addi possit, neque detrahi.  
*6. 12. 32.*

## III.

*Legem decalogi, explicationem esse legis natura, & imaginis Dei picturam.*

\* Credimus enim, hanc legem, explicationem esse legis naturæ, quæ in cordibus quidē primorum hominum perfectè, in aliorum autē imperfēctè & ex parte inscripta fuit: eōq; hac damnari, quæcunq; cum illa imagine Dei, ad quā creatus fuerat homo, pugnat: & contra mandari, quæcunq; cū illa sunt consentanea. Voluisse enim Deum hac lege declarare, & qualis fuerit homo in primo statu: & qualis factus sit in secundo, qualisq; esse debeat: & deum, qualis futurus esset in tertio ex parte, perfectè autē in quat-

In quarto, per Christum: ita ut nihil aliud sit lex Dei, quam vera, & ad viuum expressa imaginis Dei, ad quam creatus fuerat homo, pictura: qua moneamur, quales fucrimus, quales simus, quales esse debeamus, & verò etiam quales futuri simus, si in Christum credamus.

## IV.

*Summam legis ad dilectionem Dei & proximi restringi.*

Credimus verò, & confitemur, quod Christus do. Mat. 22. cuit, summam seu substantiam totius legis, in his duobus 37. præceptis contineri: Diliges Dominū Deum tuū ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis: &, Diliges proximum tuum, sicut te ipsum: quorum primum, summa est prioris, alterum autem summa posterioris tabulæ.

## V.

*Solum Deum esse adorandum, si solus etiam ex toto corde amandus sit.*

Sicutem summa prioris tabulæ, quæ totum cultum soli Deo debitum continet, in dilectione perfecta solius Dei consistit: hinc præter expressa alia Dei mandata, hoc mandatum explicantia, colligimus & credimus, solum igitur Deum adorandum, inuocandum, religiosóq; cultu colendum, pérque nomen eius solius iurandum esse, quod hæc in mandato de solo Deo, ex toto corde, amando, contineantur: vt taceamus, quod etiam imago Dei, cuius pictura est ipsa Lex, hoc idem docebat Adamum.

## VI.

*Ipsam quoque concupiscentiam, naturaq; corruptiōnem esse peccatum.*

Acti

*Ac si lege diuina damnatur peccati , quidquid cum illa prima imagine Dei, id est, cum iustitia, sanctitate, & rectitudine, in qua creatus fuit homo, consentaneum non est: intelligimus, in homine, non solum actiones ex consensu voluntatis contra legem Dei admissas, sed etiam motus cōcupiscentiae, adeoq; & cōcupiscentiam ipsam, totamque naturae corruptionem, esse peccatum, legique Dei, damnari: quia cum rectitudine pugnat atq; iustitia, in qua creatus fuit homo, & in qua conseruare se debuit, & potuit, si voluisset.*

Rom. 7. 7.

## VII.

*Licet seruari non possit Lex : non tamen frustra, neque inutiliter fuisse datam.*

Rom. 7. 101

C. 8. 3.

*Quanquam autem tam perfecta est lex Dei, ut neq; tota, neque semper, neque eo modo, quo debet, seruari ab ylo mortalium potuerit, aut possit: credimus tamen, haud frustra & inutiliter fuisse datam, cum Deus nihil agat frustra, sed omnia ex summa sapientia ad gloriam suam, & ad utilitatem salutemque nostram.*

## VIII.

*Triplex utilitas ex lege Domini.*

*Primum enim ex perfecta voluntatis diuinæ per hanc legem explicatione, melius homines agnoscere poterant & possunt, quid Deo placeat: quid bonum, quid malum, quid faciendum, quid fugiendum sit: quam ex solis reliquijs legis naturæ, in humana mente relatis: eoque, erecto omni ignorationis prætextu, Iudei magis, quam alii gentes, reddebanturn, si legem non seruarent, inexcusabiles: quæ res in magnam cedit gloriam Dco: quando inde homines intelligunt, iustissima esse illius aduersus nos iudicia. Deinde ex additis & maledictionibus*

DE LEGE.

bus aduersus transgressores, & benedictionibus erga obseruatores: homines magis, illarum metu, tanquam fræno, à peccatis admittendis cohíebantur: tūm harum spe, ceu stimulo, ad Legem, si non in totum & perfectè, saltem ex parte, & quo ad externa opera, seruan-dam, incitabantur: atque ita in officio, melius retinebantur: quod quām vtile sit non solum toti Reipublicæ, sed etiam cuiq; homini ita feregerenti, nemo est quin sciatur. Postremo, ex eo, quod homines quotidiana experientia videbant, se semper aduersus hanc tam perfectam legem peccare, sentiebantque se illam non posse, vt decet seruare, eoque se in dies magis ac magis fieri obnoxios iræ Dei, reosque mortis æternæ: fiebat, vt de scipsis déque suis viribus desperati, maiori promissi Redemptoris ac liberatoris desiderio afficerentur. Ac proinde, quò magis per legem cognoscabant peccata sua, & imbecillitatem suam, viuidiusque sentiebant iram Dei: eò etiam auditus esuriebant & sitiebant iustitiam, & ad Christum fide excipiendum disponebantur ac præparabantur: vt verè vtrunque dixerit Apostolus: Et, per legem Rom. 2.20. cognitio peccati: & Lex pædagogus fuit ad Christum. Gal. 3.24.

I X.

*Eosdem usus, legem habere etiamnum, in ipsis quogz renatis hominibus.*

Credimus vero, hosce legis usus, dum sumus in hoc mundo, perpetuos esse: non solum in non renatis, vt dictum est, sed etiam in ipsis renatis, Cùm enim adhuc multis tenebris obducantur mentes nostræ, & memoria sit lubrica, vt non queamus, quæ Dei sunt, aut perfectè intelligere, aut intellecta retinere memoria: opus semper habemus hoc legis diuinæ speculo, in quo, quid à nobis fieri

F

velit Deus, quotidie contempleremur, certiusque in dies intelligamus. Deinde, cum cor etiam nostrum, non sit perfectè ab omni prauitate purgatum, ut plenè affici possit erga voluntatem Dei faciendam, sed caro semper reluctetur spiritui: Idcirco necessaria nobis est lex, quæ suis comminationibus territet nos compescatque à peccatis: & suis promissionibus exstimulet ad obedientiam, faciendamque iustitiam. Deniq;, cum nemo etiam tam sanctus sit, qui in multis non peccet, & qui non habeat in se peccatum inhabitans, à quo imbecilli simus ad bonum, & ad malum semper propensi: idcirco utilis nobis est lex, per quam agnitis peccatis & imbecillitatibus nostris, magis ac magis indies agnoscamus, quæ impossibile sit, ut nos per opera nostra, vlo unquam tempore iustificemur, atque seruemur: eoque maiori desiderio, fame, & siti iustitia Christi afficiamur, fidéque illum amplectamur: atque ita lex, cum nunquam possit iustificare, saltem perpetuò nos ad Christum iustificantem, magis ac magis iustificandos, proprius adducat,

## X.

*Legem moralem, quo ad substantiam, non fuisse per Christum abrogandam.*

Nouimus enim, & credimus, legem, quo ad substantiam doctrinæ, salutarésq; illos usus, de quibus diximus, non fuisse per Christum abrogandam, eoque nec abrogata esse: sed tantum quo ad maledictionem, & condemnationē: quia nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum. Ceterum, ipsa quoque sua condemnatio ut utilis erat lex, & semper est illis, qui nondum in Christo sunt: quatenus ad Christum, ut non condemnentur, impellit.

## XI.

## XI.

## Errores.

Damnamus igitur illos, qui legem hanc, tanquam inutilem & ad Christianos non pertinentem, ex Ecclesia reiiciunt: rursus illos, qui docent, per legem posse hominem, aut in totum, aut ex parte iustificari: cum data potius sit, ut concludat omnes sub peccato, & ducat ad Christum, qui solus tollit peccatum mundi. Atque hæc *Iob. 1. 29.*  
nostra est breuis Confessio de Lege, per Mosen à Deo tradi-  
ta, & per Prophetas explicata, homines ad Christum  
præparante, disponente, adducente: ac proinde, cuius fi-  
nis est Christus, ut scribit Apostolus.

*Rom. 10. 4.*

## CAPVT XI.

DE CHRISTO RE-  
demtore.

## I.

*Summa fidei de persona & officio Christi  
Redemptoris.*

VBI ITA QVE VENIT PLENITVDO TEMPORIS, *Gal. 4. 4.*  
quo promissio redemtionis primo homini facta per se-  
cundum erat complenda: MISIT DVS, Pater ille æter-  
nus, FILIVM SVVM, vnigenitum & æternum, eoque  
Deum verum, eiusdem naturæcum Patre, FACTVM EX  
MVLIBRE, sola sine viri semine, eoque verum quidem  
hominem, sed sine peccato, adeoque verum Christum:  
FACTVM SVB LEGE, eoque & circumcisum, vt eam le-  
gem, nostri omnium nomine, perfectissima obedientia  
impleret: factus Patri obediens usque ad mortem, nem-

pe pro nobis, (cùm enim esset sine peccato, mori non mērebatur) vt eos qui sub legge erant, adeoque omnes electos, **REDIMERET**, sua scilicet obedientia, **Att. 20. 28.** morte & sanguinis effusione, hoc est, infinitæ virtutis (erat enim sanguis Dei) sacrificio, efficacissimōque **πλάνησθε**: redimeret inquam à peccatis ad pristinam Dei imaginem, eoque ad perfectam iustitiam: à morte item, ad æternam vitam: Et à regno Satanæ, ad regnum Dei: **ET ADOPTIONEM FILIORVM RECIPERE MVS**, eoque & in plenam tandem, perfectamque cælestis hæreditatis possessionem, tanquam filij & legitimi hæredes recipemur: Et denique vt omnia, & quæ in cœlis sunt, & quæ in terris, sub uno capite colligeret, sibique adglutinaret, in gloriam Dei Patris. **Eph. 1. 10.**

## I I.

*Christum Redemptorem, verum esse Deum, verumq; hominem.*

**Ioh. 1. 14.** Credimus ergo, Iesum Christum, Filium Dei esse **Mich. 5. 2.** unigenitum, eoque natura Filium, ὁμογενεῖ Patri, & coeterum<sup>1</sup>, **Phil. 2. 6.** verum denique Deum Ichouam: verum item **Ioh. 5. 20.** hominem, ex vero semine Ahrahæ atque Dauidis, sine **Matt. 1. 1.** opera viri, sed virtute tantum Spiritus sancti, eoque in **Heb. 4. 15.** vtero virginis & sine peccato conceptum, atque ex ea na-  
**Matt. 26.** tum, vera anima, mentisque humana præditum, nobisq;  
35. per omnia, deinde peccato, similem effectum: ut verus sit **Athana. in Symb.** Deus ex substantia Patris ante secula genitus, **verus autem homo**, ex substantia matris in seculo natus.

## I I I.

*Solum Filium, Deum esse & hominem simul,  
solumq; Christum.*

Ita verò Filium Dei verum esse Deum simul & hominem,

minem, eoque verum Christum credimus, ut eum etiam solum, tales esse confiteamur: cum neque Patrem, neq; Spiritum sanctum, sed solum τὸν λόγον, carnem esse fa. Ioh. 1.14. & factum legamus: solumq; Filium dicat Apostolus, factum esse ex muliere, eoque & solum passum: quanquam ad creationem naturae à Filio assumitæ, non solus Filius, sed etiam Pater concurrit & Spiritus sanctus.

## I V.

*Filiū factū esse hominem sine ulla sui mutatione, sed tantum humana natura assumtione.*

Credimus autem, Filium Dei, factum esse hominem, nulla facta eius aut in carnem conuersione, aut in carne mutatione, naturæ diuinæ cum humana confusione, sed sola naturæ humanæ, in illius personæ unitate, assumtione: & quemadmodum Athanasius loquitur, non conuersione diuinitatis in carnem, sed assumtione humanitatis, in Deum: ita, vt, quod erat, illud nulla ratione dimiserit, sed, quod non erat, assumserit: Apostolo dicente, Filium assumisse semen Abrahæ: eoque docente, sicut Filius assumens, in rem assumtam mutatus non est, (Deus enim omnino mutari non potest) sed mansit quoderat, à re assumta verè distinctus: sic semen illud assumtum, in rem assumentem minimè conuersum, sed in unitatem duntaxat eiusdem personæ, cum diuina natura unitum fuisse: iuxta illud etiam, Verbum caro factum est. Caro ergo, caro mansit, & in verbum mutata non est.

*In Symb.**Hebr. 2.16**Ioh. 1.14.*

## V.

*Neque naturam assumisse naturam, nec personam, aliam personam, sed personam Filij Dei naturam humanam.*

DE C H R I S T O

46.

Vnde etiam intelligimus, neque naturam diuinam  
trium personarum communem, immo vnam eandemque  
omnium, summisse sibi naturam humanam: neque perso-  
nam, aliam personam, sed tantum naturam. Neque e-  
nim Filius Dei assumisit sibi filium aliquem Abrahæ, sed  
semen Abrahæ, id est, naturam humanam, ex Abraham  
propagatam: eoque agnoscimus non duas in Christo  
personas, sed illam vnam duntaxat, per quam omnia fa-  
cta sunt, & quæ ita perfecta erat, antequam sibi assume-  
ret semen Abrahæ, ut ea assumptione non sit facta, vel alia,  
vel perfectior persona, vel etiam reapse imperfecta.

V I.

Naturam humanam, non ad nouam personam Christo con-  
stituendam, vel priorem perficiendam: sed tantum  
in aeterna illius ac perfectissima persone  
societatem unitatemq; assumtam  
fuisse.

\* Etsi enim in Christo duas agnoscimus naturas, diui-  
nam & humanam: non admittimus tamen, humanam  
ideò assumtam fuisse, vt aut ex hac & illa, tanquam ex par-  
tibus, noua Christo componeretur persona: aut illa pri-  
or & aeterna persona, per nouæ naturæ accessionem, per-  
ficeretur: sed tantum, vt hac in unitatem illius ab aeterno  
existentis & perfectissimæ personæ assumta, Filius Dei  
manens quod erat, fieret quod non erat: haberetq; quod  
pro nobis Patri offerret. Ac proinde non simpliciter  
probamus, si quis dicat, ita personam Christi ex diuina  
& corpore, persona cuiusque hominis constat. Proba-  
mus verò usitatam in Ecclesia phrasin: Christum indui-  
fesse,

se se, seu indutum esse carne nostra. Vnde & Augustinus ait, Christum instar hominis nudi de monte descendens, descendisse de caelo: ascendisse vero, carne nostra, ceu veste, indutum. Hæc enim phrasis, quanquam non ita perfectè explicat vunionem hypostaticam: manifestum tamen discrimen ostendit inter personam Filij Dei assumentem, & inter nostram naturam assumtam. Eandem ob causam amplectimur locutiones illas Patrum, Humanam naturam gestari à Filio DEI: Item, Subsistere in persona Filij Dei & similes, personam Filij Dei assumentis à natura assumta discernentes: docentesque, personam Filij Dei, accessione humanæ naturæ, ne caliam, nec perfectiorem fuisse factam.

## VII.

*Confirmatio superioris sententiae, cum explicatio-  
ne loci Athanasij.*

Fatemur quidem cum Athanasio, sicut anima rationalis & caro, unus est homo, sic DEVM & hominem, unum esse Christum: hoc est, Christum, unam tantum esse personam, licet duæ in eo sint naturæ: verum non sic ex utrâque hac natura, tanquam ex partibus, ( si propriè loqui velimus ) constitui personam CHRISTI, quemadmodum ad perfectam hominis personam constituendam, non minus corpus, tanquam pars essentialis, quam anima necessariò concurrit: cum persona CHRISTI iam esset, cāquic tota & perfectissima, antequam in carne manifestaretur: persona autem hominis, puta Adæ nulla fuerit, antequam cum corpore anima coniungeretur: & cum neque aut anima sibi corpus, aut corpus sibi animam assumat, sicut

1 Cor. 10. 4.

1 Pet. 3. 19.

Filius

Filius Dei, in unitatem eiusdem personæ, semen Abraham sibi assumxit: & cum præterea etiam, corpus & anima, duo sint *vñitatem*, vt in Adami creatione liquet, natura autem humana nunquam per se substiterit, sed tantum in persona Filij Dei: vt admodum iniquè ad sua somnia probanda, hoc pio sancti viri dicto, nonnulli abutantur. Differat enim is qui se se manifestauit (hic autem est persona Filij Dei) à carne in qua se se manifestauit, omnino necesse est: idque non solùm ante, sed etiam post resurrectionem, & ad dextram Patris sessionem: qua (vt ait Augustinus) gloriam quidem attulit carni, sed naturam non abstulit.

## VIII.

*Quomodo Christus una tantum sit persona, eaque æterna & immutabilis, duæ autem in ea naturæ: & quomodo ex ijs constare dici possit,*

Nos itaque agnoscimus & confitemur in Christo, contra Nestorium, vnam tantum personam, eamque æternam, simplicissimam, & perfectissimam, eandemque in sempiternum manentem: personam scilicet æterni Filij Dei. Deinde verò, huic æternæ personæ, non aliam personam, sed aliam naturam, nempe humanam, in tempore accessisse: eamq; non vt partem eius personæ à qua assumta fuit, sed rem longè ab illa diuersam, in illius tamen unitatem, assumtam. Ac proinde tertio loco fatemur, in vna eademq; Christi persona duas iam inesse naturas, diuinam & humanam, in quibus eam subsistere, vivere, & operari non dubitamus: quam ob causam etiam non veremur sic loqui, Christum constare iam diuina, & natura humana in unitatem personæ assumta: atque ex ijs quodam modo compositum esse.

## REDEMTORE.

IX.

4

*Quomodo duas naturas in unam personam unitas sint arg.  
τίλας καὶ ἀνύκοτως : saluis & distinctis utriusq;  
proprietatibus, & actionibus.*

Duas autem has naturas sic in unam Christi personam verè & inseparabiliter coniunctas & unitas esse, credimus & confitemur: vt vtramque tamen integrum, perfectamque, & alteram ab altera verè distinctam permanere, distinctaque suas retinere essentiales proprietates, & operationes, omni prorsus remota confusione, non dubitemus: ita, vt quemadmodum diuina suas retinens proprietates, mansit increata, infinita, immensa, simpliciter omnipotens, simpliciter sapiens: sic & humana suas retinens, maneat creata, finita, certisque finibus terminata: Et sicut diuina, suam habet voluntatem & potentiam, qua Christus vt Deus vult & operatur, quæ Dei sunt: sic humana suam, qua idem Christus vt homo vult & operatur, quæ hominis sunt: vsque adeò, vt Christus, sicut quâ Deus est, non vult nec operatur voluntate & potentia humana: sic neque idem qua homo est, velit & operetur voluntate ac potentia diuina: quemadmodum scitur a Patribus tum aduersus Eutychen, tum aduersus Macrium definitum fuit. Itaq; semper placuit nobis dictum Leonis primi, ad Flauianum, hac de re scribētis, cum ait: Epist. 10.  
Qui verus est Deus, idem verus est homo: & nullum est in cap. 4.   
hac unitate mendacium: dum inuicem sunt & humilitas hominis, & altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo, (id est, humana natura in Christo) non consumitur dignitate. Agit enim vtraque forma, cum alterius communione, quod proprium est: Verbo scilicet operāt quod Verbi est, & carne exsequen-

G

Te quod carnis est. Hæc Leo ille magnus: quæ postea ali-  
quot illustrat exemplis, quibus manifestè demonstratur,  
sicut naturæ in Christo vnitæ quidē sunt, sed distinctæ ma-  
nent, non autem confusæ: sic etiam fuisse & esse actiones:  
quia quæ verbi erant, non præstabat caro, sed Verbum: &  
quæ carnis propria, non Verbum, sed caro. Suscitare La-  
zaram à mortuis, proprium fuit verbi: at clamare, Laz-  
are veni foras, carnis: ad suscitationem tamen Lazari vni-  
ta fuit vtrâque actio, quia ab uno, & in uno Christo fuit, &  
ad vnum opus tendebat: distinctæ tamen fuerunt. Re-  
mittere item peccata, propria fuit actio diuinæ naturæ:  
at dicere, Remittuntur tibi peccata tua, humanæ. Cœ-  
cum à nativitate illuminare, actio fuit diuinæ: at impo-  
nere lutum super oculos, & dicere, Vade & laua, huma-  
næ naturæ. Unio igitur hypostatica, sicut non confun-  
debat naturas, sic neque actiones, sed distinctas retinebat:  
ac proinde neque proprietates naturarum. Sunt enim  
hæc tria in eadem persona Christi, Naturæ, Naturarum  
proprietates ac facultates, & harum actiones: & eodem  
modo se habent in Christo naturarum proprietates, quo  
& naturæ, & actiones. Ut igitur manifestum est, naturam  
in naturam non transfundi, neque actionem cum actio-  
ne confundi: sic etiam perspicuum est, proprietates eo-  
dem modo se habere.

## X.

*Transfusionem veram atq; realem diuinarum proprietatum in  
humanam Christi naturam: ex unione natura-  
rum, minimè probari posse.*

Probamus enim axioma Patrum contra Eutychia-  
nos & Monothelitas: nimirum, quorū sunt eadem essen-  
tiales proprietates, corum etiā easdem esse naturas atque  
essentias:

essentias: & quorum naturales proprietates confunduntur, eorum etiam naturas confundi. Quod cum per se verum sit in omnibus, tum verò maximè in Deo: in quo proprietates essentiales, nil aliud recipi sunt, quām ipsa essentia: ut omnino necesse sit, si illæ possunt reuera & propriè alicui substantiæ creatæ communicari, ita ut talis fiat, qualis est Deus, putà, simpliciter omnipotens: essentiam etiam ipsam diuinam eidem communicari posse: ita ut fiat æqualis Deo τὴν ὄντα, eóq; Deo ὁμογένης, si etiam fit, eidem æqualis, τὴν διωκτικήν, id est, potentia, aut alia proprietate. Ita hīc duplex, illudque graue admittitur peccatum: vnum, quod, dum, quæ propria sunt Dei, verè & propriè communicamus creaturæ, creaturam exæquamus Deo. Neque valer exceptio, Deum eas ex se habere, humanam autem naturam in Christo, habere à Deitate. Nam etiam Filius à scipso non est, nec à seipso habet essentiam diuinam, sed à Patre: interim tamen æqualis est Patri, & eandem habet cum Patre naturam. Alterum est, quod dum diuinæ cōque infinitas proprietates, puta, infinitam potentiam attribuimus humanæ naturæ: eam spoliamus sua finita & propria: non secus, quām gloria resurrectionis spoliabit corpora nostra, ignominia suæ corruptionis, cùm illa ijs verè communicabitur: & non secus etiam, quām immensa lux Solis, si transfundatur in aërem, qui lumine tantum candelæ illustrabatur: lumen illud absorbet. Si enim omnia agit & operatur potentia infinita: finita fuerit otiosa, eóque nulla. Cæterū cùm hæc hæresis nostro etiam seculo à plerisque doctis viris satis abundè & perspicuè sit refutata: nos, qui breuem simplicemque nostræ fidei confessionem Ecclesiæ Dei, totique posteritati exhibemus: nihil aliud ijs, quæ dicta sunt, addere voluimus.

## DE CHRISTO

## XI.

*Vis vnionis hypostatica quanta sit.*

\* Interim tantam esse vim vnionis naturarum in persona Christi, credimus & confitemur: vt primùm quidem, quod est aut agit Christus secundum naturam diuinā, id totus Christus, filius hominis, esse, aut agere dicatur: & contrà, quod est, aut agit, aut passus est secundum humanam, id, totus Christus Filius Dei Deus, esse, agere, passus fuisse in Sacris literis prædicetur: vt illud, Deus (id  
*Aet. 20. 28.* est, Christus homo & Deus) redemit Ecclesiam sanguine suo: cum vis redemptionis, ad Deitatem sanguinis effusio, ad humanitatem duntaxat pertineat. Coniunguntur tandem ambæ hæ actiones in vnum, dèq; toto Christo vtraq; simul prædicatur: quanquam distinctæ fuerunt & sunt: quoniam naturæ etiam, licet distinctæ, in vna tamen Christi persona copulatae sunt. Imò nihil egit vñquam aut agit Christus Mediator secundum humanitatem, cui non sit cooperata & cooperetur diuinitas: & nihil secundum deitatem præstigit, cui non aut subseruerit aut consenserit humanitas: vt meritò omnes Christi Mediatores operationes à Patribus vocatae sint *Teardērū*. Secundo loco, Sicut tanta est vis vnionis, qua est inter Patrem & Filium, vt etiam nihil agat, nilque boni Mundo communicit, nisi per Filium: sic tanta etiam est vis vnionis hypostaticæ duarum naturarum, vt nihil gratiæ, nihil salutis, nihil vitæ in nos à deitate, nisi per humanitatem, fide à nobis apprehensam, fluat: vt omnino necesse sit carnem Christi copulari, si quis vitæ æternæ particeps esse velit: quò pertinet illud Christi: Nisi manducaueritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Denique efficit, vt Deitatem in Christo adorare non possimus, nisi simul etiam humanam in eo naturam adoremus: vt que  
*lib. 6. 53.* omnino

omnino vna tantum adoratione, à nobis adoranda sit, tūm humana tūm diuina natura, iuxta illud: Et cum introducit primogenitum in orbem terrarum, ait: Et adorant eum omnes Angeli cius: Eum (inquit) id est, totum, Deum & hominem simul: cum tamen humana natura, per se & in se sola considerata, adorari non possit nec debeat. Solus enim Deus adorandus est, Sed vnio, non qualiscunq; sed hæc hypostatica diuinæ naturæ cum humana, hoc efficit. Proinde licet in sanctis habitet Deus: adoranditamen non sunt, nec inuocandi, sicut Christus homo. Magnam igitur vim esse fatemur huiusc vniuersa qua de loquimur: sed vniōem tamen esse dicimus, quæ omnem excludat confusionem & transfusionem. Si enim vnio inter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, in vna essentia, qua vniōne maior esse excogitarue nulla potest, distinctionem non tollit personarum: neq; etiam vnio hæc naturarum, eoque & proprietatum & actionum in vna persona, eorum distinctionem tollere potest, & confusionem inducere.

## XII.

*Christum, quā homo est, donatum esse, maxima quidem: sed tamen finita potentia, alijsq; donis.*

Credimus denique Christum, sicut quatenus Deus est, simpliciter est omnipotens, simpliciterque sapiens, & sic de alijs omnibus attributis: ita quā homo est, donatum esse à Patre, potentia, & scientia, omnium rerum creatarum tam cœlestium quam terrestrium potentiam & scientiam longissimè, & infinitis penè partibus superante, finita tamen idémque de alijs donis, & virtutibus omnibus, caritate, prudentia, fortitudine, iustitia, gratia,

Ref. II. 2. veritate, & alijs, de quibus Iesaias, Et requiescat super  
 Ioh. I. 14. eum Spiritus Domini, &c. Et Iohannes, Plenus gratia &  
 Lvc. 2. 52. veritate. Item Lucas, Proficiebat sapientia & gratia co-  
 ram Deo & hominibus. Qua de causa, dicitur etiam quâ  
 Eph. I. 21. homo, exaltatus esse supra omnes principatus & potestas-  
 Ioh. 3. 34. tes: Item, Datum ei esse Spiritum non ad mensuram:  
 Col. 2. 3. Item, In ipso esse thesauros sapientiae & scientiae abscondi-  
 tos. Vnde fit, vt quâ homo est, nihil non sciat, nihil  
 non possit eorum, quæ ad suum pertinent officium: quæ  
 verò à nulla creata substantia, sed à solo Deo præstari pos-  
 sunt, ea ab ipso fieri potentia Deitatis, voluntate tamen  
 humana semper suo consensu & ceu supplicatione ac-  
 cedente: ita vt ad omnes Christi, quatenus Deus est, a-  
 ctiones ad salutem nostram pertinentes, anima saltem  
 ipsius semper aliquo modo accedat, amore, desiderio &  
 voluntate: sicut etiam in omnibus quæ egit vt homo,  
 semper concurrit Deitas, in ipsa etiam passione & morte:  
 non quod Deitas passa sit, sed quod & passionem & mor-  
 tem Christi voluerit, passionique & morti vim dederit  
 infinitam, qua peccata nostra possent expiari: Ad sum-  
 mam, De duabus naturis in Christo, déque illarum vni-  
 one, & proprietatibus, credimus quidquid in Concilio  
 Niceno, Constantinopolitano, Ephesino & Chalcedo-  
 nensi, aduersus Arium, Apollinarem, Nestorium, Euty-  
 chen: quæ item in sexta Synodo aduersus Monothelitas,  
 definita fuerunt.

## XIII.

\* *Duo actionum Christi genera: ac quæ legitur egisse aut  
 passus esse, ea omnia, secundum rei veritatem, &  
 non secundum inanem speciem, gesta  
 ab illo fuisse.*

Nunc

## REDEMTORE.

55

Nunc vt à persona Christi, eiusque Naturis, naturā  
rūmque vniōne, peculiariter ad eius actiones, officiumq;  
transēamus: principio credimus, sicut dīe sunt verā in  
Christo naturā, quarum vtraque suas habuit & habet ve-  
ras essentialēsque proprietates, coniunctas quidem,  
quemadmodum & naturā vnitā sunt, sed non simul con-  
fusas: sic duo etiam esse actionum genera, quas pro no-  
stra salute, partim præstisſe, partim etiamnum præstare  
Dominus noster Iesuſ Christus legiūr: alias, quæ ab ipsa  
Deitate fluunt, alias quæ ab humanitate: & eas quidem  
ita partim fuisse & partim esse simul coniunctas, sed ta-  
men distinctas, vt vtraque forma, (ſicut loquitur Leo )  
cum alterius communione ſemper agat, verbo, quæ ver-  
bi ſunt faciente, & carne, quæ carnis ſunt, exſequente.  
Deinde, ſicut quæ virtute naturā diuinā egit Christus &  
agit, vera & non simulata ſunt opera, ( verè enim nos re-  
conciliauit Patri, verè remittit peccata, verè ſanctificat  
& regenerat: ) ſic etiam quæcunque ſecundum huma-  
nam naturam pro nobis egiffe aut paſſus eſſe legitur, ea  
omnia verè, & reiſa, non autem ſecundum inanem tan-  
tū ſpeciem, atque (vt loquuntur) apparentiam, illum  
egiffe & paſſum eſſe credimus.

## XIV.

*Explicatio superioris ſententia.*

Credimus ergò, C H R I S T U M, ſicut verè conce-  
ptus eſt ex ſemine D A V I D I S, veréque & verus natus eſt  
homo, veréque edit, bibit, aliisque humana præſtitit  
opera: ſic etiam verè legem pro nobis feruaffe, verè  
carne paſſum eſſe & mortuum veréque à mortuis in  
eadem carne resurrexiſſe, ſuóque viſibili, palpabi-  
li, vero,

1 Pet. 4. 1.  
LUC. 24. 39

*Heb. 11. 10.* li, verò, certisque dimensionibus terminato humano  
*Eph. 4. 10.* corpore, in verum & creatum cœlum, supra omnes hosce  
*Acto. 3. 21.* aspectabiles cœlos positum, ascendisse: atque ibi pro sua  
*Eph. 1. 22.* libera voluntate agere & manere: donec in eodem visi-  
*Or. 4. 16.* bili corpore verè è cœlo redeat, iudicaturus viuos &  
*Eph. 1. 22.* mortuos: verè etiam in cœlo nostram salutem velle: no-  
*Or. 4. 16.* stri curam gerere: in nos, tanquam in sua membra, spir-  
*Eph. 1. 22.* tualem vitalémq; motum & sensum influere, totam de-  
*Or. 4. 16.* nique Ecclesiam regere.

## X V.

*Fructus obedientia, passionis, mortis, & resur-  
 rectionis Christi.*

Credimus vero, Christum sua perfecta obedientia, non solum sibi, sed etiam nobis vitam æternam prome-  
*Aplo. 20. 5.* ruisse: sua passione & morte, peccata nostra in sua carne  
*Eph. 1. 20.* expiisse: nos è manibus Satanæ & à mortis tyrannide,  
*Aplo. 20. 5.* peccatique seruitute redemisse: Deo in seipso reconciliasse, carosque reddidisse, vt iusti in ipso apud Deum Pa-  
*Eph. 1. 20.* trum censemur: Resurrectione verò & Ascensione in  
*Eph. 1. 20.* cœlum, resurrectionem quoq; nobis vtrámque, primam  
*Eph. 1. 20.* scilicet & secundam, vt Iohannes loquitur, impetrasse:  
*Eph. 1. 20.* coelestisque hæreditatis possessionem nostro etiam no-  
*Eph. 1. 20.* mine sibi accepisse: federéque ad dextram Patris, hoc est,  
*Eph. 1. 20.* imperium super omnia in cœlo & in terra accepisse: ita  
*Eph. 1. 20.* vt, quatenus Mediator & homo est, secundum à Patre ob-  
*Eph. 1. 20.* tineat locum: caput totius Ecclesie, tam quæ in cœlis est,  
*Eph. 1. 20.* quam quæ in terris, constitutus: vt ex ipso, adeòq; ex ipsius  
*Eph. 1. 20.* carne, quidquid ad nostri vivificationem spiritualémq;  
*Eph. 1. 20.* vitam pertinet, illud in eos, qui ipsi tanquam membra  
*Eph. 1. 20.* capiti adglutinati sunt, deriuetur per Spiritum sanctum.  
 Ac proinde agnoscamus, credimus & confitemur in uno  
*Eph. 1. 20.* Christo

Christo totam salutem, redemtionem, iustitiam, gratiam Dei, vitam æternam, positam esse: iuxta illud, Qui <sup>1 Cor. 1. 30.</sup> factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, redemtio: Item, Ipse est pax nostra: Item, Iehoua iustitia <sup>Eph. 2. 14.</sup> nostra: In ipso habemus redemtionem per sanguinem <sup>Ier. 23. 6.</sup> eius, remissionem peccatorum: Item, Complacuit in ipso <sup>Eph. 1. 7.</sup> omnem plenitudinem inhabitare: Item, Vita in Filiu eius est: <sup>Col. 1. 19.</sup> eoque intelligimus, quæ de Redemtione facta fuerat primo homini promissio, eam in hoc altero homine Iesu Christo, suum accepisse complementum: ita, ut, qui vult eius fieri particeps, Christo capiti adglutinetur, eiisque fiat membrum, omnino necesse sit. Non solum enim per ipsum ut Mediatorem: sed in ipso ut in capite, habemus redemtionem & salutem. Hæc nostra est fides de Christo Redemptore, de eius persona, naturis, officio, salutéq; humani generis in ipso completa atque deposita,

## XVI.

## Errores.

Itaque damnamus omnes tam veteres quam nos hæreticos, qui contraria vñquam docuerunt aut docent: Arium, Photinum, & nominatim Seruetum, & omnes alios huius farinæ impios homines, qui veram Christi Deitatem negarunt: Cerdonianos, Marcionitas, Valentinianos, Manichæos, Priscillianitas, Apollinaristas, & alios, qui veram Christi humanitatem oppugnarus: alijs negantibus, Christum in carne venisse, veramque carnem habuisse: phantasticum autem corpus è cœlo cum attulisse, aut ex elementis, non autem ex semine Abraham conceptum habuisse, ex foemina item natum non fuisse contendentibus: alijs veram quidem huma-

nam carnem concedentibus, sed cum anima rationali spoliantibus, & Deitatem in locum animæ substituentibus: Nestorianos item, qui veram vniōnem naturæ humanae cum persona Filij negarunt, & duas in Christo personas, duosque Filios, Filium Dei, & Filium hominis statuerunt. Nec minus damnamus Eutychianos, qui contrâ, sicut vna tantum persona est Christus, sic etiam vnam in eo duntaxat naturam, diuinam scilicet reliquerunt: humanam, quam aslumserat, aut in diuinam prorsus conuersam esse docentes: aut ita cum diuina permixtam & confusam fuisse: vt nullam amplius inter proprietates & actiones diuinæ & humanæ naturæ differenciam in eo reliquerint. Damnamus etiam, qui ex ijs prodierunt, Macarius cum suis: qui vnam tantum in Christo posuerunt voluntatem, diuinam scilicet, eoque nullam humanæ voluntatis propriam actionem in Christo admiserunt. Damnamus item Cerdonianos hac etiam in parte, qua dicebant, C H R I S T U M non verè passum, nec verè mortuum fuisse, sed simulasse passionem, seu, vt alij loquebantur hæretici, putatiū passum & mortuum esse: eoque & cum ijs damnamus omnes, qui similia docuerunt aut docent, nimirum, Christum aut non verè in ea carne, qua mortuus fuerat, sed in alia diuersæque naturæ resurrexisse: aut, si in eadem resurrexit, non tamen verè in cælum ascendisse, eamque cœlo intulisse, locumue mutasse. Damnamus item cum Hieronymo, Cyrillo, & alijs Patribus, Origenistas & horum similes, qui docuerunt, Christum resurrexisse cum corpore instar spiritus, subtilissimo, & sua natura inuisibili, & quod sub nullos cadat sensus: Illos item, vt Iudeos & Turcos, qui beneficio mortis Christi mundum esse redemptum negant: nec non denique omnes, qui in alia re,

alia re, quām in solo Christo salutem vel ex parte vel in totum positam esse contendunt: & alijs etiam sacrificijs, præter illud vnicum Christi, peccata expiari aut remitti blasphemant. Vnicum enim agnoscimus Redemptorem Iesum Christum, extra quem, sicut nullus est verus Deus, sic nulla vera salus: & vnicum sacrificium, cuius oblatione semel facta, non solum peccata omnia electorum fuerunt in persona Christi semel expiata, sed etiam quotidiè in finem usque mundi iam expiata condonantur credentibus.

## CAPVT XII.

D E V E R A R E D E M T I O N I S,  
salutis, & vitæ, quæ in uno Christo posita  
est, dispensatione: eoque de necessa-  
ria cum Christo unione  
ac nouovia.

## I.

*Salutem & vitam æternam in Christo posi-  
tam esse, ut inde nobis commu-  
nicetur.*

Credimus, sicut peccatum Adæ, & quæ illud secuta est mors, non in solo Adamo permanxit: sed ex illo, tanquam ex capite totius humani generis, in omnes homines, qui per communem generationem ex ipso natuRom.5.12. sunt & nascuntur, permanauit, atque permanat: sic etiam Christi iustitiam, & quæ illi debetur, vitam æternam, non in solo Christo retineri, sed in omnes, qui

cum ipso per regenerationem Spiritus sancti unum fiunt,  
ipsique tanquam capiti totius Ecclesiae, seu vera mem-  
bra adglutinantur, deriuari: atque in hunc finem & Chri-  
stum venisse in carne, & totam in eo, tanquam capite, sa-  
ludem ac vitam positam esse: ut scilicet, omnibus electis  
ipsi unitis, re ipsa dispensetur ac communicetur.

## II.

*Omnibus quidem gratiam redēctionis, & salutem serio  
offerri: re ipsa tamen, non nisi electis, qui unum  
cum Christo fiāt, commu-  
nicari.*

*Mar. 16, 15.* Credimus enim, licet omnibus hominibus per Eu-  
*& 16.* angelij prædicationem gratia redēctionis, salus ac vita  
æterna à Deo dispensanda, serio proponatur, (quod enim  
permulti huius non fiāt participes, ipsorum fit vitio ac  
culpa:) re ipsa tamen non communicari, nisi ijs, qui, cum  
ab æterno in Christo tanquam omnium electorum capi-  
te, ad hoc, ut eius membra, eoque salutis participes fie-  
rent, electi ac prædestinati fuerint, postea suo tempore  
per Euangeliū vocati, fidēque donati, per Spiritū  
sanctū, Christo inseruntur, unūque cum illo si fiunt.

## III.

*Ad veram salutis participationem, quam necessaria sit  
vera unitus rei via, cum Christo.*

*Ioh 15, 1, 2.* Quemadmodum enim neque palmes à vite, neque  
*3, 4, 5, 6, 7.* ramus ab arbore succum vitalem, neque membra à capi-  
te motum, sensum, vitamque haurire possunt, nisi verè  
& illi, vita atque arbori, & hæc capiti adglutinata sint: sic  
neque homines à Christo, in quo sola posita est, salutem  
vitamque percipere queunt, nisi verè ei inserantur ve-  
raque.

D I S P E N S A T I O N E.

61

rāque & reali vnione copulentur, copulatique in eo ma-  
neant.

I V.

*Nos non posse vniri Christo, nisi ipse prior  
se nobis vniat.*

Cūm ergò tota verē iustitiae, salutis, vitæque parti-  
cipatio, ex hac per necessaria cum Christo *reunivia*, pen-  
deat, & ad hanc tum Euangelij prædicatio, tum omnium  
Sacramentorum administratio, adeoque totum mini-  
sterium Ecclesiasticum referatur: idcirco, quæ de hac re  
sit nostra fides, breuiter & perspicuè, quoad eius fieri po-  
tuit, certis, quæ sequuntur, Thesibus toti Ecclesiæ Chri-  
sti explicare, testatūmque facere voluimus. Ac primùm,  
credimus, sicut ideò diligimus Christum vt ait Iohan-  
nes, quia ipse prior dilexit nos: & ideò ad eum nostro Spi-  
ritu accedimus, quia ipse prior suo ad nos venit: & ideò  
illum fide amplectimur, quia ipse prior vi sui Spiritus  
nos complexus, excitat in nobis fidem: sic etiam nos non  
posse illi adhæcere, & vniri, nisi ipse prior se nobis ad-  
iungat atque vniat. Vna enim, causa est alterius: prior  
posterioris. Quare precibus agendum esse, vt ipse ad nos  
veniat, & mansionem apud nos faciat.

*De nostro  
vix cum  
Christo.*

*Ioh. 4.10.*

*Ioh. 14.23.*

V.

*Unio Christi nobiscum, & nostri cum Christo, quo-  
tuplex: & quomodo sint inter se  
ordinatae.*

Triclicem porrò Christi nobiscum, & vicissim no-  
stricūm Christo coniunctionē agnoscimus vnam: in no-  
stra natura semel factam: alteram, quæ sit quotidie in sin-  
gulis electorum personis, sed peregrinantibus à Domino:

Et postremam, quæ futura est itidem cum Domino, in personis nostris, sed præsentibus ad Dominum: cùm scilicet Deus erit omnia in omnibus nobis. Ac prima quidem refertur ad secundam, & secunda ad tertiam: sicut natura ordinata est ad gratiam, & gratia ad gloriam. Nam prima etiam facta est per assumptionem naturæ nostræ, in unitatem personæ τῆς λόγου. Secunda fit per assumptionem personarum nostrarum in gratiam inque corpus unum cum ipso mysticum, atque adeo in participationem naturæ ipsius diuinæ, ut Petrus loquitur. Tertia fiet per assumptionem itidem nostri omnium in gloriam cum Christo sempiternam. Neque dubitamus, quin CHRISTVS nobis voluerit priore, posteriore: & posteriore, postremam præmonstrare: ut ex iam facta, in spe eius quæ facienda erat confirmaremur.

## VI.

*Sicut unio prima facta est, ut expiarentur peccata: sic secundam fieri, ut expiationis huius siamus participes.*

Credimus igitur, (ut iam omissis, quæ ad rem præsentem non pertinent, proprius accedamus) Filium Dei ex æterna Patris, eoque & sua & Spiritus sancti voluntate, quemadmodum, ut in seipso nostra expiat peccata carnem nostram, hoc est, naturam humanam, vi Spiritus sui in utero virginis conceptam, sibi ipse in unitatem personæ assumuit, inque ea legem Dei pro nobis perfectissimè impleuit, factus Patri verè obediens usque ad mortem, & tandem ea carne in sacrificium pro peccatis nostris oblata, æternam salutem nobis in seipso comparauit: sic etiam, ut huiusc salutis, sacrificio carnis suæ, nobis iam partæ,

partæ, nos re ipsa participes efficeret, alio vnionis genere, singulos electos sibi assumere atque adglutinare voluisse, & consueuisse: tali nimurum copulatione, quam cum ipso, licet non in vnam personam, in vnum tamen verum mysticum corpus, cuius ipse sit caput, & nos singuli membra, vni amur, siam usq; participes diuinæ ipsius naturæ.

## VII.

*Vi Spiritus sancti, vi prima facta est: ita alteram fieri,*

Neque dubitamus, quin Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus, sicut in prima vnione, carnem & sanguinem nostrum sibi copulauit, virtute sui Spiritus: (fuit enim conceptus homo de Spiritu sancto, eoque sine peccato: qua etiam de causa, homo coelestis appellatur:) sic etiam in secunda suam vicissim carnem, & suum sanguinem, seque totum nobis communicet, eaque communione nos sibi consociet, adglutinet, atque incorporet, efficacitate eiusdem sui Spiritus: vt semper copula, qua vt Christus nobis, sic nos vicissim Christo coniungimur, sit idem Spiritus Christi: qui sicut in vtero virginis efficit, vt Filius Dei factus sit caro ex carne nostra, & os ex ossibus nostris: Sic etiam in cordibus nostris operando, & nos Christo incorporando, efficit, vt vicissim ipsi, participatione corporis & sanguinis Christi, simus os ex ipsis, & caro de carne eius: præsertim cum fidem

etiam in nobis excitat, qua Christum prove-

ro Deo & homine, eoque pro perfecto

Seruatore, agnoscamus, &

complectamur.

## VIII.

## VIII.

*Vnionem nostri cum Christo, ita spiritualem esse ut  
tamen sit vera atque realis.*

\* Ita credimus, hanc quoque alteram vniōnem, non se-  
rē minus, quam priorem ( si ita loqui liceat) sic spiritua-  
lem esse, vt tamen sit vera atque realis: Quia per Christi  
Spiritum, nos licet in terris existentes, cum Christi cor-  
pore, sanguine, & anima in cœlo regnantibus, cūmque  
natura ipsius diuina in nobis manente, reapse & verè co-  
pulamur: usque adeò, vt mysticum hoc corpus ex Chri-  
sto tanquam capite, & ex fidelibus tanquam membris  
cohērens, nonnunquam Christus simpliciter appelletur.  
*\*Cor. 12.12* Tanta est Christi cum suis fidelibus, & horum cum Chri-  
sto coniunctio: vt haud malè dici quodam modo posse  
videatur, sicut prima vniō facta fuit ex duabus naturis in  
vna persona: ita hanc fieri ex multis personis, in vnam  
eū naturam: iuxta illa dicta, vt diuinę efficeremini con-  
*2 Pet. 1.4,* sortes naturę: &, Sumus membra corporis eius, ex ossi-  
*Eph. 5.30.* bus eius & ex carne eius.

## IX.

*Confirmatio superioris sententiae, quām arcta  
sit hac vniō.*

Quemadmodum enim Anima in homine, quia vna  
& eadem, ac tota non minus in capite, singulisque mem-  
bris est, quām in toto simul corpore, efficit, vt singula  
membra in vnum corpus sub uno capite vniāntur & coa-  
lescent: sic etiam vi spiritus Christi, quia unus atq; idem  
est in Christo & in singulis fidelibus, fit, vt omnes tum a-  
nimis tum etiam corporibus in vnum spiritualiter con-  
nexi, vnum & idem corpus cum Christo capite simus:  
corpus

## DISPENSATIONE.

65

**corpus inquam mysticum & spirituale, quia nexus arcano eiusdem Spiritus, connexum & compactum est.**

## X.

*Vnionem hanc, quia fit vi Spiritus sancti, impedi-  
diri vlla locorum distantia non  
posse.*

Vnde & sequitur, nulla, quantumuis magna loco-  
rum distantia, vunionem hanc veram atque realem, licet  
spiritualem, nostrorum corporum nostrarumque ani-  
marum, cum corpore & anima Christi, impediri posse:  
quippe quae fit efficacitate talis Spiritus, qui à terra usque  
in coelum & ultra pertingit: membraque Christi in terris  
existentia, cum capite in coelo, ad dextram Patris seden-  
te, non minus arcte in unum coniungit, quam anima ho-  
minis pedes ac tibias, reliquaque membra cum capite in  
vitum corpus adglutinat: etiamsi talis homo tam ma-  
gnus esset, ut eius caput pertingeret usque ad nonā sphæ-  
ram, & pedes in terræ centro residerent. Tanta est ani-  
ma vis: quanta verò Spiritus sancti, veri & omnipoten-  
tis Dei?

## XI.

*Spiritum, quo fit haec vnio, donari à Christo, ad prædica-  
tionem Euangelij, & Sacramentorum  
administrationem.*

Hunc porro Spiritum, quo Christus & seipsum no-  
bis, & nos sibi copulat, suamque cum nostra, nostramque  
cum sua coniungit carnē: credimus, ab ipso Christo, pro  
sua quidē gratia, quādo & ubi & quomodo vult, ordinariē  
tamen ad prædicationem Euangelij & Sacramentorum  
administrationem nobis communicari. Cuius rei visio-

I

bile testimonium fuit, cum in nascente Ecclesia, illi qui  
fide amplectebantur Euangelium, & baptizabantur in  
nomine Christi, aut super quos imponebantur manus,  
præter inuisibilem gratiam regenerationis, varia etiam  
& sensibilia dona Spiritus percepisse leguntur.

## XII.

*Hanc unionem, finem esse præcipuum Euangeliij  
& Sacramentorum.*

Vnde etiam haud difficulter intelligimus, quis præ-  
cipuus finis sit tum prædicationis Euangeliij, tum admi-  
nistrationis Sacramentorum: nempe hæc cum Christo  
Filio Dei incarnato, proque nobis passo & mortuo, nunc  
autem in cœlo regnante, salutemque ac vitam suis ele-  
ctis communicante, *renovatio*: hîc incoata, in cœlo autem  
perficienda: vt nimirum ex hac porrò nostri cum ipsius  
carne & sanguine, totaque eius persona, verâ & reali co-  
pulatione, salutis quoque æternæ, quæ ab ipso parta, in  
ipso etiam residet, participes siamus.

## XIII.

*Unionem hanc non esse imaginariam, nec fieri participa-  
tionem tantum donorum, sed communicatio-  
ne substantia.*

Ceterum, idèò præsentem hanc nostri cum Chri-  
sto incorporationem, veram & realem, substantialémq;  
esse diximus: vt occurreremus illi errori, quo quidam ex-  
istimant, imaginariam duntaxat quandam, eoque fal-  
sam à nobis singi vniōnem: aut non aliam veram statui,  
quām quæ fiat participatione spiritualium donorum, &  
gratiæ Christi, absque communicatione substantiæ car-  
nis & sanguinis ipsius.

## XIV.

## XIV.

*Vnionem, non alia fieri ratione, quām per Spiritum  
sanctum & fidem.*

Sed rursus, ne alij hinc falsò elicerent, tales à nobis concipi vniōnem, quæ aut cum carne Christi in his terris realiter existente, per physicum aliquem fiat contactum siue crassum siue subtilem, qualiter sensilia omnina vniuntur cum sensibus, alia crassiore, alia subtilior modo: aut quæ cum eadem in coelis manente, per species in mente (vt loquuntur Philosophi) intelligibiles fiat, qualiter omnia, quæ intelliguntur, vniuntur cum intellectu, illa per imagines quasdam percipiente: Idcirco adiecimus modum, quo haec vniō atque incorporatio fiat: nempe, per Spiritum Christi, nobis communicatum, reapse in nobis manentem, Christo que nos copulantem, & excitata fide, vt Christum amplectamur, efficientem.

## X V.

*Confirmatio utriusque capitū: nempe, vniōnem essentiālem esse, sed per solum Spiritum fieri, nostramq; fidem.*

Vtrumque enim, nimirum, copulationem hanc, & essentiale esse, & per solum Spiritum sanctum fieri, per que nostram fidem: copiosè simul & dilucidè tradunt sacræ literæ. Apostolus scribens ad Ecclesiam Ephesiam, quia sublatis inimicijs per Christum, & diruto maceræ interstitio, reconciliati fuerant Deo & inter se Iudæi & gentes, duo diuersissimi populi, omnésq; Christo per eundem Spiritum sanctum insiti, & renati: Idcirco minimè dubitauit dicere, conditos esse ambos non in vnum populum (vt dicendum esse videbatur): sed

*Eph. 2. 14.  
15. 16.*

melius hanc vunionem, quam arcta sit, exprimendi causa  
**IN VNVM NOVVM HOMINEM**, in ipso Christo. Ergò  
 quia omnes uno codémque Spiritu, tanquam vna ea-  
 démque anima renati, viuimus, & vni capiti Christo ad-  
 glutinati sumus: meritò vnuus homo nouus, omnes simul

*Eph. 4. 15.* appellamur. Et in eadem epistola, arctissimam hanc &  
 essentiale incorporationē describens, comparat Christum  
 capiti, nos omnes membris, cum capite per neruos,  
 iuncturas, & ligamenta connexis & coagmentatis: quæ  
 vitæ motumq; à capite hauriunt. Qua similitudine nihil  
 ferè frequentius est in sacris literis: vt hinc qualis & quāta  
 sit nostri omnium cum Christo, propter Spiritum eius in  
 omnibus renatis inhabitantem, coniunctio, facilius &

*Eph. 2. 20.* clarius intelligeremus. Eandem ob causam idem Apo-  
 stolus comparat Christum fundamento, fideles omnes  
*21. 22.* lapidibus, ( sed viuis, sicut & fundamentum, vt possint ab  
 illo accipere incrementum ) fundamento ipsi superstru-  
 ctis: ex quibus omnibus totum ædificium coagmentetur  
 & crescat in templum sanctum in Domino per Spiritum  
 sanctum: id quod ante Apostolum fecerat Christus ipse

*Mat. 16. 18* non semel, faciens se fundamentum, Ecclesiam autem  
 ædificium, reipsa fundamento innixum, & inseparabili  
*Ioh. 15. 1.* nexu adglutinatum. Eodem pertinet, quod Christus vo-  
 cat se vitem, nos verò palmites: qui à vite vitam succūm-  
 que haurientes, viuimus, fructusque proferimus bonos.

*Rom. 11. 17.* Idem demonstratur similiarboris & oliuæ, cui fideles tan-  
 quam rami excisi ab oleastro, insiti sunt, vt bonas oleas  
 proferre possint. Inseruntur autem per Spiritum san-

*Phil. 2. 1.* tum, & fidem. Unde ad Philippenses, communio Spir-  
*Eph. 3. 17.* tus vocatur: pérque fidem Christus dicitur habitare in  
*Eph. 1. 32.* cordibus nostris. Neque obscurum est, quod Apostolus  
 incorporationem Ecclesiæ cum Christo, & Chrtisti cum  
 Ecclesia,

Ecclesia, singulisque fidelibus, coniugium vocat iuxta  
consuetudinem Prophetarum: in quo, duo, vna fiunt ca-  
ro. Erunt duo in vnam carnem, dixerat Deus: Aposto-  
lus autem, Mysterium (inquit) hoc magnum est. Ego  
autem dico in Christo & in Ecclesia. Illud vero semper  
occurrit, quod Iohannes scribit de hac vniione, dēq; Spi-  
ritu, per quem illa fit, & cognoscitur: Per hoc (inquit)  
cognoscimus nos in eo habitare, & ipsum in nobis, quod  
de Spiritu suo dedit nobis. Habitat igitur in nobis, & nos  
in ipso, per eundem Spiritum sanctum, qui & in ipso, &  
in nobis est. Quò etiam illud pertinet, Qui non habet Rom. 8, 9.  
Spiritum Christi, hic non est eius. Christi autē esse eos in-  
tellexit Apostolus: qui sunt vera & viua Christi membra.

## XVI.

*Conclusio, Essentialē esse, pérque solum Spiritum Chri-  
sti, & fidem nostram fieri hanc con-  
iunctionem.*

His ergo atque alijs similibus testimonij Sacrarum  
literarum adducti, non dubitamus, quin Christus & eius  
Apostoli significare nobis voluerint, communionem  
quam fideles omnes tam parui quam magni habemus  
cum Christo, adeoque cum eius carne & sanguine, veram  
ac realem esse: & tamen non alia fieri ratione, quām ne-  
xu & vi Spiritus sancti. Ac proinde, licet arcana sit & my-  
steriorum plena ac spiritualis, quia sit per Spiritum & fi-  
dem: non debere tamen nos dubitare, quin propter eun-  
dem Spiritum, tam vera & essentialis sit, quām quæ est  
inter virum & vxorem, in vnam carnem adglutinatos: in-  
ter fundamentum & lapides superædificatos: inter arbo-  
rem & ramos: inter vitem & palmites: denique inter

membra & caput, ligamentis & neruis connexa, & eodem animo viuentia, atque operantia: vt nulla maior hac fieri possit cum ipso Christo, dum sumus in hac carne mortali, coniunctio.

## XVII.

*Confirmatio sententiae ab alio simili, & ex ipsa Philosophia.*

Certè si vna & eadem anima in omnibus esset hominibus: efficeret, vt innumerabiles personæ, vnum tantum essent homo: Quemadmodum & de vna eademq; essentia in tribus personis diuinis existente, Theologi cōcludunt, ideo vnum tantum esse Deum. Id verò multò etiam clarius apparet esse verum: si illi multi homines vnum tantum haberent caput, cui essent annexi, & à quo uno haberent motum. Quid mitum igitur, quod Spiritus Sanctus in omnibus ijs vnu atque idem, qui & in Christo existens, ita realiter nos cum illo copulet, vt vnum simus cum eo, & inter nos corpus: imò vnu nouus homo, omnes in ipso capite Christo: nam ijs duobus respectibus, vnius scilicet spiritus per quem, & vnius capitatis, cui, omnes annexi sumus: Paulus dixit, omnes fideles vnum esse hominem nouum.  
*Eph. 2. 14.*

## XVIII.

*Ex unione cum Christo, beneficiorum mortis & resurrectionis eius participationem in nos deriuari.*

Ex hac verò cum Christo *κοινωνία*, sequitur & pendet participatio beneficiorum eius, salutisque in ipsius carne & sanguine nobis partæ ac residentis, vt enim palmites succum à vite haurire non possunt, neque membra à capite,

## DISPENSATIONE.

71

pite, neque lapides viui à fundamento, nisi reapse conne-  
xa sint cum suo fundamento, cum capite, cum arbore,  
cum vite, & in illis maneant: sic neque nos à Christo ca-  
pite nostro, fundamento, arbore, vite, nisi reuera simus  
per Spiritum sanctum illi insiti, atq; in illo maneamus: fa-  
sti caro de carne eius, & ossa ex ossibus eius: ut summa no-  
bis iniuria fiat, si quis dicat, ideo nos veram carnis & san-  
guinis participationem negare, & participationem dun-  
taxat donorum ac beneficiorum eius afferere: quia non  
admittimus, cum neq; possimus admittere, verum Chri-  
sti corpus per nostrum os realiter transire in nostra cor-  
pora. Quasi verò quæ sit per Spiritum sanctum & fidem,  
non sit vera atque essentialis communio: cùm nihil ma-  
gis arctè diuersas substantias & naturas in vnum coniun-  
gere possit, quām Spiritus sanctus: Quemadmodum in  
incarnatione Filij Dei videmus: & in hominis creatio-  
ne, ex anima & corpore compositi. Certè si vera & salu-  
taris non esset illa, quæ per solum spiritum, & per fidem  
sit, cum carne & sanguine Christi, *καὶ σώματα*, nisi etiam per  
os transeat in corpora nostra: malè consultum fuisset à  
Christo suæ Ecclesiaz. Proinde & in receptione solius Eu-  
angelij, & in susceptione Baptismi, eandem fieri voluit:  
quemadmodum de prima testatur Iohannes: & de se-  
cunda Apostolus. <sup>1 Joh. 1. 3.</sup> <sup>1 Cor. 12. 13</sup> De vera igitur communione cum  
Christo in genere, cōque de dispensatione salutis ac vita,  
quæ in Christo est, hæc nostra est confessio.

## XIX.

### *Errores.*

Improbamus igitur eoū n errorē, qui per opus  
vt vocant, operatū absque fide, & absque vera cum Chri-  
stovnitione, docent remissionē peccatorum, salutēmq;  
hominī-

hominibus communicari: corum verò damnamus blasphemiam, qui id per opera à Deo non mandata, sed ab hominibus ex cogitata, plenāque superstitionum & idolatriæ fieri contendunt: nec non & eorum, qui ministerium verbi nihili facientes, docent, salutem perinde sine, atque cum auditione verbi & sacramentorum perceptione communicari: multò verò magis eos, qui contendunt, omnes tam infidelium quam fidelium parentum infantes in uteris maternis, beneficij Christi participes fieri.

## CAPVT XIII.

DE EVANGELIO, DE QVE  
legis per Euangelium ab-  
rogatione.

Cùm Euangelium in primis, & deinde etiam sacramenta, Baptismus & Cœna, externa sint organa, per quæ legitimè administrata, Redemptor noster Dominus Iesus Christus, gratiam redemtionis, remissionemque peccatorum mundo offerre ac dispensare, sese nobis electis, virtute sui Spiritus communicare, nosque vicissim sibi incorporare, eoque salutis & vitae, quam in ipso habemus, reapse participes efficere solitus est: idcirco, quæ etiam de ijs nostra sit fides, breuiter, & simpliciter, Ecclesiæ Dei explicare studuimus.

## I.

## Euangelium quid sit.

De Euangelio igitur, iuxta significationem in Ecclesia receptam visitatamque credimus, nihil aliud esse, quam

quām doctrinam de Christo cœlestem, per Christum ipsum, Apostolosque prædicatam, & in libris noui Testamenti comprehensam, optimum lætissimumque nuntium mundo afferentem: nempe, humanum genus per mortem Iesu Christi, vnigeniti Filii Dei, redemptum esse: ita ut cunctis hominibus, modò resipiscant, & credant in Iesum Christum, parata sit omnium peccatorum gratuita remissio, salus, vitaque æterna. *Qua de causa meritò*  
*vocatur ab Apostolo Euangelium salutis nostræ.*

*Mat. 3. 2.**Eph. 1. 12.*

## I I.

*Euangelium per Prophetas promissum, sed per Apostolos publicatum fuisse.*

Etsi enim mysterium hoc iam inde ab initio mundi reuelatum fuit Patribus, deque hoc locuti sunt Prophetæ: tamen quod illi prædicarunt, promissiones potius fuerunt Euangelicæ, illæque inter Iudæos retentæ, quām Euangelium ipsum, quod omnibus gentibus erat publicandum: cum vaticinati sint de re futura, non autem rem iam præsentem, aut præteritam annuntiarint: vt

*Rom. 1. 2.*  
*1 Pet. 1. 10.*

Apostolus docet ad Romanos, & Petrus in epistola pri-

## III.

*Tam Patres per fidem promissionibus de Christo Redemptore præstitam seruatos fuisse: quām nos qui credimus Euangelio.*

Interim non dubitamus, quin tam Patres, promissionibus illis Euangelicis de venturo Christo, & caput serpentis contrituro, credentes, seruati sint: quām etiam nos per fidem, Euangelio, Christum iam venisse, munquamque redemisse, nuntianti, præstitam, seruamur: ut

*Rom. 4.3.* Apostolus abundè docet, cùm alibi tum ad Romanos de  
*Hebr. 1.10.* Abrahamo: & ad Hebræos, de alijs omnibus: vt summa sit  
 blasphemia, dicere, Patribus res tantùm terrenas fuisse  
 promissas, talesq; perceptas ab illis fuisse, non autem cœ-  
 lestes, remissionem peccatorum & vitam æternam. Quod  
*Rom. 1.16.* enim nobis est Euangelium propriè acceptum: hoc illis  
 fuerunt Euangelicæ promissiones: potentia scilicet Dei,  
 ad salutem omni credenti.

## I V.

*Doctrinam Euangelij ad substantiam quod attinet, vetustissi-  
 mam esse atque aeternam.*

*Vnde etiam intelligimus, doctrinam Euangelij, ad  
 substantiam quod attinet, minimè nouam esse, sed vetu-  
 stissimam, iam inde à condito orbe patribus prædicatam:*  
*Apoc. 14.6.* *vt, non immerito Iohannes vocarit Euangelium, Euan-  
 gelium aeternum.*

## V.

*Evangelij partes, quot & qua.*

Tria porrò sunt Euangelij capita, quæ à nobis exi-  
 guntur, vt præstemus: Poenitentia in Deum, Fides in Ic-  
*Att. 20.21.* sum Christum, & studium seruandi quæcunque manda-  
*Marc. 1.4.* uit Christus.

*Matt. 28.*

*20.*

*Explicatio superioris sententia.*

Evangelium enim proponens nobis Christum cum  
 tota gratia & misericordia Dei, cum expiatione ac remis-  
 sione peccatorum, cum tota denique salute & vita æter-  
 na in ipso posita: hæc tria tantùm requirit. Primum, vt  
 serio dolore totius vitæ malè actæ affecti, cupiamus ex-  
 animo mentem nobis, eoque omnes affectus in obsequium  
 voluntatis diuinæ à Deo immutari ac innouari, atque id  
 vt fiat,

## DE EVANGELIO.

75

vt fiat, precibus petamus, & operam demus: Deinde, vt  
vera fide Christum cum toto eius thesauro ample-  
tentes, certò & sine villa hæsitatione credamus, omnia  
peccata ex gratia & misericordia Dei, propter solū Chri-  
stum, in perpetuum condonari, nos in gratiam receptos  
esse, factosque Dei filios, & hæredes vitæ æternæ: Postre-  
mò, vt ita de gratuita æternāq; salute, propter Christum  
persuasi, deinceps id demus operam, vt quæcunque no-  
bis mandauit Christus, ea seruemus, ad gloriam Dei, & in  
salutem proximi: fide nos semper comitante vsque in fi-  
nem, qua credamus, quidquid etiam in hac noua obe-  
dientia delinquimus, aut peccamus, id totum nobis pro-  
pter Christum non imputari: contrà verò, perfecta Chri-  
sti obediētia, iustitia, & sanctitate nobis imputata, imper-  
fectam nostram obedientiam perfici, & in conspectu Dei  
pro perfectissima accipi ac reputari. Ad tria autem, o-  
mnia Christi mandata referuntur, nimirum vt abnegata  
impietate, & secularibus desiderijs: sobriè, (quoad nos:) Tit. 2. 12.  
iustè (quoad proximum) & piè (quoad Deum) viuamus  
in hoc seculo: exspectantes beatam spem & aduentum  
gloriæ magni Dei. Hanc credimus summam esse eorum,  
quæ à nobis exigit Christus sua Euangelica doctrina: eo-  
que illos verè esse Euangelicos, veréque Christianos, qui  
in horum studium seriò incumbunt.

## VII.

*Quibus potissimum in rebus differat Euangeliū à Lege.*

Atq; etiam ex his, quæ dicta sunt, apparet nos non  
confundere Legem cum Euangelio. Tametsi enim fate- Exo 20. 14.  
mur tam Legis quam Euangelij autorem esse Deum, &  
tam illam esse per se sanctam, iustā & bonam, quam etiam Rom. 7. 12.

Euangelium: Credimus tamen non paruum discrimen  
 esse inter utrumque: Non solum quia illa solis Israëlitis  
 fuit tradita, Euangelium autem ad omnes etiam Gentes  
 pertinet: nec solum, quia illa temporaria fuit, ad Chri-  
 stum usque duntaxat duratura, Euangelium autem æter-  
 num est: nec solum, quia illa per Mosen tradita ac per  
 Prophetas explicata fuit, Euangelium autem per Chri-  
 stum allatum, & per Apostolos toti orbi publicatum:  
 verum etiam, idque in primis propter has causas: Primo,  
 Quia legis materia, tantum sunt mādata, additis irreuo-  
 cabilibus maledictionibus, si vel minima in parte ea vi-  
 lentur. Habet quidem & promissiones, non solum ter-  
 renarum, verum etiam æternarum benedictionum: sed  
 omnes cum conditione perfectissimæ obedientiæ, nulla  
 autem gratuitas. At vero Euangelium propriè felix est  
 nuntium, Christum Redemptorem, peccata gratis remit-  
 tentem, & seruantem, gratis etiam proponens: nisi que  
 à nobis exigens ad salutem consequendam, nisi veram in  
**Christo** fidē, quæ sine poenitentia, sineque studio facienda  
 voluntatis diuinæ, id est, viuendi sobrietè, iustè & piè, ut su-  
 præ explicatum est, esse non potest. Deinde, quia lex,  
 quod exigebat, non præstabat: neque enim vires præb-  
 bat, quibus seruari posset, eoque inefficax fuit, & litera  
 occidens, ministrâque iræ & mortis, peccatum magis irri-  
 tans, quam tollens: Euangelium autem, quod exigit, il-  
 lud etiam præstat, eoque & quod offert, illud etiam rei  
 ipsa nobis communicat: quatenus scilicet Spiritus san-  
 ctus per illud efficax est in electis, ad prædicationem Eu-  
 angelij: excitans in illis veram fidem, qua Christum ob-  
 latum apprehendant, & cum illo salutem æternam. Fides  
 Rom. 10. 17 enim ex auditu Euangelij: obedientia autem non est ex  
 auditu legis. Quoniam Spiritus sanctus ad auditionem  
 legis,

legis, nemini vires præbebat, quibus illam seruare posset: quemadmodum ad auditum Euangelij, fidem in electis excitat. Qua de causa, sicut Lex, litera occidens vocata est: sic Euangelium spiritus viuificans appellatur: eoque verum & efficax est organum ad salutem omni credenti. Vnde etiam sequitur tertia differentia: quod, scilicet, lex non inscribebatur in cordibus, sed tantum in tabulis inscripta manebat, eoque homines non mutabat: At vero Euangeliū, in cordibus electorū inscribitur per Spiritum sanctum, eoque & illa immutat & renouat, nempe quoniam organum est Spiritus sancti ad nos sanctificandos & scrupulosos,

2 Cor. 3. 18

\*

## VIII.

*Euangelio partim tolli, partim non tolli legem  
Mosis.*

Ex ijs, quæ diximus, liquidò etiam appareat, quæ nostra sit fides de abrogatione Legis per Euangelium. Credimus primùm, Euangilio, quatenus omnia, quæ in veteri Testamento figuratè præmonstrabant Christum, ea omnia annuntiat in hoc Iesu (vt supra capite II. dictum est) impleta fuisse: Legem de ceremonijs, sacrificijs, totque externo cultu Mosaico, simpliciter abrogatam esse doceri: iuxta illud Apostoli: omnia hæc fuisse usque ad tempus correctionis imposita: & illud, Legem quidem fuisse per Mosen datam, sed veritatem fuisse per Iesum Christum factam. Deinde, quatenus Euangelium organum Spiritus sancti est, quo nos inserimur & unimur Christo, & redemtionis salutisque sumus participes: (vt supra cap. XII. dictum est,) etenim Legem quoque Moralē, ad maledictionem aduersus transgressores quod attinet, per Euangeliū Christi, abrogari contineatur; iuxta

Heb. 9. 10.

Ioh. 1. 17.

*Rom. 8. 1.* illud Apostoli, Nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu: cuius rei signum est, quod iij non secundum carnem ambulant, sed secundum Spiritum. Cæterū, quatenus Euangelij doctrīna exigit pœnitentiam, totiusque vitæ sanctitatem, & vt sobrietè, iustè, & piè viuamus: cænus etiam legem non tollit de moribus. Tota enim consentanea est cum doctrina Euangelij de vitijs vitandis, & virtutibus persequendis. Postremò, quatenus etiā Christus suo Euāgeliō nullas sustulit leges politicas apud gentes, cum lege naturæ non pugnantes: Id circò leges quoque politicas populo Istrælitico traditas, cuique Magistratui liberum esse sentimus, illas in suam ciuitatem inducere, illisq; quibus æquiores nullæ sunt, suos regere populos. Quare summa fit iniuria Euangelio Christi, si quis illo Respub. turbari & euerti dicat. Hæc nostra est de Euangelio Iesu Christi fides.

## IX.

*Errores.*

Damnamus igitur Antinomos, & quicunq; legē Moralēm improbant, eāmq; è suis Ecclesijs, quasi Euangelio contrariam, aut ad Christianos nihil pertinentē ejiciunt: eosque improbant Magistratus, qui politica Mosis præcepta, in suas inducere ciuitates, pro tua virili conantur.

## CAPVT XIV.

## DE SACRAMENTIS NOui Testamenti.

Quoniam Deus, ad *κοινωνίαν* illam cum Christo, in qua salutis participatio consistit tota, perficiendam, voluit non solum verbo Euangelij per se solo, verum etiam externis ad id accommodatis & verbo adiunctis *Lignis,*

signis, ex quibus duobus constat Sacramentum, abuti:  
idcirco post confessionem de Euangeliō nostrā, adjic-  
ēmus eam etiam, quae de Sacramentis est, breuem, per-  
spicuam, & cum Sacris literis, primisque fidei Christianæ  
principijs, consentaneam.

## I.

*Sacramenti nomine quid intelligamus.*

Nouimus, sacramentum propriè sacrum esse iura-  
mentum, seu promissionem, utrinque, hoc est, inter  
Deum & populum factam: non simpliciter, sed sacris ri-  
tibus ac ceremonijs constabilitam: Quemadmodum  
manifeste in sacramento Circumcisionis inter Deum &  
Abrahamū apparuit: & inter Christum & nos in Bapti-  
smo, qui successit Circumcisioni. Ita sacramentum pro-  
tota illa actione, siue Baptismi, siue Cœnæ Dominicæ  
apud Patres sepe sumitur: in qua, præcedit utrinque pro-  
missio, ritibus externis ac symbolis, adeoque sanguine  
Christi, sancte confirmata. Cæterum postea per ~~auendō-~~  
~~χλω~~ sacramēti nomine intellexerunt solos ritus, seu sym-  
bola, addita verbo. Atque hæc altera significatio obti-  
nuit in Ecclesia. Nos itaque Sacramentum iuxta rece-  
ptam in Ecclesia significationem, vocamus, non verbum  
solum, nec elementum solum, sed Elementum simul  
cum verbo Euangelij, ex Christi institutione, coniunctum,  
aquam, vel panem aut vinum: iuxta illud Augu-  
stini: Accedit verbum ad elementū, & fit sacramentum. \*

## II.

*Sacramenta quarumnam rerum sint  
sacmenta.*

Quia verò omne Sacramentū, alicuius rei est sacra-  
mentum: hanc rem esse dicimus id, quod verbum Euан-  
gelij

gelijs significat: nimurum, gratiam Dei in Christo, vel potius Christum ipsum, cum gratia & salute in ipso posita. Hunc enim in summa proponit Euangelium: & ad huius ~~renovavit~~, sicut verbum, sic etiam sacramenta, instituta sunt, nostrisque mentes sua significatione adducunt: eoque, quod foris exhibetur, signum eius dicimus esse. quod intus percipiendum proponitur: & quod foris agitur, symbolum eius, quod intus in animis nostris Spiritus sanctus operatur.

## III.

*Quibus partibus constet Sacmentum.*

Ex ijs quoque intelligimus, quibusnam partibus propriè constet Sacmentum, verbo scilicet & externo symbolo: sed cum relatione ad rem per illa significatam, ac repræsentatā, & cuius sunt Sacmentum. Res enim, cuius aliquid est sacramentum: ipsum Sacmentum, aut pars sacramenti esse non potest: cum omne sacramentum, alterius rei à se diuersæ sit sacramentum. Interim rem ipsam à Sacmento simpliciter non separamus: neque inficiamur, quin apud Patres, & alios plerosque doctos & pios viros, in nomine sacramenti, res quoque ipsa, cuius aliquid est sacramentum, comprehendatur: quemadmodum nomine Baptismi, non solùm externa aqua ablutio cum verbo intelligitur, verum etiam ipsa simul interna conscientiæ à peccatis purgatio ac regeneratio continetur. Proinde illud Irenei dictum de Eucharistia, eam constare terrenare simul & cœlesti amplectimur: neque nos ab huiusmodi locutionibus, cum de sacramentis loquimur, abstinere solemus: verum hoc sensu, non quod propriè pars sit sacramenti, cum sit potius id, ad cuius participationem nos adducunt sacramenta: sed quod

quod ad eam, Sacramentum mysticam habeat relationem: & huius relationis nexu, res terrena cum re cœlesti copulata sit. Et ita conciliamus multorum doctorum virorum, atque etiam Patrum dicta: quæ diuersum aliquid sonare videntur, cum tamen eadem sit omnium & vbiique sententia: plerisque omnibus, sacramenta simpliciter vocantibus signa, figuræ, symbola, typos, antitypos, formas, sigilla, signacula, ceremonias, visibilia verba, & alijs similibus nominibus: Alijs ea constare ex re terrena & coelesti dicentibus: quod quomodo intelligendum sit, modò declarauimus: omnibus autem sæpenumerò sacramenta, nominibus earum rerum, quarum sunt sacramenta, iuxta consuetudinem sacrarum literarum, appellantibus: cum tamen omnes, in sacramentis, hæc tria intellexerint, professique sint: Verbum, Symbola verbo addita, & Res, quarum illa sunt symbola.

## I V.

*Causa, cur verbo Euangeliū addi signa externa voluerit Dominus, & cur verba visibilia vocentur.*

Credimus etiam, & ingenuè confitemur, visibilia signa ex Dei institutione, verbo fuisse addita, addendaque esse, ad ampliorem firmiorēmque verbij in animis nostris confirmationem: cum idem etiam sit finis, cur conscriptis literis, & testamentis sigilla apponi solita sint vbiique & apud omnes gentes. Quæ etiam causa est, cur externa & sub sensum cadentia symbola, appellantur ab Augustino verba visibilia: quia nimirum ad hoc instituta, & verbo addita sunt, vt faciant, quod & verbum facit: hoc est, vt, quod verbum auribus significat, hoc idem signa oculis alijsque sensibus repræsentent: eoque verbum con-

fiment, & promissiones Dei: Ac sicut verbo excitatur fides in animis nostris: sic etiam externis Symbolis, ceu signis obsignetur, vehementius confirmetur, & augeatur: Et deniq; vt, sicut verbum, sic etiam sacra symbola organa sint spiritus Sancti, quibus in *newaviam* cum Christo adducamur, aut in ea coalescamus. Totum autem hoc à Deo institutum esse propter infirmitatē nostrā & ignorantiam, fidei q; nostræ imbecillitatem: vt ea non solum verbo, sed etiā visibilibus signis subleuetur: qua propriè sit, vt Christum amplectamur, inq; illo coalescamus: omnino non dubitamus.

## V.

*Vbi non recitantur verba institutionis, ibi nullum esse  
Sacramentum: eoq; extra usum nihil esse, nisi  
quod sunt sua natura.*

Sicut verò credimus, signa addi verbo, non ad superstitionem, sed ad maiorem fidei nostræ confirmationem: sic etiā verbum in Sacrementorū administratione ita nō ad incantationem, sed ad fidem excitandā necessariū esse confitemur: vt, vbi nō sic recitantur verba institutionis, vt audiantur, & intelligātur, quò excitari fides possit: ibi sacramentum verum esse negemus: eoq; extra legitimū usum, symbola non esse sacramenta, sed tantum id, quod sua sunt natura, & præterea nihil, affirmemus. Persolum enim verbū symbola, à profano usu ad sacrū transferuntur: id quod multi vocant consecrari & sanctificari: & ea rē sunt sacramenta, iuxta illud Augustini, Accedit verbum ad elementum, & sit sacramentum, accedit autem: vt intelligatur, & credatur.

## V I.

*Sacmenta non esse simplices tesseras, nudāue signa.  
Itaq;*

Itaq; credimus, signa etiam Sacramentalia non esse simplices tesseras, quæ nos ab alijs populis omnibus, à vera Ecclesia alienis, tantum discernat: aut quæ nobis Christianæ tantum societatis symbola sint: aut etiam quibus fidē nostram publicè profiteamur, agamusq; gratias pro beneficio redēptionis: sed esse organa, per quæ, dum actiōnes beneficiaq; Christi nobis representātur, in memoriam reuocantur, promissiones obſignantur, fidesq; excitatur: spiritus quoque Sanctus Christo nos inserit, insitost seruat: & coalescere magis ac magis in vnum cū illo, in dies efficit: idq; , quò maiori in Deum fide, ardentiore in proximum caritate, nostrīque mortificatione donati vitam vitæ Christi, quo ad eius fieri potest, similem, in lætitia & gaudio spirituali traducamus: donec tandem cū ipso in coelo, sanctissimè felicissimeq; , in sempiternum viuamus.

## VII.

*Qualia sunt Sacraenta Novi Fæderis.*

Confitemur etiam cum Augustino, Sacraenta à Christo nobis tradita esse numero pauca, factu facilima, & intellectu augustinissima: Numero pauca, quia duo tantum, Baptismū & Coenam: Factu facilima, quia nihil vel in Baptismo, vel in Coena est, quod non possit facile prestatī & recipi nihil molestum, nihil iniucundum, aut ab humanis moribus alienum, intellectu denique augustinissima quia etsi res, quæ videntur, viles sint: quæ tamen significantur, quæ menti cogitandæ & considerandæ & intelligendæ proponuntur, augustinissimæ sunt, cœlestes, diuinæ, ad æternam salutem pertinentes.

*De doct.  
Chri. lib. 3.  
cap. 9.*

## VIII.

*Addignam Sacramentorum perceptionem intelligen-  
tia & fide opus esse.*

Vnde etiam intelligimus, Sacra menta ad dignam  
sui perceptionem, mentis actionem atque attentio-  
nem, & fidem à nobis exigere: qua, quid per illa signifi-  
cetur & exhibeat, intelligamus, & mente fide affecta  
Luc. 22. 19.  
1 Cor. 11.  
24. apprehendamus: sicut & Christus docet, cum de Cœna  
ait: Hoc facite in mei recordationem: Et Apostolus hęc  
Christi verba perpendens, abundè explicat. Quò spectat  
& illud, Sursum corda. Res enim augustæ, cœlestes, ac  
diuinæ, mente intelligendæ, & fide percipiendæ propo-  
nuntur.

## IX.

*Rem sacramenti proponi omnibus serio, licet non omnes  
eam verè percipiant, sed tantum electi  
fideles.*

Etsi verò non omnes accedunt ad Sacramentorum  
perceptionem cum fide veraque intelligentia: attamen,  
sicut symbola omnibus Christum profitentibus exhibe-  
ntur, sic etiam credimus res per sacramenta significa-  
tas, serio omnibus à Christo offerri: eoque propter infi-  
delitatem symbola tantum suscipientium, nihil de sacra-  
mentorum integritate detrahi: quippe quæ à sola pendet  
Christi institutione, verborumque illius veritate.

## X.

*Dum administrantur Sacra menta, Spiritum Christi effi-  
cacem esse in fidelibus: eoque ipsos non solum sym-  
bolam percipere, sed re etiam significata  
participare.*

Ceterum licet in omnibus hominibus, quibus Sa-  
cra menta dispensantur, non sit efficax Spiritus Christi,  
sicut neque dum prædicatur verbum, idque ipsorum cul-  
pa, quod

p̄a, quōd non adferant intelligentiam & fidem: in ipsis tamen electis fidelibus efficacem eum esse credimus: quatenus illos fide ex auditu verbi donatos, & ex perceptione sacramentorum in ea magis ac magis confirmatos, in Christi *reverātū* adducit, aut in ea coalescere facit: eoque istos & verè à peccatis in Baptismo lauari atque purgari vi sanguinis Christi: & in Cœna vera Christi carne vesci, veróque sanguine potari confitemur.

## X I.

*Christum & autorem esse, & verum dispensatorem sacramentorum.*

Vnum verò sacramentorum, sicut autorē, sic etiam verum dispensatorem agnoscimus, Dominum nostrum Iesum Christum: qui externa quidem symbola per ministros homines dispensat, sed rem sacramentorum propriè & verè efficienter ipse per se seu per suum Spiritum communicat: quemadmodum & Iohannes Baptista dicebat, se quidem baptizare aqua, Christum autem Spiritu. Ac proinde sicut nemini hominum licet noua instaurare sacramenta: sic etiam nemo gloriari potest, se verè & propriè aut conscientias à peccatis purgare, aut vero corpore & sanguine Christi pascere: sed tantum (vt loquuntur) ministerialiter.

Mat. 3. 11

## X II.

*Sacmenta, vitijs ministrorum, fidelibus non contaminari.*

Si verò Christus solus, verus est sacramentorum non autor tantum, sed etiam dispensator: facile intelligimus, vitijs ministrorum, quorum opera ille vtitur, sacramenta alijs fidelibus non contaminari: quin ea dignè sumere,

*Tit. 1. 15.* & rei per sacramenta significatæ atque oblatæ participes fieri possint. Omnia enim munda mundis: & Christus per *Eph. 1. 17.* fidem habitat in cordibus fidelium, cum suis thesauris.

## XII.

*Gratiam non esse Sacramentis alligatam.*

*Mar. 16. 16.* Ex ijsdem etiam fundamentis, confirmamur in recepta à pijs omnibus sententia, Gratiam Dei sacramentis non alligari: ita, vt qui ea recipit gratiam quoq; id est, rem per sacramenta significatam & oblatam, cum percipere necesse sit, tamet si fide destituatur: quasi ex opere (vt vocant) operato, rem sacramenti consequi quis possit. Non enim Christus simpliciter dicit, Qui Baptizatus fuerit is saluus erit, sed præmisit, Qui crediderit, Et Simon ille Magus Baptismi Sacramentum suscepit: neque tamen rem Baptismi consecutus est: cum adhuc (teste Petro) in felle peccatorum esset amarissimo, & nexus iniquitatis, diabolicaq; malitiæ implicitus: eoq; pars illi non esset in regno Christi. Multi quoque (vt ait Augustinus) edunt panem Domini, sed non panem Dominum. Sicut enim remissionis peccatorum, quam Euangeliū annuntiat, participes non fiunt, quicunque illud audiunt, nisi eos pœnitentiam malè actæ vitæ, & credant in Christum: sic neq; earum rerum, quæ per sacramenta repræsentantur, & offeruntur, compotes fiunt, quia ea percipiunt: nisi accedit vera pœnitentia & fides.

## XIV.

*Indignitate sumentium, Sacramentorum vim non tolli nec confirmari.*

Neq; tamē ob id tollimus vel infirmamus vim sacramentorum inditāq; ipsis à Deo efficaciam, quam fatemur minimè ab indignitate vel ministrantium vel sumentium

tium, sed à fide & virtute Christi Sacramentorum institutoris pendere. Sicut enim Euangeliū per se suam semper retinet: & significationem, licet non ab omnibus intelligatur: & vim ea exhibendi, quæ offert, quamuis non omnes eorum fiant participes, sic etiam sacramenta, verba visibilia, eodem se habent modo: nempe, ut sicut illud per se semper potentia Dei est ad salutē, sed re ipsa non nisi credenti: sic etiam Sacra menta efficacia semper sint organa Spiritus Sancti ad salutem, ut hanc efficacitatem non percipiant nisi verè credentes. Qua de causa Aposto-<sup>1. Cor. 6. 11.</sup>

li non verētūr omnes, qui baptizati sunt, vocare sanctos, renatos, iustos, quamuis norint inter illos multos fuisse hypocritas. Significabant enim talibus sermonibus inditam à Deo sacramētis efficaciam, & quid illa effecisse creditum sit, nisi fortē nostra hypocrisis impedimēto fuerit. Quo sensu si quis dicat etiam, quicunque panem Domini, edunt ipsius quoq; corporis Domini participes fieri, id est, per vim Sacramenti aut per eius autorem & distributorem non stare, quin participantes sacramento, rei quoq; per illud significatae & oblatæ participes: talem locutionem improbare non possemus: modò tales etiam adderentur explicationes, quibus populi eruditētur, falsaq; iamdudum conceptæ opiniones de opere operato, illorum animis eximerentur.

## X V.

*Inter signa & res, unionem esse sacramentalem, &*  
*quamam illa sit.*

Licet etiā dicamus, Rem sacramentorū sacramētis alligatam aut in ipsis inclusam non esse nempe vel phisicē, vel localiter, vel corporaliter, aut etiā nexu obligationis, quasi Deus simpliciter omnib. sacramenta sumētibus, ut vt fide careant, restamen ipsas promiserit, ita ut cas

eas, impoenitentibus etiam & incredulis communicare teneatur: non idcirco tamen omnem tollimus rei signatae cum signis copulationem, & nexum. Sacramentalē enim agnoscimus & cōfitemur: hoc est, talem vniōnem, quae conueniat sacramentis, cum rebus sacramentorum. Hæc autem sacramentalis vniō, in mystica quadam sacrâque relatione consistit: quatenus scilicet signa, res significant ac percipiendas offerunt: & res per signa significantur, atque exhibentur percipienda: non secus atque vniō est inter verbū significans atque exhibens, & inter res per verbum significatas atque exhibitas. Pendet autem tam illa sacramentorum, quam hæc verbi, cum rebus ipsiis coniunctio, à voluntate consilioque Dei institutio: qui cum instituit Euangelij prædicationem & administrationem sacramentorum, hoc consilio instituit, quod iam explicatum est: vt nos, audientes verbum, & spectantes percipientesque signa, statim oculos mentis ad res per illa signatas attollamus: & oblatas, fidei manibus percipiamus: Christoque, quem illa prædicant, & sua significatione ceu digito monstrant, re ipsa vniāmūr. Sicut igitur nostri cum Christo coniunctio, tota mysteriū plena est, vt Ephes. 5, docet Apostolus: sic etiam vniō nem tam verbi, quam sacramentorum, cum rebus, quorum sunt signa & sacramenta, mysticam spiritualēmque esse sentimus.

## XVI.

*Sacramentorum definitio.*

Sacramenta igitur, vt multa paucis complectantur, iudicamus esse externa & sub sensum cadentia signa: verbo Euangelij, propter nostram ignorantiam & infirmitatem, fideique nostræ vehementius excitanda & confirmanda gratia, secundum Christi institutionem, addita: quibus

NOVI TESTAMENTI,

8,

quibus ad veram realēmque cum Christo, adeoque cum eius carne & sanguine *κοινωνία*, ac proinde ad eorum bonorum, quæ in Christo sunt, & quæ per verbum atq; simbola significantur & offeruntur, participationem, omnes quidem homines serìo vocantur, Electi autem ac fideles per spiritum Sanctum intus in animis trahentem, re ipsa adducuntur: ut Christo incorporati, corpus tandem totius Ecclesiæ præfinitum à Patre, compleant: ad laudem gloriæ gratiæ illius, & ad ipsorum æternam felicitatem.

XVII.

*Sacramenta Veteris Testamenti, quid cum nostris  
in summa habuerint commune.*

De Sacramentis Veteris Testamenti, non est quod nos multa dicamus, cum sint abrogata, nisi hoc vnum: nimur, quod cum illis Patribus idem fuerit Deus, eadē promissiones, idem Mediator, idem spiritus regenerans, eadem fides & spes: eadem quoque ad substantiam quod attinet, quæ est Christus, illis fuisse sacramenta: vtvt ceremonijs diuersa fuerint à nostris: præsertim cum in eundē finem tradita illis fuerint, ipsorum, in quem & nobis nostra traduntur: nimur ut in fide Christi confirmarentur, inq; illius *κοινωνία* coalescerent. Quò illa spectant, Apoc. 13.8.  
1. Cor. 10.  
4. Hebr. 13.8.

Agnus fuit occisus ab origine mundi: Item, Omnes bibe-  
bant de eadem Petra, Petra autem erat Christus: &, Chri-  
stus heri, hodie, & semper.

XVIII.

*Duo tantum esse Christianæ Ecclesiæ Sacra menta.*

Duo autem sacramenta, quæ eo nomine propriè censenda sint, & quæ vniuersæ Ecclesiæ Christianæ, semper communia fuerunt, agnoscimus: Baptismum & Cœ-

M

## DE SACRAENTIS

nam Domini: quorum vnum propriè ad initium ~~coinvias~~  
cum Christo, alterum ad incrementum pertinet. Vnde  
& vnum Lauacrum regenerationis: alterum, Sacru  
mciuum & Cœna vocatur.

## XIX.

## Errores.

- Non possumus igitur probare eos, qui Sacra  
mentum ibi esse volunt, vbi nullum auditur verbum, sed so  
lum spectatur elementum: Neque illos, qui rem sacra  
menti à sacramento non distinguunt: sed perinde in os  
1. eam venire volunt, atque etiam sacramentale signum: cū  
2. res sacramenti sit id, quod, signum sub sensum cadens, fa  
cit in cogitationem venire, non autem in manum vel in  
os cadere: sed neq; illos, qui in sacramentis nihil conside  
3. rant, nisi quæ oculis subjiciuntur: aut qui ea, tesseras tan  
tū esse volunt, quibus ab alijs populis discernamur: nudā  
ne signa, non autem organa spiritus Sancti, per quæ effi  
caciter in nobis operatur, & in communione Christi cō  
4. firmat. Damnamus verò, qui noua instituunt Sacra  
menta, præter ea, quæ Christus instituit: eosque qui Sacra  
5. mentis alligant gratiam Dei, & res per sacramenta signi  
ficatas: ita vt omnis qui signa percipit, semper etiam rem  
ipsam percipere verè dicatur.

## CAPVT XV.

## DE BAPTISMO.

Præter ea, quæ de Sacraentis in genere dixi  
mus, de Baptismo quoque speciatim hæc credimus &  
confitemur.

I.

Baptismus quid, quane eius effecta.

Bapti-

Baptismus primum Noui Foederis sacramentum *Matt. 26.*  
 est: quo cum omnes, qui vel poenitentiam peccatorum *19.*  
 professi, fidem etiam in Christum, adeoq; in Deum Pa-  
 trem, Filium, & spiritum Sanctum profitentur, vel sal-  
 tem propter parentum pietatem ad foedus pertinere cre-  
 duntur: tum maximè illi, qui verè ad foedus pertinent,  
 Christo, tanquam ei iam per spiritum sanctum incorpo-  
 rati, ob signantur: ut non sint amplius sui iuris, sed illius,  
 per quem in foederis societatem, eoq; in vnum corpus  
 cum eo sanctisq; omnibus, & in omnium spiritualium  
 cœlestiumque bonorum participationem, asciti esse di-  
 cuntur: per hunc Baptismum, tanquam lauacrum rege-  
 nationis, à peccatis vi sanguinis Christi, mundati, &  
 cum Christo consepulti in mortem: ut quemadmodum *Eph. 1. 12.*  
*Epb. 5. 26.*  
*Apocal. 5.*  
*Tit. 3. 5.*  
 ille resurrexit à mortuis per gratiam Patris, sic & nos in *Rom. 6. 4.*  
*Marc. 1. 4.*  
 nouitate vitæ ambulemus: Vnde & sacramentum poeni-  
 tentiæ in remissionem peccatorum, sacramentum fidei,  
 symbolum foederis, Lauacrum regenerationis, Ablu-  
 tio peccatorum, Sacramentum nouæ vitæ appellari  
 consuevit.

## II.

*Vim Baptismi in solis Electis habere locum: solo s. non aqua  
 solum, sed & spiritu baptizari.*

Etsi verò hæc omnia de Baptismo prædicētur, vereq;  
 illi tanquam organo spiritus Sancti ad hæc efficienda, at-  
 tribuantur, eoque & omnes qui baptizantur, tales fieri &  
 esse, sacramentaliter verè dicantur: re ipsa tamen, non  
 nisi in electis, spiritu Christi donatis, impleri credimus:  
 cum ij etiam soli verè credant, veréque ad Christum, &  
 ad mysticum eius corpus pertineant: Ac proinde, omnes  
 quidem aqua baptizari, solos autem electos, spiri-  
 tu: & omnes signum accipere, non autem omnes rei

per Baptismum significatę & oblatę, sed duntaxat electos fieri participes.

## III.

*Integrum Baptismi Sacramentum quibus  
constet partibus.*

Credimus autem, ad integrum sacramentum Baptismi constituendum, ea duo sufficere, quæ Christus instituit, nempe, simplex elementum aquæ, qua homines tinguantur, siue per immersionem, siue per aspersionem: & illam verborum formam, qua Christus baptizari docuit, in nomine scilicet Patris, & Filii, & spiritus Sancti: neque aut alia verborum forma vlos fuisse Apostolos, aut aliquid aliud aquæ adiecisse, persuasum habemus.

## IV.

*Etiam infantes fidelium baptizandos esse.*

Credimus cum tota etiam veteri Ecclesia, ad sacramentum Baptismi, admittendos esse, non solum adultos, qui poenitentiam peccatorum professi, fidem etiam in Christum profitentur: verum etiam ipsorum infantes, cum ad foedus pertinere omnino censendi sint, dicente Apostolo, Filios fidelium sanctos esse: præsertim cū nulli Christus mutauerit mandatum Dei factum Abrahæ, de obsignandis signo foederis, ipsis etiam fidelium liberis: imò dixerit, sinite paruulos venire ad me, quod talium sit regnum cœlorum.

1. Cor. 7. 14

Matt. 19.  
14.

## V.

*Quatenus in Ecclesia necessarius sit Baptismus & quatenus cuig, ad salutem.*

Credimus Baptismum in Ecclesia omnino necessarium esse, tāquam sacramentum à Christo institutum:

&amp;

## DE BAPTISMO.

93

& quo carere Ecclesia vsq; adeò non potest, vt, vbi locum non habet, cum possit, ibi Ecclesiam Christi non agnoscamus. Cuique autem ad salutem ita necessarium esse sentimus: vt, si quis tamen propter defectum ministri, nō autem ex contemptu, hinc aqua non tintitus, decedat, non eum propterea damnari, & ternōue exitio in uolui, credamus. Pueri enim fidelium ideo seruantur, quia in foedere Dei sunt & sancti: adulti autem, quia vera fide in Christū credunt, quē certè contemptum mandatorum Christi ferre non potest.

### VI.

*Baptismum semel ritè suscepsum, non esse  
repetendum.*

Credimus præterea, sicut Circumcisio in carne semel tantum fiebat: sic Baptismum aquæ, qui Circumcisioni successit, semel ritè ac legitimè suscepsum, non esse denuò repetendum. Ritè autem ac legitimè administrari intelligimus, cum doctrina primùm præcedit Euangeli, iuxta Christi institutionem, de vero Deo, & Christo, eiusque officio: & deinde aqua homines baptizantur idq; à legitimo ministro in nomine Patris, & Filii, & spiritus Sancti Nam Christus etiam semel tantum mortuus est, & sepultus: nos vero in eius mortem baptizamur, & cum ilz Rom. 6. 4. lo consepulti sumus per Baptismum. Neque Apostoli leguntur quempiam vñquam rebaptizasse: nisi Paulus eos, Act. 19. 5. qui ritè baptizati non fuerant.

### VII.

*Vim Baptismi esse perpetuam.*

Etsi verò ad sacramentum Baptismi semel tantum acceditur: credimus tamen, rem huius sacramenti, eiusq; vim esse perpetuam: hoc est, ipsam in Christum insitio-

## DE BAPTISMO.

94

nem, eoq; & beneficiorum eius participationem, ablutionem peccatorum, & regenerationem, quæ in dies ma-

*Eph. 5. 26.* gis ac magis per spiritum sanctum perficitur. Apostolus  
*27.* enim ait, Christum Ecclesiam mundare lauacro aquæ, in  
*Ioh. 1. 7.* verbo: ut eam sibi sistat gloriosam, & sine macula. Et san-  
 guis eius emundat ( quotidie ) ab omni peccato. Ac  
 proinde fidelibus, sacramento semel suscepto contentis,  
 quotidiè illius memoriam esse refricandam: &, in quem  
 nam baptizati simus, quidue per Baptismum à Deo simus  
 consecuti, & quid vicissim Deo ipsi promiserimus, ani-  
 mo repetendam esse sentimus: quò & in fide magis ac  
 magis confirmemur inq; κοινωνία cum Christo coalesca-  
 mus, & nostri faciendi officij studiosiores simus. Necque  
 enim Baptismus in remissionem duntaxat vel Originalis  
 peccati, vel præteriorum delictorum confertur: sed in  
 omnium totiusque vitæ: quemadmodum etiam extra-  
 stio ex aquis, signum est nouæ vitæ, non vnius diei, sed  
*Rom. 6. 4.* totius temporis nostri: dicente Apostolo, Concepulti su-  
 mus ( semper ) eum illo per Baptismum in mortem vt  
 sicut Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris,  
 sic & nos in nouitate vitæ ( perpetuò ) ambulemus. A-  
 qua externa semel abluti fuimus: sed sanguis Christi per-  
 petuus flunius est, nos à peccatis quotidie abluiens, atque  
 mundans.

### VIII.

*Per quos nam debeat ministrari Baptismus.*

Credimus etiam, perillos administrandum esse sa-

*Matth. 28.* crum Baptismum: per quos etiam Euangeliū prædicar-  
*19. 20.* tur. Christus enim, quibus dixerat, Euntes in viuen-  
 sum mundum prædicate Euangeliū: ijsdem etiam di-  
 git, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & spiri-  
 tus

tus Sancti : docentes eos seruare , quæcunque manda-  
ni vobis.

## IX.

## Errors.

Damnamus ergo tam veteres, quam nouas hæreses,  
quæ contra sanam doctrinam de Baptismo sparsæ vñquā  
fuerunt Scleucum & Hermiam, qui in igne baptizabant:  
Cerdonianos & Marcionitas, qui alia verborum forma  
vtebantur, quam quæ præscripta fuit à Christo: & in alte-  
rius Dei nomen, quam in nomen Patris, Filij, & spiritus  
Sancti: Qui item baptizáreunt in nomen Iohannis, vel al-  
terius hominis: Cataphryges, qui baptizabant etiā mor-  
tuos: cum Donatistis etiam Anabaptistas, qui ad se acce-  
dentes rebaptizant: qui item infantes baptizandos ne-  
gant: Eos etiam, qui verum esse Baptismum inficiantur,  
nisi accedant exorcismi, sputum, sal, & aliæ ab hominibus  
excogitatae ceremoniae.

## CAPVT XVI.

## DE COENA DOMINI.

Ex ijs, quæ tum de *κοινωνίᾳ* cum Christo, tum de  
verbo Euangeli, de Sacramētis in genere, deq; Baptismo  
diximus: facile, quæ etiam nostra sit fides de Coena Do-  
mini, intelligi potest.

## I.

*Cœna Sacramentum, organum esse spiritus Sancti ad  
κοινωνίᾳ cum Christo, & cum Ecclesia  
promouendam,*

Credimus

## DE COENA DOMINI.

Credimus igitur, Sacramentum Cœnæ esse non solum testimonium nostræ cum Christo adeoque cum eius carne & sanguine, & cum tota Ecclesia communio-  
*nis: verum etiam organum spiritus sancti, ad eandem*  
*1. Cor. 10. 16 confirmandam ac promouendam: dicente Apostolo, Pa-*  
*nis, quem frangimus, nonne communio est corporis Do-*  
*mini? Panis benedicti fractionem ac sumptionem, commu-*  
*nionem vocat corporis Domini: quoniam, qui hunc*  
*actuali fide in Dominum ipsum, edunt, in *Kowavia* cum*  
*1. Ioh. 1. 3. ipso Domino & cum eius carne & sanguine coalescunt:*  
*quemadmodum etiam, qui verbum Apostolorum fide*  
*amplectuntur, communionem accipiunt cum Apo-*  
*stolis: & communio illa est cum Patre, & Filio eius Iesu*  
*Christo.*

## II.

*Confirmatio superioris sententie.*

Sicut enim Baptisma, organum est ad hanc *Kowavia* incoandam, quia per illud renascimur in Christo: sic Cœna ad eam perficiendam instituta est: quia in ea alimur carne & sanguine Christi, ut adolescamus in ipso: dicente *1. Cor. 12. 13.* Apostolo, Omnes nos in unum corpus baptizatos esse: & omnes una potione potari in unum spiritum.

## III.

*Kowavia cum Christo incrementum, præcipuum esse finem Cœna Dominicæ.*

Sunt & alij fines institutæ Cœna Dominicæ: nempe, *1. Cor. 11. 26.* vt tum verbis tum symbolis mortem Christi & sanguinem eius pro nobis effusum repræsentantibus admoniti, beneficium Redemtionis mente recolamus: dicente Apostolo, Quotiescumque manducatis panem hunc, mortem Domini annuntiatis: eo que finis est, vt in fide de remis.

remissione peccatorū confirmemur, in spēm beatę resurrectionis nutriamur, gratias illi pro tanto beneficio agamus, ad pœnitentiam excitemur, vt denique palam coram tota Ecclesia foedus initum cum Deo, renouemus. Sed quoniam hæc omnia eò spectant, vt magis, ac magis vniāmū Christo, siamusque vnum cum ipso illeq; efficacius viuat in nobis, & nos in ipso, facti iam caro ex carne *Gal. 2. 20.* eius, & ossa ex ossibus eius: idcirco ad huius vnitio[n]is & *Eph. 5. 30.* cōmunionis cum Christo incrementum, in quo perficitur & consummatur salus nostra, Coenam cum primis institutam esse, non dubitamus. Quò etiam spectat panis & vinum, alimēta corporis: vt pro certissimo habeamus, id esse animis nostris alendis, & in vita sustentandis, carnem & sanguinem Christi, quod est panis & vinum corporibus.

## I V.

*Panis cur corpus Christi appellatus sit.*

Vnde etiam intelligimus, cur Christus panem hunc vocarit corpus suum: nempe, non ideo, quod aut propriè sit illius verum corpus, aut quod in eo conclusum sit tale corpus aut etiam, quod nudum sit signum corporis ipsius pro nobis fracti & mortui: sed quod illius sit Sacramentum, (sacra[m]enta enim, ait Augustinus nomina earum sumunt, quarum sunt sacramenta) eoq; & organum, sit spiritus Sancti, ad verum corpus Christi nobis communicandum, nosq; in eius communione confirmandos. Quemadmodum eandem ob causam Apostolus quoque Baptismum vocavit non signum regenerationis, sed lauacrum ipsum regenerationis: nimirum quoniam per hoc lauacrum aquæ in verbo, tanquam periodicum organum, Christus efficacitate sui spiritus, nos in carnē lauat, purgat, regenerat. *Eph. 5. 26.*

## V.

*Verum & substantiale corpus Christi, de pane prædicari.  
Sed impropriè, & figurate.*

Quare non dubitamus, quin in verbis Cœnæ verum & naturale corpus Christi, de pane prædicetur: præsertim, cum explicatione etiam causa addatur, Quod pro vobis traditur: ita, ut verissimè dicatur Panis est corpus Christi verum illud videlicet, quod pro nobis traditum est: Sed hoc impropriè ac figuratè: cum reuera panis pro nobis traditus non sit: sed Corpus Christi verum, cuius, panis est sacramentum.

## VI.

*Corpus Christi non esse in pane realiter & propriè.*

Hinc etiam confirmamur in sententia: sicut panis non est propriè ipsum Christi corpus, sed eius sacramentum: sic etiam corpus Christi non esse realiter, & propriè in pane. In sacramentis enim res, quarū sunt sacramenta, reapse inclusæ non sunt, quamvis illarū rerū nomina sumant: quemadmodum de Baptismo res est extra controuersiam: in quo nemo includit sanguinem Christi, quo abluimur à peccatis: aut ipsam regenerationem, Nam neque in verbo Euangeliū inclusa sunt illa realiter, quæ per ipsum annuntiantur. Sunt autem sacramenta, verba visibilia. Sed neque Christus dixit, Corpus meum est in hoc, id est, in pane: sed longè diuersa locutione, nempe, Hoc, id est, hic panis est corpus meum. Quod si eundem quis esse sensum contendat: consequetur, si in pane est realiter corpus Christi, etiam panem realiter, propriè, ac substantialiter esse corpus Christi. Quod si hoc impium est dicere: neque alterum piè dici posse, sentimus.

Sacra-

Sacramentaliter tamen inesse, eo sensu, quo & in verbo Euangelij inesse dicimus remissionem peccatorum, & salutem ac vitam, quam annuntiat & offert: non inficiamur. Verum, cum huiuscmodi locutiones, trahi à vulgo soleant ad superstitionem: omnino ab illis abstinendum, & simplicibus sacrarum literarum locutionibus vtendum esse, iudicamus.

## VII.

*In Cœna non solum symbola, sed ipsas etiam res significatas distribui.*

Hoc verò apud nos extra controuersiam positum est: licet corpus & sanguis Domini non sint, hoc est, non existant sua substantia, ac re ipsa & propriè in pane & vino, sed in coelo: cum ipsa tamen panis & vini distributione, ipsam etiam veram carnem edendam, & sanguinem potandum, verè omnibus offerri: non quidewi simpliciter, sed quatenus & illa in mortem tradita est pro nobis, & ille effusus est in remissionem peccatorum nostrorum. Manifesta enim sunt verba Christi apud Iohannem, de eden. *Ioh. 6. 55.* da carne sua, & bibendo suo sanguine, si quis velit vitam in se habere: & Apostoli, consentaneè cum Christi verbis, dicentis: Qui edit panem & bibit poculum Domini *Cor. 11. 27* indignè, eum reum fieri corporis (veri) & sanguinis Domini. Neque dubitamus, quin Christus, sicut aperte iusserat edi panem: sic etiam mox subdendo, Hoc est corpus meum, tacitè iusserit illud edi, non minus, quam panem, sed suo quodque modo.

## VIII.

*Non nisi à fidelibus verè edi veram Christi carnem.*

Cæterum licet omnibus edenda offeratur caro Christi in Coena: à solis tamen verè fidelibus verè edi credimus: tum, quia ijsoli communionem iam habent cum Christo adeoq; cum eius carne & sanguine, reliqui autem non habent, neque etiam panem sumendo, illius fiunt particeps: tum, quia ijsoli Spiritum habent Christi, cuius solius virtute caro Christi verè communicatur: tum etiam, quia soli veram adferunt fidem, citra quam illa verè percipi, ediq; non potest. Nam neque Christus verum suum corpus verè & reipsa exhibet edendum, nisi illis, qui non minus verè credunt, illud pro se traditum esse in mortem & sanguinem fusum in remissionem peccatorum suorum, quam verba illa esse vera, H o c e s t C O R -  
P U S M E V M .

## IX.

*Hypocritas, corpus Christi edere sacramentaliter.*

Interim non inficiamur, quin hypocrita etiam, vera & iustificante fide destituti, accipiendo edendoq; panem, tanquam sacramentum corporis Domini: ipsum quoque verum Christi corpus edere dici possint, nempe sacramentaliter, non autem verè & re ipsa: quemadmodū & Apostolus omnes Corinthios, qui aqua baptizati fuerant, ait fuisse sanctificatos, iustificatos, nempe sacramentaliter, ut suprà declarauimus: quanquam non omnes verè tales fuerint effecti.

## X.

*Tria comedentium hominum genera: eoq; diuersos esse edendi modos.*

Inde etiam didicimus, tria esse hominum genera, qui in questionem venire possunt, an edat carnem Christi,

sti, necne edant. Primum eorum est, qui panem sumunt, vt cibum communem, non vt sacramentum. Ij verum Christi corpus non edunt vlla ratione: & veri sunt Caper-naitæ, eorumq; comedio merè carnalis est. Alij contrà, panem non sumunt (non tamen ex contemtu) sed Euan-gelio tantum credunt: horumq; manducatio merè spiri-tualis est. Denique sunt, qui non contenti fide erga Eu-an-gelium panem etiam sumunt: non simpliciter, veluti pri-mi, vt panem nudum: sed vt sacramentum corporis Do-mini: Vnde fit, vt etiam sacramentaliter sumere & edere dicantur. Verum hoc, cum tam à pijs, quam ab impijs hy-pocritis fiat, sed diuersa ratione, ab vnis per fidem, ab al-teris sine vera fide: idcirkò etiam dicimus, impios hypo-critas sacramentaliter tantum, pios autem sacramenta-liter simul & veraciter ac spiritualiter eoque ad salutem, edere.

\*

## XI.

*Sola fide edicorpus Christi verum.*

Cum verò à solis fidelibus verum Christi corpus, nō solūm sacramentaliter, sed etiam verè sumi dicimus: in-telligimus illud edi, non ore corporis, sed mentis & spiri-tus, fide prædicti: idq; per operam spiritus Sancti, efficaci-ter in nobis operantis & totum Christum nobis applica-tis. Est enim cibus mentis (vt ait Cyprianus) non ventris. *Serm. de Cœna.*  
Et caro non prodest quidquam (vt ait Christus, & Augu-stinus exponit) sed spiritus est, qui viuiscitat. Et Apostolus *1. Cor. 12.* docet, per vnum eundemq; Spiritum, omnes nos, tum in *13.* vnum corpus baptizatos esse, tum vna potionē in vnum spiritum potari. Ac si omnis vera cum Christo unitio sit per spiritum Sanctum, etiamsi ille suo corpore maneat in cœlo, nos verò in terra: manducatio quoque eodem fiat modo, necesse est. Quid enim aliud est edere, quam

cibum tibi ad nutrimentum eius partis, cui destinatur, debita ratione sumere & vnire? Caro autem Christi (vt dictum est) cibus est mentis, non ventris. Neque certè corpus Christi aliter editur, nisi quatenus mortuum est pro nobis, factumque exsangue, prout verba sonant, fratióque panis repräsentat, & verò etiam, sicut pascha, omnesque victimæ edebantur. Nunc autem corpus viuit, & carere sanguine non potest: sicut ne in prima quidem Coena caruit, mortuumque fuit. Illud igitur propriè in nostra transire corpora, & quidem per os, sine sacrilegio dicere non possumus. Quorsum etiam, quemadmodum panis sacramentum distribuitur sine vino, & vinum sine pane: sic sine sanguine corpus, & sine corpore seorsum datur in Coena sanguis: nisi vt intelligamus, hæc sua substantia, proue vt se habent in cœlo, per nostra ora non transire, sed fideli tantum recordatione per Spiritum sanctum efficaciter excitata percipi? Nam hoc etiam ipsum petijt Dominus, dicendo, Hoc facite in mei recordationem: nec non dicendo, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Exigebat enim ita loquendo, fidem, qua hoc crederent, & credendo ederent: id est: sibi in cibum vitamque animæ applicarent. Quare illos vere, non autem per imaginationem edere carnem Christi, persuasum habemus: qui credendo, illam pro suorum peccatorum expiatione traditam esse in mortem: eam etiam pro tali sacrificio, fideli mente amplectnntur, sibiique applicant. Ac qui ita edunt corpus Christi, ut mortuum: eos, eidem iam viuenti & viuificanti, non dubitamus magis ac magis adglutinari, iuxta promissionem Christi, qui primo dixit, Qui edit carnem meam, postea subiecit, in me manet & ego in eo.

## XII.

*De corporali manducazione opinionem, tanquam  
vanam & inutilem, non esse admit-  
tendam.*

Cum porro modus hic edendi carnem Christi, nempe per fidem, & certus sit ac salutaris: alter vero, quo finitur edi ore corporis, è sacris literis demonstrari non possit: atque ut probabiliter aliquid forte de illo dicatur, necessarius tamen non sit, aut etiam animæ aliquid conducat, secum verò multa in Ecclesiam inuechat mala, portentosæ hæreses, idolomanias, idololatrias, turbas, schismata, Ecclesiarum dissipationem: religionem denique Christianam infidelibus deridendam præbeat: Credimus, pietatem postulare, ut omnes manduca-  
tione, quæ in Coena fit per Spiritum ac fidem, contenti, de altero modo ne sinamus solliciti: sed eo valere iusso, caritatem fraternalm, pacemque, in quem etiam finem in-  
stituta est Coena, sanctè colamus. Neque enim ad extre-  
num alio sensu concedi illa locutio posset: quam quo etiam quæ audiendo per aures verbo, intelligimus, ea nos auribus hausisse dicere solemus. Sed in religionem Christianam phrases à sacris literis alienas, præsertim ve-  
ro, quæ non modo inutiles, sed etiam perniciose sunt, in-  
ducendas non esse, omnino sentimus.

## XIII.

*Veram esse præsentiam carnis Christi in Coena:  
sed spiritualem.*

Ex ijs vero, quæ tum de vera vnione, tum de vera manducazione diximus: facile perspici potest, quid de vera etiā præsentia credendum sit. Credimus itaq; si cum Christo, adeoq; cum eius carne & sanguine vere & reapse vnimur:

vnimur, & si reuera edimus carnem eius ac bibimus sanguinem: eundem etiam Christum non solum sua deitate, sed carne quoq; & sanguine præsentem esse illis, qui vnitum illo sunt, quiq; illius edunt carnem, & sanguinem bibunt. Quid enim magis præsens tibi esse potest, quam id, quod verè edis & bibis, & cui substantia coniunctus es tua, quodque vicissim tibi copulatum est sua: & à quo, tanquam à capite, in te, tanquam in membrum, vita fluit atque motus?

## XIV.

*Qualis vnio est & manducatio: talem esse presentiam  
nimirum spiritualem.*

Sed sicut tam vnio, quam manducatio per spiritum fit, ac perfidem: sic etiam præsentiam non nisi spiritualem esse, & in hominibus spiritu Dei ac fide præditis, fieri, credimus atque didicimus: Ac proinde illam nulla locorum, quantumuis magna distantia, impediri posse.

## XV.

*Rem aliquam eatenus fieri præsentem, vel absentem: quatenus percipitur, vel non percipitur.*

Neque enim locorum aut propinquitas, aut longinquitas ut aliquares præsens sit vel absens efficit sed eius rei participatio, vel non participatio. Sol certe quamvis maximo spatij interuallo à nobis distet: præsens tamen dicitur, & verè dicitur esse nostris oculis, cum illius simus participes: contrà absens, cum aut' obductis nubibus, aut ad alterum hemisphærium profectus, à nos vol. Epi. 3. bis non conspicitur: Cæco prorsus homini nunquam præsens, est illius lux, etiamsi in ipsius oculos maximè incurat: quemadmodum & surdo in genus Musice concen-

*Aug. ad  
Col. 10.*

tus: & imperito, orationis intelligentia. Deus quoque procul ab impijs esse dicitur, quia fide ab ipsis non percipitur: cum tamen sua essentia non procul absit ab uno quoque nostrum. In ipso enim vivimus, mouemur, & sumus. Quatenus ergo aliqua res vel percipitur a nobis, vel non percipitur, siue  $\tau\omega\vartheta\eta\pi\eta\mu\omega$ , siue sensibus, siue mente, siue alia ratione: etenim etiam praesens esse dicitur vel absens.

## XVI.

*Quenam præsentia à nobis negentur, & quæ admittantur.*

Quare licet improbemus, aut mutata panis substantia, aut in nihilum redacta, succedere in eius locum veræ Christi carnem, & ita fieri præsentem, ut sub accidentibus panis latitet vera substantia corporis Christi: licet etiam negemus carnem Christi realiter, & sua substantia præsentem esse in pane, qui nullam cum illa habet unionem, nisi sacramentalem, quæ in mystica relatione fundata est: licet etiam inficiemur, præsentem esse impijs, qui cum Christo  $\kappa\alpha\iota\omega\omega\pi\alpha\iota\omega$  illam spiritualem non habent, neq; carnem illius verè dici possunt comedere: licet quoque non admittamus talem corporis Christi præsentiam, qua si- cut in prima Coena, ipsis Apostolis visibili aspectu erat in mensa præsens: sic nunc fidelibus sit coram in terris, sed inuisibili, & sensibus imperceptibili modo, tempore coenæ, quod hoc non solum cum natura corporis Christi, sed cū Scripturis aperte pugnet: deniq; licet detestemur præsentiam, qua nonnulli fingunt carnem Christi, sua substantia, vbiq; realiter existere: talem tamen credimus & agnoscimus præsentiam, quæ non minus essentialis est, propter res, quæ verè sunt nobis præsentes (quippe, quæcum re ipsa participes sumus) quam spiritualis propter

O

res, quæ verè sunt nobis præsentes (quippe, quarum re ipsa participes sumus) quam spiritualis propter modum, quo præsentes fiunt & reuera communicantur. Quinetiam minimè diffitemur, carnem Christi præsentem esse in pane, & sanguinem in vino: sed non alio modo, quam quo etiam, quidquid verbo Euangeli annuntiatur & offertur, id ipsum in eo præsens esse, & contineri, dicere consueimus: quando etiam sacramenta verba sunt visibilia: & omnis res signata, in suo signo, aliquo modo inest, & cum illo exhiberi solet.

## XVII.

*Præsentiam corporis Christi in Cœna non ab ubiquitate,  
sed à verbis Christi pendere.*

Vnde & illud constat, præsentiam corporis Christi in Cœna, non ab ubiquitate, sicut quidam somniarunt: sed ab ipsa Christi oratione, operante in nobis, quibus sit præsens, Spiritu sancto, pendere. Apostoli enim, si panem acceptum è manu Christi comedissent, verbis eius, nempe, **HOC EST CORPVS M&B;VM**, non auditis, nec fide perceptis: nihil profectò aliud accepissent, edissentive, quam panem: ut ad realem præsentiam in pane stabilierent, nihil tum eos potuerit iuuare portentosum, Deoque & Ecclesiæ eius inuisum dogma de ubiquitate, ex scholasticis quidem distinctionibus, sed contra ipsorum etiam scholasticorum sententiam, haustum. Atque hæc nostra est de vera *nouarvia*, de vera mandatione, déq; vera præsentia corporis Christi fides atq; confessio-

## XVIII.

*Qui ritus in Cœna celebratione usurpandi sint,*

De ritibus & ceremonijs, in celebratione Cœnæ Dominicæ, hoc unum tantum dicimus eos maximè probando;

DE FIDE, SPE, ET CARITATE 107  
bandos esse, qui ad simplicitatem Apostolicam quam  
proxime accedunt.

CAPVT XVII.  
DE FIDE, SPE, ET  
Caritate.

I.  
*Ad novicias cum Christo, eoque ad salutis participa-  
tionem, per necessariam esse  
Fidem.*

Ad insitionem in Christo faciendam, communio-  
nemque promouendam, vtitur quidem Spiritus sanctus  
externis organis, verbo Euangelij & Sacramentis: sed ni-  
si Fides, qua Christum cum eius thesauris nobis obla-  
tum amplectamur, in nobis per eundem Spiritum exci-  
tetur: organa illa nihil, nobis ad salutem prodesse, con-  
sitemur: Ac proinde ad unionem cum Christo, bono-  
rumque eius participationem, necessariam esse fidem  
non dubitamus. \*

II.

*Nomine Fidei quid intelligamus.*

Nomine autem Fidei, non humanam quandam  
opinionem, aut persuasionem de Deo, & de Christo :  
sed donum diuinæ sapientiæ atque prudentiæ, per Spi- Eph. 1. 1.  
ritum sanctum in cordibus nostris, ex auditu verbi exci-  
tatum intelligimus: quo cum toti verbo Dei in sacris li-  
teris reuelato, tum verò maximè Euangilio, latum nun-  
tium de redemptione per Christum facta, afferenti, since-  
ro, firmo, & constanti animo, propter autoritatem lo-  
quentis Dei, assentientes, Deum in illo, Deique volun-

tatem, Christum Mediatorem, eiusq; beneficia verè intelligimus: certè nouimus: per amanter amplectimur: firmaq; fiducia de Dei misericordia, amoreq; erga nos immenso, concepta eum inuocamus: ad eum redamandum accendimur: atque ad fidele obsequium illi præstandum, eumq; bonis operibus, & caritatis erga proximum officijs glorificandum, in finem usque vita constanter impellimur.

## III.

*Confirmatio superioris sententia.*

*Phil. 1. 29.* Neque enim vera fides ex humano est ingenio sed donum Dei est: neque donatur omnibus, sed tantum ele-  
*Tit. 1. 1.* ctis: neque opinio est, de rebus promissis, incerta, atque Hebr. 11. 1. hæsitans sed ὑπόστασις, firmaq; & stabilis rerum promissarum certitudo, & eorum quæ non videntur, certissima *Rom. 10. 17.* comprehensio. Neque nascitur ex auditis humanis ratio-  
 nibus, sed ex auditu verbi Dei concipitur & autoritate so-  
*1. Tim. 1. 5.* lius Dei loquentis & promittentis, nititur. Neque est aut *Matth. 13.* hypocriticus aut simulatus, assensus, sed sincerus. Neque *2d.* persuasio est temporaria, sed constans & perpetua: quamquam sæpe eam nostris peccatis labefactamus: Neque est res cæca, aut temeraria, sed summa sapientia, qua Deum *Ephes. 1. 8.* & Christianum resque diuinas cognoscimus: & Christiana prudentia, qua sit, ut cognitione illa Dei non abutamur, *Galat. 5. 6.* sed ad verum usum eam accommodemus: Nec denique *Act. 2. 20.* res est mortua: sed viua perque caritatem efficax.

## IV.

*Fidem sua habere incrementa.*

Etsi vero fides Electorum nunquam penitus excidit, sed semper viuit: nunquam tamen ita perfectam & con-  
 sum-

summam esse nouimus, quin quotidie opus habeat in- *Luc. 17. 5.*  
cremento: pro quo & Apostoli rogarunt, & nos semper *Eph. 1. 17.*  
rogandum esse Deum, confitemur. *18.*

## V.

*Confessionem veritatis à vera fide spera-  
rari non posse.*

Credimus etiam, veram fidem non posse ingenua  
veritatis confessione, cum opus est, carere: cum Apo-  
stolus dicat, Corde creditur ad iustitiam, ore autem con- *Ro. 10. 10.*  
fessio fit ad salutem: eoque damnamus Libertinos, &  
alios huius farinæ homines, qui putant sibi liberum es-  
se, vbiuis locorum, & apud quosvis homines verita-  
tem dissimulare, & ad quamvis religionem sese accom-  
modare.

## VI.

*Ex fide nasci spem.*

Credimus etiam, ex Fide nasci spem, & illam huius  
esse fundamentum, dicente Apostolo, Fidem esse hypo- *Hebr. 11. 1.*  
stata in eorum, quæ sperantur. Ideo enim futura bona spe-  
ramus, & per patientiam certò exspectamus: quia diui-  
nis credimus promissionibus.

## VII.

*Spes quid.*

Est autem Spes, donum Dei, quo bona promissa,  
quæ nondum habentur, nec videntur, per patientiam ex *Rom. 8. 24.*  
Dei misericordia, & propter solius Christi meritum, tam  
certò exspectamus, quam certò etiam credimus.

## VIII.

*Spei certitudo unde sit.*

Spes enim Christianorū, sicut non ex humanis prōmissionibus nascitur: sic neq; humanis meritis alitur, aut nititur, sed sola diuinarum promissiōnum veritate, multis modis confirmata, & in cordibus nostris obsignata: sola item eiusdem promittentis Dei efficaci omnipotētia, tum erga omnes credentes declarata, tum verò maxi-  
*Eph. 1. 20.* mē in Christo palām exserta, cum nimirum illum susci-tauit à mortuis, & sedere fecit in supercælestib; ad dexteram suam: sola denique Christi in quem credimus, & in quo speramus, obedientia atq; meritis, innixa & susten-tata: complementum salutis nostræ, resurrectionem vi-delicet à mortuis, aduentum gloriæ magni Dei, ac Serua-toris nostri Iesu Christi, plenam denique cœlestis hæredi-tatis possessionem, certo & constanter exspectat.

## IX.

*Ex fide ipsam quoque nasci Caritatem.*

Credimus etiā ex vera Fide nasci veram Caritatem: per quam operatur, & quantum efficax sit, recipit decla-rat: dicente Apostolo, eam fidem plurimum in Christo Gal. 5. 6. valere, quæ per Caritatem operatur: & Iohanne affirmā-*Ioh. 4. 8.* te, Eum nondum nosse Deum, qui non diligit. Itaq; non *Jac. 2. 15.* agnoscimus pro fratribus eos, qui fidem iactant: cum nul-l*16.* la prædicti sint caritate.

## X.

*Caritatem donum esse Dei.*

Credimus autem, ipsam quoque Caritatem singu-lare Dei donum esse: quo erga Dcū Patrem, & erga Christum Redemptorem, redamandum & glorifican-dum toto corde afficimur: & ad benevolentiam ac be-neficentiam tum erga omnes homines, atq; adeò etiam iplos

## C A R I T A T E.

ipos inimicos nostros, tum maximè erga Sanctos, inclinamur, propensiique simus. Itaque damnamus eos, qui dicunt, hominem posse suis viribus naturalibus Deum super omnia amare. Dilectio enim ex Deo est, ait *Ioh. 4.7.* Johannes.

## X L

### *Caritatis verateſtimonia.*

Neque verò illam credimus veram & Christianam esse Caritatem, quæ non accedat ad eam naturam, quam Apostolus descripsit in priori ad Corinthios, cap. 13: ni- *Vers. 4.5.* mirum ut sit patiens: comis: non inuidet: non agat per- *6.7.* peram: non infletur: non agat indecorè: non querat quæ sua sunt: non irritetur: non cogitet malum: non gaudeat iniustitia, gratuletur autem veritati: omnia sufferat, & quæ sequuntur.

## X II.

### *Caritate, κοινωνίᾳ cum Christo & Eccle- ſia foueri.*

Credimus vera Caritate *κοινωνίᾳ* cum Christo, & cum Ecclesia vehementer foueri, augeri, & conseruari: quatenus amor vnit inter se personas amantes & amatas: cum Iohannes dicat, Qui manet in Caritate, in Deo ma- *Ioh. 4.16.* net, & Deus in eo.

## C A P V T XVIII.

### *D E P O Ē N I T E N T I A.*

Tametsi hæc omnia, Fides cum Spe & Caritate, Re-  
ſipientia, Iustificatio, Studium bonorum operum, san-  
ctæq;

DE POENITENTIA.

112.

Et q; vitæ, re ipsa separari à se in uicem non possunt: quatenus tamen vnum pendet ab alio, eatenus etiam distinguenda, & singula scorsum, quid sint, quidue efficiant, consideranda esse nouimus: eoq; & nobis, quidnam de singulis sentiamus, breuiter explicandum esse duximus ac primū de poenitentia, perpetuo & indiuiduo fidei comite. Licet enim post Iustificationem quotidie perficiatur: quia tamen nemo etiam iustificatur sine poenitentia, & huius initium ipsam iustificationem præcedit: idcirco de hac priori loco, quānam nostra sit fides, explicare constituimus.

I.

*Ad iustificationem, eoq; ad novitatem cum Christo, necessariam esse pœnitentiam.*

Credimus ad veram iustitię Christi participationē, eoque ad novitatem cum Christo, necessariam esse poenitentiam: qua à peccatis & mundo, mutatione animi ac voluntatis auersi, ad Christum conuertamur, illi ad glutinemur, eoque remissionē peccatorum in ipso & ex ipso cōsequamur, iustitiaque ipsius & sanctitate induamur.

*Marc. 1. 4.* Primum enim, quod prædicauit Iohannes Baptista, atque etiam Christus, fuit poenitentia in remissionem peccatorum. *Lug. 13. 3.* Et, Nisi (inquit Christus) pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.

II.

*Nomine pœnitentia quid intelligamus.*

Nomine autem pœnitentia, duo potissimum intelligimus, primū, Serium dolorem, veramque tristitiam de peccatis aduersus Deum admissis: idq; non tam metu pœnæ, peccato debitæ, quam propter ipsum Deum sumum bonum, nostrumque conditorem & Patrem à nobis

bis offensum: & deinde, veram mentis ac cordis, consilij ac voluntatis, ad cōque totius vitæ mutationem. Hanc enim partem, quæ propriè vocatur à Christo, Resipiscētia, & à Prophetis Conuersio ad Deum, cordisque circūcisio, Apostolus ex priore proficisci docet, utramque si. 2 Cor. 7. 10. mul coniungens, cum ait tristitiam, quæ est secundum Deum, efficere in nobis resipiscētiam ad salutem.

## III.

*Pœnitentiam donum esse Dei.*

Credimus, Pœnitentiam donum esse Dei, ex mera eius gratia proficiens, non autem ullis nostris meritis, aut præparationibus debitum dicente Apostolo, Si quā. 2 Ti. 2. 25. do Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & ut resipiscant à diaboli laqueis: & Propheta, Con. Ier. 31. 18. uerte me Domine, & conuertar.

## IV.

*Ad pœnitentiam in nobis excitandam, Deum ordinariè vti verbo Legis & Euangeli: ac proinde utriusque auditionem in Ecclesia necessariam esse.*

Solet autem Deus ad pœnitentiam in nobis excitandam vti ordinariè, tum Legis, peccata nostra detegētis, irāmque Dei patefacientis, explicatione: tum Euangeli, remissionem peccatorum, & gratiam Dei in Christo monstrantis, prædicatione: quemadmodum cuique pio viro, qui legit sacras literas, manifestum est. Ac proinde utriusque in Ecclesia explicationem & auditionem necessariam esse iudicamus.

## V.

*Summa doctrina de pœnitentia adultis omnibus ubiqz & semper ad salutem necessaria.*

Summa igitur nostræ fidei de poenitentia omnibus adultis vbiique & semper ad salutem necessaria, hæc est: Poenitentiam esse mentis accordis mutationem, verbo, tūm Legis, tūm Euangelij, per Spiritum sanctum in nobis excitatam: qua peccata nostra omnia, atque adeo & ipsam naturæ corruptionem, tanquam res cum voluntate Dei (vt Lex docet) pugnantes, & quibus (vt Euangelium prædicat) expiandis necessaria fuit mors Filii Dei: ex animo dolemus: detestamur: deploramus: & cum indignatione execraramur: coramque Deo confitemur: & eorum veniam ac remissionem supplices rogamus: de emendatione autem vitæ, perpetuoque innocentiaz & Christianarum virtutum studio, sedulò cogitamus, & in eo omnibus diebus vitæ nostræ, nos ipsoſ dili-genter exercemus: ad Dei gloriam, & ad Ecclesiæ ædificationem.

## VI.

*Vulgatas penitentia partes, contritionem, confessionem  
peccatorum, & satisfactionem non simpli-  
citer damnari.*

De poenitentia partibus, præter eas, quæ explicatae sunt, non multum disputamus: persuasi è sacris literis, eam summatim consistere in serua veteris hominis mortificatione, & in noui vivificatione: Quarum prior vim habet à morte Christi: posterior vero ab eiusdem resurrectione, Spiritu sancto utramque nobis communicante: Interim non improbamus simpliciter, illam diu in Scholis receptam atque retentam partium poenitentiaz distinctionem, in contritionem, confessionem peccatorum, & satisfactionem: nimirum, si ad regulam sacramentorum litterarum examinarentur & à diis veteris Ecclesiæ moribus

ribus ac consuetudinibus non declinent. Contritionis enim, confessionis itidem peccatorum, tūm coram Deo, tūm coram fratre, quem offendimus, tūm etiam coram tota Ecclesia, cum expediat: non desunt in sacris literis testimonia. Quin etiam, si quis peccatorum mole, & perplexis tentationibus oppressus, velit consilium, institutionem, ac consolationem priuatim, vel à ministro Ecclesiæ, vel ab aliquo alio fratre in lege Dei exercitato petere: non improbamus. Satisfactiones itidem Ecclesiasticas, de quibus apud Tertullianum, Cyprianum & alios, quæ in eo tantum consistebant, ut certum veræ pœnitentiae testimonium toti Ecclesiæ præberetur, id quod vocabant F A C B R E P O E N I T E N T I A M , non possumus damnare. Damnamus verò additas superstitiones, conscientiarum carnificinas, & opiniones impias: quibus tantum non sepelitur beneficium mortis & satisfactionis lassu Christi, unici peccatorum nostrorum expiatoris, & ab omni culpa ac poena perfecti Redemptoris.

## CAPVT XIX.

## DE IVSTIFICATIONE.

*Qui vera donantur pœnitentia, eos etiam viuafide  
donari, Christo inseri, & in ipso  
iustificari.*

Hominem contritum corde, suāq; ex animo detestantē peccata, totiusq; malè astē vitæ verè pœnitentem, ad Deum verò pro remissione peccatorum suspirantem: *Psal. 32. 6.* verāmque Christi iustitiam esurientem atq; sitiētē, *Matt. 5. 6.*

hunc credimus, sicut à Spiritu sancto donatus fuit hac  
 vera in Deum pœnitentia: sic etiam ab eodem viua in  
 Christum fide donari, Christoque tanquam membrum  
 ab æterno ad hoc destinatum, suo capitiadglutinari: eó-  
 que & in ipso, primum quidem remissionem peccato-  
 rum consequi, perfectaque Christi iustitia donari, atque  
 ita verè iustum, propter Christum, cui insitus est, reputa-  
 ri, & ab omni reatu absolvi: dicente Apostolo, Nihil da-  
 mationis esse ijs, qui sunt in Christo Iesu: & Christum  
 factum nobis esse iustitiam.

*Rom. 8. 1.*  
*1 Cor. 1. 30.*

## I I.

*Qui propter Christum, cui insitus est, iustus censetur: eun-  
 dem iustitia etiam inharente donari.*

Credimus porro, qui iam propter Christum, cui per  
 Spiritum sanctum insitus est, iustus censetur, veréque iu-  
 stus est, consecutus iam in Christo remissionem peccato-  
 rum, & imputationem iustitiae eius: eundem statim etiā  
 dono iustitiae inharentis affici, vt non solùm in Christo  
 capite perfectissimè & plenissimè iustus sit, sed etiam in  
 seipso veram habeat iustitiam, qua fiat Christo re ipsa  
 conformis: quanquam, dum sumus in hac carne, nun-  
 quam eam perfectam, sed nostra culpa multis peccato-  
 rum fordibus contaminatam semper habemus. De qua  
 iustitia ait Iohannes, Qui facit iustitiam, id est, opera iu-  
 sta, iustus est. Vtramque enim hanc iustitiam coniungit  
 semper Apostolus, tum ad Romanos, tum in alijs Episto-  
 lis, & vtramque per Christum donari fidelibus docet:  
 quemadmodum etiam ad Philippenses confirmat: Et  
 quidem posteriorem iustitiam, cuius fructus manifesti-  
 fiunt hominibus, ita manifestum esse prioris testimoniū  
 dicimus, vt ubi hæc desideretur, ibi neque priori locum  
 esse

*Ioh. 3. 7.*

*Phil. 1. 11.*

*Iac. 2. 21.*

*&c.*

esse cum sanctis Apostolis profiteamur: tantum abest, ut doctrina de justificatione per solam fidem, peccatorum remissionem & imputationem iustitiae Christi apprehendentem, frena laxemus impijs hominibus.

## III.

*Quia iustitia inhärent semper imperfectissima est nostro  
vitio: ideo sola iustitia Christinos verè coram  
Deo iustos esse.*

Confitemur interim, hanc iustitiam inhärentem ita esse nostro vitio imperfectam, ut illa Christi iustitia sola, qua nobis non imputantur peccata, non solum initio conuersionis, cum **ex**impijs sumus pij, verum etiam post in finem usque vitae verè iusti siamus coram Deo, & pro iustishaberi possimus: dicente Davide, & subscribe te Apostolo, Beati quorum remissæ sunt iniquitates: & iterum, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Itaque concludimus, in sola remissione peccatorum & imputatione iustitiae Christi, veram nostri iustificationem coram Deo consistere.

Psal. 32. 1.  
Rom. 4. 7.  
Pf. 143. 2.

## IV.

*Per fidem percipi, An quis sit in Christo iustificatus:  
eoque talem tunc dici, per fidem  
iustificari.*

Quia verò iustificatio non fit sine cognitione & sensu, adeoque & assensu illius, (de adultis sermo est) qui iustificatur, sensus autem iste, sensus fidei est: idcirco tum demum iustificari hominem dicimus per fidem, cum qui insitus est Christo, is hoc percipiens, propterea persuasum habet, sibi ex sola Dei misericordia, & propter solam Christi, cui insitus est, obedientiam, satisfactionem, sa-

erifcium, ita remissa esse peccata, vt ab omni culpa & poena peccatis debita simpliciter liberatus sit: perfectam autem Christi iustitiam ita imputari, persuasum habeat, ut propterea vitam æternam non minus sibi deberi, quam debebatur Christo, omnino sentiat: cōq; verè ex gratia, & non suis operibus eam deberi intelligat.

## X.

*Confirmatio superioris sententiae, & quid sit hominem iustificari.*

Rom. 4. 8.

¶ 5. 19.

Primum enim, Iustificare in Sacris literis, tam veteris quam noui Testamenti, præsertim apud Apostolum, cum de hoc agit negotio, significat remittere peccata, cōque à culpa omni & poena absoluere, in gratiam item recipere, iustumque pronuntiare, & pro iusto habere: non qui simpliciter iniustus est, sed qui propter impenitentiam remissionem peccatorum iniustus amplius non est. Deinde licet Deus, quos in Christo, tanquam membra in capite, ab æterno elegit in filios, eosdem etiam in eodem semper Christo pro suis agnouerit, & sibi in Dilectione gratios gratis fecerit: quia tamen reapse nondum sumus insiti & incorporati, hoc vero nō sit in nobis adulterius, nisi cum donati fide, Christum pro nostra iustitia agnoscimus, & vt talem amplectimur: idcirco tum demum nos iustificari docent Scripturæ, idq; per fidem in Christum, absq; operibus nostris, cum totū hoc vera fide credimus, hoc est, cum persuasum habemus, peccata nostra, tanquam semel expiata in Christo, nobis non amplius imputari, sed ex gratia Dei, & propter solum Christum condonari: contrà verò, iustitiam Christi nobis, tanquam noscram impetrari, & nos hanc ornatos in conspectu Dei,

Iacob. 2. 21.

verè

verè iustos censeri & esse. Cuius rei effectum, eoque manifestum testimonium est ipsa incoata, ut ante diximus, & inhærens in nobis iustitia: quæ constat odio peccati, & amore iustitiae, studioque bonorum operum.

## VI.

*Confirmatio, Quid sit fide nos iustificari.*

Proinde, cum dicimus, Hominem fide aut per fidem iustificari: minimè intelligimus, fidei virtutem id esse, quo, tanquam forma, vt loquuntur, & vera iustitia, iustificemur: aut id, propter quod remissionem peccatorum & iustificationem mereamur: aut id, quod tanquam prima aliarum virtutum, omniumque bonorum operū causa & fons, trahit secum alias virtutes, caritatem, cordis misericordiam, internam iustitiam, bonaque opera, quibus iustificemur: sed quia cœu lumen est, quo intuentes in speculū Euangeliū, videmus, quales simus in Christo, ex gratuita Dei bonitate ac voluntate, & propter merita ipsius Christi: & simul etiam, quia cœu manus est, qua gratiam hanc Dei, & beneficium Christi, in Euangeliō nobis monstratum, & in persona Christi præstatum, arripimus atq; amplectimur: vel, vt breuius id, quod res est, dicamus: dicimus iustificari fide, id est, remissione peccatorū, iustitiaeque Christi imputatione, per fidem apprehensa: ita, vt fides pro re credita seu fide apprehensa, accipiatur: quemadmodum & de Abraham legimus, Credidit Abraham Deo, & imputatum ei fuit ad iustitiam: nimis id, quod credidit de semine sibi promisso, id est, de Christo. Isenīm iustitia est omnium electorum verè credentium, filiorumque, vt scriptura loquitur, promissionis.

Gen. 15. 6.

\*

## VII.

*Sola fide homines iustificari.*

Hinc

Hinc facilè etiam intelligitur, quid sit, quod cum sa-  
critis literis, & sanctis Patribus semper confessi sumus, &  
constanter confitemur, nos sola fide iustificari. Cum  
enim fide coram D E O iustificari, nihil aliud sit,  
quam remissione peccatorum, & iustitia Christi, per  
fidem apprehensis, iustum censi: hæc autem sola sit ve-  
ra iustitia: quando, quidquid in nobis est inhærentis iusti-  
tia, & quidquid facimus bonorum operū, tale est, quod  
*Ps. 142. 2.* iniudicio Dei non potest consistere: iuxta illud: Non in-  
*Ps. 130. 3.* tres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iusti-  
ficabitur in conspectu tuo omnis viuens: & iuxta illud, Si  
iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustine-  
bit? luculenter appetat, fidem nostram de iustificatione  
per solam fidem, certissimam, verissimamque esse.

## VIII.

*Non solum initio conuersionis, sed toto vita curriculo ad  
mortem usque, sola fide nos iustificari.*

Hinc etiam fit, ut non possimus non credere, & con-  
stanter confiteri, nos non solum initio, cum sumus ex in-  
iustis iusti: sed etiam toto deinceps vita nostræ curriculo,  
*Mat. 6.12.* in finem usque, sola fide in Christum iustificari: ut nostra  
*Psal. 32. 6.* iustitia sit semper ex fide in fidem. Nemo est enim, qui  
*1 Cor. 1.30.* quotidiè non peccet: ut opus semper habeamus dicere,  
*Ioh. 2. 2.* Dimitte nobis debita nostra: & Pro venia peccatorum  
orabit ad te, inquit Dauid, omnis sanctus: & Christus non  
semel, sed semper iustitia nobis est, sanctificatio, redem-  
tio, & propitiatio pro peccatis nostris,

## IX.

*Iustificationem per solam fidem non esse rem imagina-  
riam atque fictitiam.*

Ne quis verò existimet, imaginariam quandam à no-  
bis singi iustitiam, quæ nihil in nobis habeat fundamen-  
ti, &

ti, & efficacitatis: repetimus, quod antè etiam professi-  
sumus: primum quidem, fidem, qua dicimus nos iustifi-  
cari, fidem esse viuam, & per caritatem efficacem: dein-  
de, Deum nos non iustificare remissione peccatorum,  
& imputatione iustitiae Christi, quinetiam nos partici-  
pes faciat suæ diuinæ naturæ, quin regeneret, refingat, san-  
ctificet, inhærente iustitia donet, conformesque faciat  
imagini Filij sui: hanc autem incoatam iustitiam, testi-  
monium esse manifestum alterius veræ & perfectæ iusti-  
tiae, quam in solo habemus Christo: & eiusdem Spiritus  
sancti nexus utramque connecti, dicente Apostolo, Non <sup>Rom. 5. 15.</sup>  
solum gratiam Dei, sed etiam donum in gratia, quæ est  
vnius hominis Iesu Christi, in multos redundasse. Ut e-  
nim non solum inobedientia Adæ nobis imputata fuit,  
sed etiam naturæ eius corruptio in nos deriuata est: sice  
tiam non solum obedientia & iustitia Christi nobis,  
illi insitis, imputatur, verum etiam sancta eius natura re- <sup>2 Cor. 5. 17</sup>  
ipsa communicatur, vt nouæ siamus creaturæ, iusti & san- <sup>Eph. 2. 10.</sup>  
cti in nobis etiam ipsis, sectatores bonorum operum. <sup>Tit. 2. 14.</sup>

## X.

*Inhærentem iustitiam operibus bonis augeri.*

Quemadmodum verò dicimus, priorem illam iu-  
stitiam operibus nostris neque deberi neq; incoari, neq;  
augeri: si hanc alteram, licet operibus nostris præceden-  
tibus, non debeatur, nec incoetur: (omnia enim sunt pec-  
catæ, quando opera bona non præcedunt iustificandum,  
sed lequuntur iustificatum) operibus tamen subsequen-  
tibus, pietatisque exercitijs conseruari promoueri, & au-  
geri, confitemur: docente Apostolo, dona Dei in nos <sup>2 Tim. 1. 6.</sup>  
collata, huiuscmodi exercitijs, instauri ignis, excitari, fo-  
ueri, nutritri: & de quo iustitiae incremento ait Iohannes: <sup>Apo. 22. 16.</sup>

Q

*Apo. 22. 11.* Qui iustus est, iustificetur adhuc. Ac proinde, si de hac inhārente tantū sermo sit: non inficiamur, quin ex operibus bonis, & non tantū ex fide, homo iustificetur, id est, magis ac magis fiat iustus,

## XI.

*Iustitia quaē constat remissione peccatorum, & imputacione  
iustitiae Christi, non ex operibus propriè hominem  
iustificari: sed iustificatum & iustum  
esse declarari.*

Si verò de priore interrogemur: respondemus, Hominem ex operibus suis nunquam, semper autem ex sola fide propriè iustificari: sed ex operibus tamen, an iustus sit, tam vna, quam altera iustitia, necne sit, declarari: cum nemo priori iustitia iustificetur, quin etiam posterior donetur, & vtraque bonis operibus declaretur: Quo sensu locutum fuisse Iacobum, non dubitamus.

## XII.

*Errores.*

Damnamus omnes Pelagianos, qui putarunt, infantes concipi sine peccato: eoque ad salutem non opus habere remissione peccatorum, & beneficio Christi: Illos item, qui docent, etiamsi opus sit remissione peccatorum: eam tamen posse impetrari sine fide in Christum: Illos quoque, qui sentiunt, etiamsi opus sit fide in Christum eam tamen non sufficere, sed operibus etiam nostris, tanquam meritis, ad impetrandam remissionem peccatorum necessarijs, opus esse: maximè verò, qui Neque illos probamus, qui non alia iustitia nos iustificari tradiderunt, quam interna & inhārente: Sed rursus neque

neque illos, qui remissionem peccatorum absque interna renouatione & iustitia, consistere posse putarunt. Damnamus etiam eos, qui fide de Christo historica & quam Iacobus mortuam vocat, id est, nullam, existimant, se posse iustificari atque seruari. Improbatur nobis quoque eorum sententia, qui hominem iustificari, docuerunt, non remissione peccatorum, & imputatione iustitiae Christi, sed ipsa essentiali, ut vocarunt, iustitia Christi, nobis realiter communicata.

## CAPVT XX.

## DE LIBERO RENATI HOMINIS ARBITRIO, VIRIBUSQUE AD BONUM.

## I.

*Iustificatos in Christo, in eo etiam regenerari, viresq; ad bonum recipere.*

Credimus, qui Christo insiti sunt, eos, sicut in illo iustificantur, ita in eodem etiam regenerari, nouisque fieri creaturas, participatione diuinæ illius naturæ: ac proinde liberos fieri, viresque ad malum vitandum, & ad bonum persequendū. à Christo ipso, tanquam membra à capite, & sicut palmites à vite, accipere: dicente Domino, Verè liberi eritis, si Filius hominis vos liberauerit. Tūc autem liberamur, cum Christo inserimur, & illius Spiritu regeneramur: cum dicat etiam Apostolus, Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Ioh. 8.36. 2 Cor. 3.17

## II.

*Christum in renatis vivere & operari.*

Gal. 2. 20.

Confitemur enim cum Apostolo, Christum in nobis ex ipsius Spiritu renatis, viuere: neque otiosum viuere, sed operari, tum ut velimus, tum ut perficiamus pro sua erga nos bona voluntate: suoque Spiritu auxiliari infirmitatibus nostris.

Phil. 2. 13.

Rom. 8. 26.

## III.

*Renatum in actionibus etiam ad animalem & humanam  
vitam pertinentibus, præstantius se gerere quam  
non renatum: eoque magis esse  
liberum.*

Ita homo renatus, præterquam quod voluntatem retinet (sicut etiam non renatus) semper ab omni actione liberam: in omnibus etiam actionibus, tam animali, quam ad humanam vitam pertinentibus, in quibus aliquid homo non renatus valeret, multò melius & præstantius se gerit, quam non renatus: cum à Spiritu sancto, in ijs etiam actionibus agatur, mentem illustrante, voluntatem & cogitationes regente, actiones denique ex bono fonte, hoc est, ex corde bono, educente, & ad optimum finem, hoc est, ad gloriam Dei dirigente: monente nos ad hoc etiam Apostolo, & dicente, Siue editis siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Ac proinde magis etiam liber est in hoco actionum genere, quam non renatus: quatenus scilicet non ita à renatus: sed actus à Spiritu sancto, circumspectius, prudenter, & religiosius omnia cogitat, vult, aggreditur: in hoc semper intentus, ut omnia à se fiant ad gloriam Dei, ad salutem suam, & ad aliquam proximi utilitatem. Illud enim semper retinet Apostolicum, Nullus nostrum sibi ipse viuit, aut sibi ipsi moritur: sed siue viuimus, Dominus

Roma. 14.

p. 8.

mino viuimus: siue morimur, Domino morimur: semper enim Domini sumus. Ac proinde suas actiones omnes, diuinæ committit prouidentia: & cum Iacobo ait, *Iac. 4. 15.* vel saltem cogitat, Si Dominus voluerit, hoc aut illud faciam, huic aut illuc proficiscar.

## IV.

*In virtutibus etiam moralibus comparandis liberiorem esse & fortiorern hominem renatum, non renato.*

Licet etiam confiteamur, hominem non renatum auxilio Dei speciali adiutum, posse morales virtutes sibi comparare: credimus tamen, hoc speciale auxilium longè præstantius esse in renatis: idque propter præsentiam Spiritus sancti, à quo illuminantur, reguntur, aguntur: ut *Tertul. Apolo. c. 45.* meritò à Patribus demonstratum fuerit aduersus vanam *Aug. cont.* Gentium iactationem, virtutes etiam, quas vocant, morales, longè alias esse in Christianis hominibus, quam fuerint, effeue possint in infidelibus: cùm in illis simulacra tantum fuerint virtutum, in veris autem Christianis vere virtutes.

*de ciu. Det  
l. 19. c. 25.  
Orig. con.  
Cels.*

## V.

*Adea, quæ Dei sunt, & ad regnum eius pertinent, intelligenda, eligenda, præstanda, solum renatum à Spiritu sancto, verè illuminari, flecti, agi.*

Credimus vero, in ijs, quæ ad verum regnum Dei pertinent, verè intelligendis, eligendis, præstandis, solos renatos ita regi à Spiritu sancto: ut soli ea verè intelligat, velint, faciant: cum dicat Apostolus, Animalis homo *Cor. 2. 14.* non percipit ea, quæ sunt Dei, nec potest percipere: de

renato autem subdat, spiritualis autem omnia dijudicat: & alibi, Deus in nobis operatur ut velimus & ut perficiamus.

## VI.

*Renatum non solum agi à Spiritu sancto, sed etiam agere.*

Ex ijsdem Apostolicis dictis, alijsque sacrarum literarum testimonij edocti, confitemur, homines renatos ita agi à Spiritu sancto, ut & ipsi agant: & ita in illis Deum operari velle & perficere, ut ipsi sint illi, qui velint ac perficiant. Non enim stipites sunt, aut bestiæ, sed homines, prædicti mente, qua intelligunt: & voluntate, qua volunt, & qua imperant alijs animæ & corporis viribus, ut, quæ bona sunt, executioni mandentur.

## VII.

*Liberi arbitrii vires in renatis adhuc esse infirmas: ut nouo semper Dei auxilio opus habeamus,*  
*nec omnia possumus, quæ volumus.*

Cæterum, Quia nostri regeneratio incoata tantum est, & nondum perfecta, ita, ut cum antea toti essemus caro, nunc constemus partim Spiritu, & partim carne, que etiam aduersus se inuicem pugnant, ut non, quæcumque Gal. 5. 17. volumus bona, illa perficere possimus, sed mente quidem seruiamus Legi Dei, carne autem legi peccati: idcirco credimus, id quod & experimur, in renatis, multum ad hucremanere seruitutis: multas in mente caligines: in corde prauitates: in omnibus animæ & corporis facultatibus, imbecillitates: ut nouo semper opus habeamus Dei auxilio, nouaque gratia, qua & mentes magis ac magis illustrentur: & voluntates in melius corrigantur: & vites

vites ad bonum augeantur, & perficiantur. Ac proinde dum sumus in hac carne, nostrum liberum arbitrium nunquam verè & perfectè est liberum: id est, ad malum vitandum, & ad bonum faciendum, satis per se potens: præsertim cum rerum etiā omnium euentus, non in nostra potestate, sed in manu Dei positi sint: sitque necessse, vt ea omnia fiant, non quæ nos cogitauimus, sed quæ cunq; manus eius & consilium decreuerunt fieri. *Act. 4. 28.*

## VIII.

*Déum ita piorum mentes & voluntates regere, vt in ipso temptationum & carnis conflictu non sinat eos penitus à se excidere.*

Illud interim retinemus, eorum, qui Christo insiti sunt, animos & voluntates, Spiritus sancto iam donatas, ita propter Christum à Deo regi & sustineri: vt, licet si. *Ier. 32. 40.* nantur multis modis, multisq; temptationibus labefacta. *Luc. 22. 32* ri: penitus tamen, & in finem usque succumbere, tan- *Rom. 8. 35.* déique perire, non permittantur.

## IX.

*Errores.*

Damnamus eos, qui renascentiam vel negantes, vel extenuantes, hominem renatum, æquè impotenter ad bonum, & æquè seruum peccati esse volunt, atque etiā erat, antequam renasceretur: contrà nimis multa & manifesta Sacrarum Literarum testimonia, de renatorum à seruitute peccati liberatione, & ad bonum libertate: vt de summa iniuria, quæ fit Spiritui sancto, in nobis habitanti & agenti, taceamus: Rursus & illos improbamus, qui hominem renatum ita libera-

tum

tum esse volunt ab omni peccati seruitute, ut non possit amplius ullo modo peccare: contradicentibus omnibus in uniuersum sacris literis, & quotidiana experientia. Etsi enim non permittimur peccare ad mortem, multa tamen admitti à nobis peccata, sua natura digna morte, per senatum est. Itaque contra etiam illorum non probatur sententia, qui in renato ita vires Spiritus extenuant, & reliquias carnis amplificant: ut saeppe Spiritus operationem viribus veteris hominis penitus extingui, dicat: ipsiusque renatum gratia Dei omnino excidere, atque numquid perire doceant: contradicente Deo per Prophetam, Dabo timorem meum in corda eorum, ut non recedant a me: & Apostolo affirmante, Firmum stare 2 Timo. 2. fundamentum, &c. & Qui incepit in vobis bonum opus 19. perficiet usque in finem,

*Pbil. 1. 6.*

## CAPVT XXI.

## DE BONIS OPERIBVS.

## I.

*Qui Christo insiti sunt, eos etiam inde habere unde & uiuant ipsi, & opera vita alijs proferant: atque hunc esse finem insitionis praecipuum.*

Sicut palmes ex vite non solum succum haurit, unde viuat ipse, sed etiam ex eadem habet, unde bonos fructus nobis proferat: sic etiam credimus, sanctos a Christo cui insiti sunt, habere non solum vitam, qua ipsi viuant, verum etiam vim, qua fructus bonorum operum edant, ad gloriam Dei, & ad Ecclesiarum ædificationem: dicente Domino,

## O P E R I B V S.

n<sup>o</sup>

Domino, Ego sum vitis, & vos palmites: qui manet in <sup>Ioh. 15. 1.</sup>  
me, & in quo ego maneo, is feret fructum multum. Quo &c.  
illud etiam pertinet, Ipsius factura sumus, conditi in <sup>Eph. 2. 10.</sup>  
Christo Iesu ad opera bona, quæ præparauit, ut in ijs am-  
bulemus.

## II.

*Bonorum operum nomine quid intelligamus.*

Bonorum autem operum nomine intelligimus o-  
mnes illas actiones & opera, quæ à renatis, ex præscripto <sup>2 Pet. 1. 5.</sup>  
diuinæ voluntatis, in verbo reuelatæ, & ex viua fide in <sup>&c.</sup>  
<sup>1 Tim. 1. 5.</sup> Cristum. cōq; ex puro corde, per Spiritum sanctum fiunt.  
Sicut enim omne, quod non est ex fide, peccatum est: sic <sup>Ro. 14. 23.</sup>  
omnia, quæ ex fide fiunt, cōque ex corde puro, bonaque  
conscientia, bona sint opera, necesse est: Quare inter bo-  
na opera, Deoque grata minimè ea connumerari posse <sup>Colo. 2. 18.</sup>  
sentimus: quæ ab impijs sine fide, sineque verbo Dei, ci- <sup>23.</sup>  
trāque Spiritus sancti ductum fiunt: vt ut speciem ha. <sup>Mat. 15. 9.</sup>  
beant maximæ pictatis, & cultus diuini. <sup>9.</sup>

## III.

*Opera bona ex vi Spiritus Christi à nobis fieri.*

Vt verò palmites vitis, aut rami Oleastri, insiti bonæ  
oliuæ, fructum à seipsis non ferunt, sed ex vi vitis, atque  
oliuæ, quibus insiti sunt: sic etiam nos opera bona non  
facimus ex nobis ipsis, sed ex vi Spiritus Christi, cui su-  
mus incorporati, & vnde etiam vitam, qua viuimus ipsi,  
haurimus: Christo ipso in nobis per suum Spiritum ope-  
rante, tūm ut velimus bonum, tūm ut perficiamus.

Nam sine me, dicebat ipse, nihil po-  
testis facere,

<sup>Phil. 2. 17.</sup>  
<sup>Ioh. 15. 5.</sup>

R

*Bona opera non esse causam, sed effecta nostrum  
Christo unionis & iustificationis, no-  
straq[ue] vita.*

Quemadmodum etiam palmites, & rami non ideo proferunt fructus bonos, vt per illos aut inferantur viti & oliuæ, aut ipsi viuiscerent, sed ideo fructificant, quia insiti iam sunt & viuunt, ac proinde boni illorum fructus cause non sunt inscriptionis & vitæ, sed effecta & manifesta testimonia: Eundem ad modum sese rem in nobis cum Christo habere, credimus: sicut & Augustinus abunde docet, qui etiam dixit, opera bona non præcedere iustificandum, sed se qui iustificatum. Ac proinde constanter confitemur, hominem ex operibus (propriè & de iustificatione vitæ loquendo) non iustificari, sed iustum esse declarari,

## V.

*Licet nos ex operibus nostris non iustificemur: alios tamen sape edificari & seruari.*

Interim illud etiam addimus, sicut ex fructibus arborum, quanquam ex ijs ipsa non viuunt, alij tamen vt anima ex operibus nostris nos non iustificemur, alios tamen inde non parum edificari, & tum ad Deum glorificandum, tum ad veram in Christo iustitiam & vitam querendam ex emplo nostro excitari, cōq[ue] seruari: dicente etiā Apostolo se ideo ministerium suum inter gentes (diligentia scientia & sanctitate etiam vitæ) illustrasse, vt ad emulacionē prouocaret eos sanguineos suos, & aliquos ex illis seruaret: Et alibi, Nonnunquam per coniugē fidelem (piè scilicet & sancte viuentē officiūmq[ue] facientem) infidelē coniugem.

Matt. 5. 16. Rom. 11. 13. 1 Cor. 7. 16. Ti mo. 4. 16.

iugem seruari. Et ad Timotheū, si curet suum, id est, Episcopis facere officiū, scribit eum & se & alios seruaturum.

## VI.

*Licet negemus, per opera hominem iustificari, non propterea tamen illa à nobis damnari.*

Quamobrem, licet negemus, hanc ob causam facienda esse bona opera, ut per illa iustificemur: propterea, quod hoc gratuitam Dei iustitiam, totumque Christi beneficium euertit: non propterea tamen improbamus studium sancte vitæ, bonorumq; operum: imò comprehendamus, vrgemusque semper pro nostra virili.

## VII.

*Multas, easq; grauiissimas esse causas, cur bonis operibus faciendis studendum sit;*

Sunt enim multæ, grauiissimæq; cause in sacris literis explicataæ, cur in studium bonorū operum, quanquā per ipsa non iustificemur, diligenter tamen incumbendum nobis sit: quarum aliæ ad gloriam Dei immediate referuntur: aliæ ad salutem proximi, Ecclesiaeque utilitatem: & aliæ ad nostram erga Deum gratitudinem, & verò etiam ad salutem nostram pertinent. Deus hoc mandat: est autē Deo simpliciter obtemperandum. Deus per hæc glorificatur: est autē promouenda gloria Dei. Deus propterea nos elegit, creauit, redemit, Christo inserit, ut sibi, iuste, & piè viuamus in hoc seculo: non est autē Deus suo fine defraudandus. Deo placet: odit enim iniquitatē, & diligit iustitiā: sunt autem facienda nobis ea, quæ placet Deo, etiamsi nulla vñquā utilitas inde proueniret vel proximo vel nobis. Sed & proximo, atq; adeo ipsi Ecclesiæ cū primis, utilitatis quām plurimū accedit ex operib.

*Mat. 5. 16.**Tit. 2. 12.**Act. 10. 35.**Colo. 1. 10.**1 Thes. 4. 7.*

nostris: non solum quo ad corpus, exteriusque comindada, sed etiam quo ad aeternam salutem: dum nostro exēplo (vt alia taceamus) ad studium eiusdem pietatis provocantur electi. Nobis vero prosunt, primū, quia per bona opera, tanquam per effecta electionis & vocatio-  
*2 Cor. 1. 4.*  
*&c.*  
*Heb. 10. 24.*  
*2 Pet. 1. 10.*  
*2 Tim. 1. 6.*  
*Eph. 4. 30.*  
*Deut. 28.*  
*Eph. 2. 10.*  
*Ioh. 15. 6.*

nis, certam facimus vtramque, tum nobis, tum alijs: secundò, quia fides suis fructibus non solum sese patescit atque exserit, verum etiam exercetur, accenditur, corraboratur, augetur: quemadmodum omnes etiam virtutes morales ex sui exercitatione incrementum & stabili-  
mentum capiunt: tertio, quia sicut peccatis contristamus Spiritum sanctum, in nobis habitantem: sic bonis operibus exhilaramus, eoque nostra corda & conscientias spirituali laetitia afficimus: contrà vero diaboli tentationibus resistimus: quartò, quia sicut vitando peccata, multæ etiam poenæ vitantur: sic bona opera facientes, multis Dei benedictiones consequimur, tum in hac quas ordinariè Deus suos electos in vitam deducit aeternam: nam: & nisi palmes ferat fructum, excidetur, & in ignem abijcetur.

## VIII.

*Operibus nostris bonis promitti & dari mercedem, sed ex gratia, & propter Christum.*

Ex quibus intelligimus, licet operibus nostris non possimus (proprio loquendo) mereri nobiscælestis hereditatis possessionem (gratia enim Dei est vita æterna:) eam tamen tanquam mercedem, sed ex gratuita Dei misericordia, & propter merita Christi, nos consequi posse.  
*Luc. 10. 17.*  
*Rom. 6. 23.*  
*Ier. 31. 34.*  
*Mat. 5. 7.*

## IX.

*Errores.*

Damna-

Damnamus igitur omnes, qui ex dignitate suorum  
operum, docent, sibi deberi vel remissionem peccatorū,  
vel vitam æternā, vel alia quævis bona. Nam etiam si per-  
fectè mandata Dei seruaremus: futuri tamē essemus serui  
inutiles. Nunc autem nemo, etiam post insitionem in  
Christum & iustificationem, seruat mandata Dei, ut par-  
est, seruare. Interim non improbamus Patres, cum vtun-  
tut nomine meriti: quatenus scilicet ea voce nihil aliud  
intellexerunt, quam opus bonum, ex fide factum, cui  
ex gratia, & propter sola Christi merita, rependitur mer-  
ces. Rursus illos non possumus probare, qui de bonis o-  
peribus ita disputant, perindeatque si res sint indifferen-  
tes: eoque dicunt, ea non solūm non esse necessaria, sed  
nihil etiam facere ad nostram salutem. Quomodo enim *Heb. 11. 6.*  
seruari quis potest sine fide? Quomodo autem fides viua *Iac. 2. 20.*  
esse potest, sine studio bonorum operum? Quomodo  
item fidem retinere quis potest, nisi retineat bonam etiā  
conscientiam? Quomodo autem retinere bonam con- *1 Timo. 19.*  
scientiam, nisi studium retineat vitandi peccata, bonāq;  
opera faciendi, & totam vitam ad voluntatem Dei com-  
ponendi? Simpliciter verò damnamus Libertinos, qui  
bus perinde est, mandata Dei seruare vel non seruare, be-  
nefacere & malefacere. Damnamus & illos, qui opera  
nostra bona ipsis etiam demortuorum animis, in accen-  
so quodam igne, quem purgatorium vocant, collocatis,  
prodesse docent: cum scriptura dicat, vnumquemque  
iudicatum iri secundum opera sua, quæ egit ipse in  
corpo suo: & ipsos mortuos opera non  
aliorum, sed sua ipsorum  
consequi.

*2 Cor. 3. 10**Apo. 14. 13.*

DE INVOCATIONE  
CAPVT XXII.

DE INVOCATIONE ET  
iuramento.

Quia interalia bona opera, à Deo mandata, non poteremus est inuocatio, vsq; adeò, vt sàpe in sacris literis pro toto cultu Dei accipiatur, cui & iuriandum additur, tanquam pars diuini cultus: idcirco, quæ sit nostra etiam ijs duabus de rebus fides, breuiter explicandum dum ximus: præsertim cum etiam de utroque articulo non nulla sit cōtrouersia inter eos, qui Christum profitentur.

I.

*Solum Deum, eoque & Iesum Christum esse  
inuocandum.*

Credimus, cum de inuocatione agitur, quæ ad religionem pertinet, verum Deum, (is autem est Pater, Filius & Spiritus sanctus), eoque, & Iesum Christum, aduocatum nostrum, esse à nobis inuocandos, & præterea neminem. De solius enim Dei inuocatione exstāt manifesta mandata: quando solus etiam colendus & adorandus est. De Christo etiam, tanquam mediatore & aduocato, testimonia exemplaq; non desunt in actis Apostolicis, in Epistolis, in Apocalypsi. Quemadmodum verò expressè cauetur, ne vllam puram creaturam, quæcunq; illa sit, vel in cœlo vel in terra, adoremus & colamus: sic etiam prohibemur ilias inuocare. Siautem, quidquid non est ex fide, peccatum admittitur: cum ne gentiles quidem senserint, quempiam esse inuocandū, nisi qui pro Deo haberetur. Et quomodo inuocabunt, inquit Apostolus, in quem non credunt.

*Deu. 10.12.*  
*Mat. 4.10.*  
*Col. 2. 18.*  
*Johan. 1.6.*

derunt. In solum autem Deum, & in Iesum Christum credendū esse, tota sacra scriptura, totaq; Ecclesia catholica, vel ipso symbolo, quod quotidie recitatur, manifeste docet.

## I I.

*Christiano homini licere legitimè iurare.*

Credimus etiam, Christiano homini licere, legitimè iurare, nimirum in veritate, (vt docet Propheta) in iudicio, in iustitia: ita vt iuriandum sit neq; falsum, neq; temerarium, neq; iniquum. Neq; enim damnatur, quod quis assumat nomen Domini, sed si assumat in vanum, & ad mendacium. Et apud omnes gentes, iam inde à condito orbe, iuramentum fuit receptum: quando ad gloriam Dei facit, & ad utilitatem proximi. Quin Dei ipsius quoque & Christi, & Apostolorum exemplis confirmatum fuit, cum sit pars diuini cultus: vt de perpetuo totius Ecclesiae consensu taceamus. Quare doctrina Christi apud Matthæum, & Iacobi in Epistola, cum hac pugnare non potest. Nam aduersus abusus iuramenti locuti sunt: & veram intelligentiam mandati de iuramento explicare voluerunt.

*Iere. 4. 2.**Mat. 5. 34.**Iaco. 5. 12.*

## I II.

*Non esse iurandum, nisi per Deum.*

Credimus, cum iurandum est, neminem præter Deum in testem conscientiæ nostræ inuocandum, citandum esse: eóq; non esse iurandum, nisi per Deum. Solus enim Deus cordium nostrorum inspecto[r] est, & solus in animas nostras habet potestatem: ac proinde solus hoc honore & cultu afficiendus est, vt testis ac vindex in animas nostras à nobis appelletur, si non seruemus, quod iurando promittimus.

*¶ 17*

## I V.

DE INVOCATIONE  
IV.

*Iuramenta iusta, & legitimè facta, esse  
seruanda.*

Hinc, propter honorem Dei, cuius nomen in iuramentis, quasi oppigneratur, omnia iuramenta legitimè facta, seruanda esse, confitemur: quemadmodum & lex mandat, Neque enim nomen Dei inuanum, aut in mendacium sumendum est.

## V.

*Iuramenta de rebus impījs & iniquis, hoc est, cum Lege  
Dei pugnantibus, non esse facienda: & facta  
non esse seruanda.*

Rursus, cum nihil vñquam impijaut iniqui, hoc est, cum Lege Dei pugnans, promittendum sit: multo minus iureiurando, & interposito nomine Dei, confirmandum esse, iudicamus: quod si fiat, tale iuramentum per se illicitum, non esse seruandum, affirmamus: quod illud prestando bis peccetur: sicut de Herode legimus apud Euangelistas.

## VI.

*Iuramenta, quæ sine transgressione Legis diuina seruari  
non possunt, non esse seruanda: etiam si nonnulla  
ipsorum per se iniqua non sint.*

Illud quoque adiicimus, quævis iuramenta, quæ si C. 22. q. 4. nemandati diuini transgressione seruari non possunt, licet etiam per se iniqua non sint: ea tamen seruanda non esse. Ac proinde, qui cœlibatum perpetuum, (exempli causa) iureiurando promisit, quem postea sine manifesta Legis Dei transgressione seruare non potest: hunc tale iuramentum seruare nullo modo debere, sentimus.

## VII

## VII.

## Errores.

Improbamus igitur, qui inuocant idola, homines demortuos, res inanimas, eas uadorant. Improbamus & Anabaptistas, qui omne iuramentum simpliciter damnant, nullumque licitum esse, contendunt, homini Christiano: Nec non & illos, quia lios, præter Deum, testes inuocant in animas suas: denique illos, qui vota & iuramenta per se impia, & quæ sine scelere seruari nequeunt, ea tamen omnino seruanda esse, contendunt.

## CAPVT XXIII.

DE ECCLESIA CHRISTI  
in genere.

Quia constat, qui Christo, tanquam membra capiti, nexus Spiritus sancti adglutinati sunt, ex ijs constare Ecclesiam Christi, quæ est corpus ipsius: constatque, verbum Euangelij & Sacra menta, quibus, tanquam organis, homines Christo vniuntur, non administrari nisi in Ecclesia: quicunque etiam vera fide in Christum, spe, caritate, poenitentia, studio bonorum operum prædicti sunt, hos ad Ecclesiam pertinere: idcirco, de Ecclesia quæ nostra sit fides, explicare, opera preium duximus: præsertim, cum de hoc potissimum articulo maximè sint controvèrsiæ. Ac primùm quidem, de Ecclesia Christi in genere: sic cum tota ipsa Ecclesia confitemur fidem nostram, dicturi porro speciatim de militante, deque ijs quæ ad eam pertinent.

## I.

*Articulus fidei de Ecclesia ex symbolo  
Apostolico,*

*Credimus sanctam Ecclesiam catholicam  
sanctorum communionem.*

## II.

*Nomine Ecclesia quid intelligamus, eiusq;  
descriptio.*

Nomine Ecclesiaz Christi, intelligimus certum,  
Deoque notum numerum ac coetum, tum Angelorum  
tum hominum: non solum ad habendam perpetuam cum  
Christo, & inter se communionem, & ad verum Deum  
ex ipsius voluntate atque mandato, perpetuò coleendum,  
seque mutuò sincera & perpetua caritate amandos, ele-  
ctorum ac praedestinatorum: verum etiam in tempore ex  
aliorum numero efficaciter, per Spiritum sanctum, euo-  
catorum, & Christo, tanquam capiti suo, adglutinatoꝝ,  
eoque verè sanctorum: à condito orbe incoatuꝝ, & in hac  
usque tempora perpetuo filo, nexuque Spiritus sancti,  
collectum ac continuatum, & in finem usque mundi, imo  
in omnem æternitatē, continuandum: partimq; iati in  
coelis cum Christo triumphantem: partim in terris ad-  
huc, cum varijs hostibus, pro Christo militantem: ver-  
bum Euangeli prædicantem & audientem: Sacraenta  
administrantem & percipientem: præceptaque Christi  
seruanda, tum publicè tum priuarim curantem.

## III.

*Ecclesiam esse coetum ex multis constantem.  
Ecclesiam enim esse coetum, ex multis constantem, ac  
ceu*

ceu corpus, ex multis membris compositum, docent sa-  
cræ literæ: cum eam vocant corpus Christi, varijs distin-  
ctum membris: gregem item ouium, regnumque Dei,  
& ciuitatem multis constantem ciuibus, & similibus alijs  
vocibus.

Eph. 1. 23.  
Ioha. 10. 3.  
&c.  
Heb. 11. 10.

## IV.

*Ex electis tantum, Christo iam incorporatis, con-  
stare Ecclesiam.*

Hos verò multos, è quibus constat Ecclesia, non es-  
se, nisi electos, Christo iam insitos, & Christi sanctitate  
donatos: cædem sacrae literæ abundè docent, cum alibi,  
tùm præsertim ad Ephesios: vbi de Ecclesia, eiúsq; mem-  
bris loquens Apostolus, omnes nos ait fuisse electos in  
Christo: in ipso habere redemtionē: ob signatos esse spiri-  
tu promissionis sancto: Christum datum esse caput ipsi  
Ecclesiæ: Ecclesiam esse corpus ipsius. Est igitur tale cor-  
pus, cuius singula membra uno eodemque Spiritu, tūm  
capiti Christo, tūm inter se, connectuntur: à capite viuifi-  
cantur: illiisque sanctitate donantur, ita, vt totum hoc  
corpus verè sanctum sit, & sancta vocetur Ecclesia.

Eph. 1.

## V.

*Ab Ecclesia corpore non excludi sanctos  
angelos.*

Neque verò ab hoc Christi corpore, quod est Eccle-  
sia sancta, excludimus Angelos: tūm quia Apostolus aper-  
tè de Ecclesia loquens, complectitur in ea etiam Angelos: Heb. 12. 22.  
tūm quia & ipsi nobis eum, sub uno & eodem capite Chri- Eph. 1. 10.  
sto, in unum corpus collecti sunt, & manifestè Christus Colo. 2. 10.  
ab Apostolo caput Angelorum vocatur: tūm quia sese Apo. 22. 9.  
vocant nostros conseruos: cundemq; nobiscum habent  
Patrem, & eundem colunt Deum, simulq; omnes in sem-

piternum futuri sumus in eadem ciuitate Ierusalem cœlesti: sunt denique & ipsi sancti. Esta autem Ecclesia communio omnium sanctorum.

## VI.

*Reprobos hypocritas, licet sint in Ecclesia, de Ecclesia tamen non esse.*

Ita meritò credimus, & profitemur, reprobos hypocritas, licet in Ecclesia habitent, & inter sanctos versentur: eos tamen non esse de Ecclesia, neque Ecclesia membra, cum reuera capiti Christo adglutinati non sint, neq; eius Spiritu donati, cōque nec verè sint sancti: dicentes etiam Apostolo Iohanne, de quibusdam hypocritis, *Ioh. 2.19.* Exierunt à nobis, (vt fæces è corpore) sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. De Ecclesia igitur non sunt, qui tandem à Christo deficiunt, & perpetuam cum Christo, & cum sanctis omnibus communionem non retinent: vtut magni & præclari in Ecclesia viri ad tempus esse videantur, adeoque & Reipublicæ Christianæ gubernacula teneant, totique præsent Ecclesiæ. Membra enim sunt Satanæ, non Christi: quicunq; Spiritum CHRISTI non habent, sed Antichristi.

## VII.

*Vnam tantum semper fuisse & esse Ecclesiam Christi.*

Confitemur autem, vnam duntaxat semper fuisse & *Eph. 4.4.5* esse Ecclesiam Christi: quia vnum tantum semper fuit & est corpus, cui Christus datus est à Patre, caput: unus tantum Spiritus, quo omnia membra simul cum capite connexa sunt: ynus tantum Deus, ad quem colendum, & in

## CHRISTI.

141

& in sempiternum glorificandum, electi vocatique sumus omnes: vna omnium credentium fides, vna salus, vna denique omnium hæreditas coelestis. Quò spectat, quòd etiam Christus suam Ecclesiam, vnam semper non minauit, & vnum gregem. Non aliam igitur facimus Ecclesiam, quæ fuit à condito orbe, & ante aduentum Christi: ab ea, quæ iam est: & vsque in finem mundi futura est: sed vnam omnium temporum, omnium locorum, omnium personarum, Christo adglutinatarum: eoque vnam omnium sanctorum communionem esse dicimus: à qua qui secessionem faciunt perpetuam, eos ad hoc vnum corpus non pertinere, persuasum è sacris literis habemus.

## VIII.

*Ecclesia Christianæ vnum tantum esse caput,  
Iesum Christum.*

Hinc in fide confirmamur, cùm vna tantum sit Ecclesia Christi, quæ est corpus ipsius: vnum etiam duntaxat cius esse, & semper fuisse caput. Capitis autem nomine eum intelligimus, qui à Deo, iam inde à condito orbe in eum finem datus est Ecclesia, vt ciudem tandem fieret cum ea: naturæ, vt eam redimeret: vt eam sibi adglutinaret: vt eam viuiscaret: vt eam splendore suæ sapientiæ illustraret: igne diuini amoris accenderet: ad omnines bonos affectus, bonaque opera efficaciter moueret: perpetuò regeret, atque seruaret. Hoc enim proprium esse capitis erga totum corpus officium: præter quotidianam in natura experientiam, ex ipsis quoque sacris literis didicimus. Quis autem hoc potuerit præstare, præstiterit ut Ecclesia, & præstet: neminem præter Iesum Christum agnoscimus: interim non inficiantes,

qui nō omniū hypocitarum, qui sunt in Ecclesia, cōque ipsius Ecclesiæ hypocritice, vnum possit esse caput: cūm hoc futurum prædixerint Prophetæ, & Apostoli confirmant. At verò sanctæ Ecclesiæ vnum tantum esse caput, Iesum Christum: cum sanctis Apostolis credimus & confitemur.

Eph. 1. 22.  
& 4. 15. &  
S. 23.  
Colo. 1. 18.

## IX.

*Hanc Ecclesiam verè sanctam esse.*

Vnde etiam sequitur, hanc Ecclesiam idèò verè sanctam esse: quia sanctissimum habet & sanctificans caput: quia nulla ei imputantur peccata: quia ab eo spiritum haurit sanctificationis: & quia, quidquid sanitatis est in capite, totum hoc singulis membris imputatur.

## X.

*Verè etiam esse catholicam.*

Confitemure tamen, eam esse verè catholicam, id est vniuersalem: quia caput eius etiam catholicum est & aeternum: omnibus temporibus, iam inde à constitutione mundi, usque in finem, ex omnibus hominum generibus, & nationibus, & ubique locorum membra sibi adglutinans, atque ad aeternam beatitudinem sibi regens ac seruans.

## XI.

*Ecclesiam hanc unam, partim in cœlis esse Triumphantem,  
& partim in terris Militantem.*

Agnoscimus verò Ecclesiam hanc, licet una sit, semperque fuerit: ita tamen esse distinctam, ut una pars sit in cœlo, cum Christo, iam resuscitato, & ad dextram Patris sedente, triumphans: altera in terris, cum carne adhuc & sanguine, cum mundo, & cum diabolo pugnans. Vnde illa recepta est apud omnes pios Ecclesiæ distinctio, in triumphantem & Militantem.

C A.

DE ECCLESIA MI-  
litante.

Quanquam ex ijs, quæ de Ecclesia in genere confes-  
si sumus, quid etiam peculiariter de militante credamus,  
facile quisque videre potest: quò tamen clarius & faci-  
lius fides nostra intelligatur, cōstituimus scorsum de hac  
Ecclesia, partim quæ dicta sunt de tota, breui repetitione  
ad hanc referentes, partim, quæ propria huius sunt, ad-  
dentes, nostram explicare sententiam

## I.

*Ecclesia militantis descriptio.*

Credimus igitur, Militantem Ecclesiam esse cœtū  
hominum, ex quauis gente & natione ad æternam vitam  
in Christo ante mundi constitutionem electorum: qui Eph. 1. 4.  
in tempore è mundo ad Christum, & è regno diaboli ad  
regnum Dei, per Euangelij prædicationem, & per Spiriti Mat. 28. 19.  
sanctum euocati, & in vnum corpus sub uno capite Mar. 16. 15.  
Christo collecti, eóq; verè iusti & sancti effecti, vbiq; unq;  
sint, & quamlibet multivel pauci sint: eandem in Deum Ro. 10. 14.  
& in Christum fidem, eandem cœlestis hæreditatis spem Eph. 1. 22.  
propter sola Christi merita, eorundem Christi mandato- Mat. 18. 20.  
rum obseruantiam, eoque fraternalm inter se dilectionē, Ioh. 10. 27.  
& verò etiam erga omnes caritatem, summa cōfessione, C. 13. 4.  
& ex animo profitentur: verbum Euangelij prædicant  
& audiunt: sacramenta ex Christi institutione admini-  
strant, & accipiunt: atque vt omnes sobriè, iuste, & piè vi-  
uant in hoc seculo, id diligenter dant operam: interim, Rom. 7.  
dum sunt in hac carne, perpetuò pro regno Christi mili-  
tantibus,

tantes, contraque peccatum in carne habitans, contra mundum, se aut ad peccata allicientem, aut propter Christum persequentem, contra denique diabolum de-  
*Eph. 6.12.* certantes: & per patientiam aduentum Christi, ater-  
*Matth. 13.* namente felicitatem exspectantes, inter quos multi qui-  
*Ioh. 2.19.* dem reprobri etiam, & improbi hypocritae versantur, eu-  
*Matth. 13.* demque Christum profitentur: sed sicut ipsi nihil minus,  
*Ioh. 2.19.* quam de Ecclesia sunt, sic eorum improbitas, Ecclesiam  
*Matth. 13.* non tollit, Ecclesiæque nomen delere non potest. Neq;  
*Mat. 25.1.* enim diffitemur, quin nomine Ecclesiæ, hypocritæ etiæ,  
*Mat. 16.18.* qui in ea sunt, comprehendantur: dicente Domino,  
*Ioh. 2.19.* eam similem esse areæ, in qua frumentum & paleæ: agro,  
*& mali,* cœtui decem virginum, in quo aliæ sapientes,  
*alii fatuæ,* sed eosdem de Ecclesia non esse: idem Domi-  
*nus docuit, cum dixit, se talem Ecclesiam ædificaturum,  
*aduersus quam portæ inferorum nunquam essent præ-  
*litoræ:* & Iohannes confirmauit in sua epistola, cum di-  
*xit, Exierunt à nobis, sed non erant ex nobis. Hanc cre-  
*dimus esse veram Ecclesiæ militantis descriptionem. Ha-  
*bet enim manifesta è sacris literis testimonia.*****

## II.

*Discrimina inter Triumphantem & Mili-  
tantem.*

*Ita, quanquam Triumphans & Militans vna & ei-  
 dem sit Ecclesia: quantum tamen etiam sit discriminis  
 inter utramque facilè intelligimus. Nam præterquam,  
 quod hæc Militans ex solis constat hominibus, cum illa  
 beatos quoq; angelos habeat annexos, atque præsentes:  
 opus etiam hæc habemus prædicatione verbi, sacramen-  
 torum administratione, morum disciplina, quæ in cœlo  
 locum*

locum non habent. Ab illa item omnes excluduntur impij & hypocritæ: in hac autem semper cum bonis permixti sunt mali, cum bonis. Et illi quidem fratres coelestes, tanquam rude donati, de deuictis hostibus triumphant, atque exsultant, præsentes ad Dominum, cùmque vident facie ad faciem: nobis autem certandum adhuc est cum carne & sanguine, cum mundo, cum peccato, cum Satana, principe huius mundi: & videmus per speculum in ænigmate, peregrinantes à Domino: illa denique ita vna est semper & eadem, vt neque in partes diuidatur, neque vllis obnoxia sit mutationibus, id quod certè de Militante dici non potest.

## III.

*Militantem Ecclesiam ita esse unam & eandem, cāmg.  
catholicam: ut non semper tamen eodem se habeat  
modo, & in multis distinguatur parti-  
culares Ecclesias.*

Agnoscimus igitur et si hæc Militans vna semper fuit & est eaqué Catholica Ecclesia, quia semper iam inde à condito orbe & vbique locorum, vnum semper & idem habuit caput, Christum, vniuersos ex omni natione electos, sibi in vnum corpus adglutinantem: eam tamē non semper eodem se habuisse & habere modo: & in multis particulares Ecclesias, tanquam multa, variaq; membra, distinguui, iuxta varietatem temporum, locorum, populorum. Aliter enim se se habuit in Paradiſo terrestri ante peccatum: aliter post peccatum ante diluvium, & inter Patriarchas: aliter sub Lege, & aliter sub Gratia: & aliter tempore Christi inter solos Iudæos, aliter post Christi glorificationem, ex Iudæis & Gentibus per Apostolos collecta, idque non uno in loco, sed diuersis: neque ex uno po-

T pulo,

pulo, sed ex diuersis & multis: neque easdem semper & vbiq; retinens ceremonias, quibus respectibus dicere solemus, aliam fuisse ante, & aliam post Christum: & illam veteris, hanc autem noui Testamēti Ecclesiam: veterem item & nouum populum vocari solitum fuisse, legimus: aliam item Ecclesiam, quæ Romæ erat, aliam quæ Corin-thi, aliam quæ Ephesi, atque ita dereliquis.

## IV.

*Ex multis particularibus Ecclesijs vnam constare  
Ecclesiam Catholicam.*

Rursus, licet propter multos diuersosq; iam explicatos respectus, multæ etiam ac diuersæ, particularésque semper fuerint & sint Ecclesiæ: agnoscimus tamē, quo ad substantiam, vnam semper & candem fuisse ex illis omnibus constantē Ecclesiam: eāmque Catholicam, & Apo-stolicam, atque sanctam. Vnam, quia in vnum corpus sub uno capite Christo, per vnum & eundē Spiritum col-  
lecta semper fuit, atq; colligitur, vnaque omniū est fides, fideiq; confessio. catholicam: quia in vniuersa extenditur tempora & loca, & ex omnibus personarū populorūmq; generibus constat. Apostolicam: quia fundata est super fundamentū, quod Apostoli iecerunt, Iesum Christum: nitiuitque Apostolica doctrina, quæ eadem certè sicut etiam Prophetarum, à condito orbe. Sanctam denique non, quod nullum habeat peccatum, sed, quia cum sit Christo insita, perpetuāq; poenitētia & fide prædita: nulla ei peccata imputantur, sed omnium remissionem conse-cuta est: quia itē Spiritus Christi sanctificantis & regenerantis, facta est, particeps: quia deniq; iustitia & sanctitas Christi illi imputatur: cuius rei causa, sine villa quoq; ru-ga esse dicitur: nempe in Christo capite & sponso suo.

## V.

*Particulares Ecclesie quomodo cognosci possint, an sint  
veræ Ecclesie, nec ne.*

Inde verò agnoscere posse credimus singulas particulares Ecclesias, an sint veræ Ecclesiae in Domino collectæ: vnde etiam Dominus Iesus eas voluit ædificari: ex prædicatione nimirum Euangelij, ex administratione Sacramentorum à C H R I S T O institutorum, & ex obseruantia mandatorum eius. Illas igitur Ecclesias pro veris C H R I S T I Ecclesijs agnoscimus, in quibus primùm quidem pura Euangelij doctrina prædicatur, auditur, admittitur: atque ita sola admittitur, ut contrarie locus non detur, neque aures. Gregis enim Ioh. 18. 4. 5 seu ouium Christi vtrumque est proprium: nimirum & audire vocem pastoris sui, & alienorum rejecere: in quibus deinde Sacraenta à Christo instituta, quoad eius ab ipsis fieri potest, legitimè, hoc est, iuxta C H R I S T I 1 Cor. 11. institutionem administrantur, percipiuntur: ac proinde 20. &c. in quibus Sacraenta ab hominibus excoigitata non admittuntur: in quibus denique disciplina C H R I S T I locum habet: hoc est, vbi tūm publicè, tūm priuatim admonitionibus, correctionibus, & ad extremūm, cum opus est, excommunicationibus, ex caritate curatur, vt mandata C H R I S T I seruentur: eoque vt sobriè, iuste, & piè ab omnibus viviatur, ad gloriam Dei, & ad proximi ædificationem. Vbi enim scelera, & omnis vita impietas publicè obtinet, nec iuxta Christi disciplinam coarguntur manifesta flagitia: ibi multos quidem bons & pios viros esse posse, credimus: sed pium & Christianum cœtum esse non credimus: dicete etiam Domi- Ioh. 13. 35.

*Ioh. 15. 35.* no. In hoc cognoscent homines quod sitis mei discipuli si dilectionem habueritis ad inuicem. Qualis autem dilectio ibi esse potest, vbi non curatur, vt iuxta Christi doctrinam, fratres peccantes corrigantur, resipiscant, Dominu lucrifiant, & seruentur?

## VI.

*A quali Episcoporum successione demonstrari posse, Ecclesiam aliquam esse Apostolicam.*

Ita agnoscimus, à perpetua Episcoporum in aliqua Ecclesia successione, non qualicunque, sed ea, quæ Apostolicæ quoque doctrinæ continuationem secum habeat adiunctam: rectè, Ecclesiam illam Apostolicam esse, demonstrari posse: qualis fuit olim Ecclesia Romana, & Episcoporum eius, ad tempora usque Irenei, Tertulliani, Cypriani, & aliquot aliorum successio: ut non immixtò ad eam, & ad alios similes, Patres illi prouocare, & hereticos sui temporis citare soliti fuerint. At verò, sicut Ecclesiæ illas, in quibus Apostolica doctrina, cum Christiana disciplina, & legitima Sacramentorum administratione, pura retinetur, etiamsi ab Apostolis non fuerunt plantatae, neque perpetuam Episcoporum, iam inde à temporibus Apostolorum, successionem habeant, pro Ecclesijs tamen verè Apostolicis agnoscimus, agnoscendasque esse, cum Tertulliano & alijs Patribus dicimus: sic contrà, quæ ab Apostolis plantatae, & irrigatae fuerūt, etiamsi maximè possint continuatam, & minimè interruptam Pontificum successionem demonstrare, si tamen vñà cum Episcoporum, ipsius quoq; Christianæ & Apostolicæ doctrinæ continuationem demonstrare nequāt: eas, Christianas quidem & Apostolicas Ecclesiæ fuisse, fatebimur, sed nunc pro talibus minimè agnoscere possumus.

fumus. Sicut enim habitus, ut in proverbio est, non facit Monachum, sed pietas & vita sanctitas: sic neque Episcopum, sed doctrina Christi, Christianaque religio, Ecclesiam faciunt Christianam.

## VII.

*Non à qualicunque consensu: sed à consensu in doctrina  
Christi, Ecclesias alias veras & Christianas  
esse, ostendi posse.*

Ita etiam intelligimus, non à qualicunque Ecclesiis, arum inter se consensione cuinci posse, illas esse veras Dei Ecclesias, cum & inter Synagogas Iudeorum, & inter coetus Turcorum, & olim inter conuenticula Arianorum & Donatistarum summa fuerit consensio: sed ab illo duntaxat, qui est in pura Christi doctrina, veraque pietate, consensu, id fieri posse, sentimus. Cum enim Apostolus <sup>1 Cor. i. 10.</sup> ait, Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idem loquamini omnes, & non sint inter vos schismata, sed sitis coagmentati eadem mente & sententia: intelligitur, in illo Domino Iesu Christo, per cuius nomen id petebat.

## VIII.

*Non quibusvis dissidijs, que in Ecclesijs oriuntur,  
ipsas tolli Ecclesias.*

Sed neque interim ita iniqui sumus: ut inter quas non prorsus de omnibus rebus conuenit, eas propterea Christianas Ecclesias esse, negemus. Sicut enim non omnibus consensus constituit Ecclesias: sic neque omnia dissidia tollunt: modò fundamentum, quod est Christus, verus Deus & verus homo, verus & perfectus Seruator, firmum tencatur, eoque in summam doctrinæ Apostolicæ, que in Symbolo traditur, consentiatur.

## IX.

## Confirmatio superioris sententia.

Sicut enim reprobri hypocritæ, sua in ecclesijs præsentia, Ecclesiæ non impediunt, quin veræ mancant Ecclesiæ: sic neque dissidia, quæ in Ecclesijs aut ab impijs excitantur, aut etiam inter ipsos sanctos ex carne vel ignorantia oriuntur, illas extinguerè possunt: Apostolo idem docente, cum de ministris verarum Ecclesiarum loquens, ait, super idem fundamentum alios ædificare aurum, argentum, lapides pretiosos: alios verò lignum, stipulas, foenum: & ad Philippenses, explicata summa Christianæ doctrinæ, & hortatus omnes, vt in ea persisterant, quicunque profecerunt, postea subiicit: Quod si quid aliter sapitis, Deus id quoque reuelabit, modò in eo, in quod peruenimus, permaneamus. Ceteroqui, si vbi cunq; excitantur dissidia de religione, ibi veras esse Ecclesiæ, negandum est: neque etiam Corinthij tempore Pauli, fuit Ecclesia Christi: vbi non solùm schismata vigebant, alio dicente, Ego sum Pauli, alio, Ego Cepheus, alio, Ego Apollo: verùm etiam mirabiles controværsiae de religione exortæ fuerunt: neq; etiam in Galatia: quia in illis Ecclesijs paulò pòst, quām à Paulo optimè suis seant constitutæ, statim exorti sunt seductores, & hæreses excitatæ, denique neque in Oriente, neque in Occidente vllæ vnquam dici poterunt fuisse Ecclesiæ: quia nunquam caruerunt contentionibus, non solùm inter Catholicos & hæreticos, è catholicis tamen exortos, verùm etiam inter ipsos pios Patres, (vt abundè docent historiæ) excitatis: vsque adeò, vt Christiani propter illas dissensiones & sectas, in theatris à gentibus infidelibus derideri soliti fuerint: sicut etiam nunc inter Turcos & Iudeos

Iudæos candem ob causam ridemur omnes. Sed sicut in primitiua Ecclesia ex illis Christianorum contentiobus non sequebatur, eos igitur non esse populum Dei: sic neque nunc idem è nostris euincere quis meritò potest: vt iam non dicamus, inde potius contrarium cōcludi posse, quia hoc proprium est boni tritici, id est, Euangelij, quo Ecclesiæ colliguntur Christo, vt, vbi illud seminatur, in eodem statim agro ab inimico Satana superfeminentur zizania. Neque certè alibi, neque citius auditi fuerunt Simones, Menandri, Ebiones, Cernithi, Valentiniiani, & similes pestes: quam in Ecclesia, & post prædicatum Euangeliū Christi. Sed neque Ecclesia hæc præsentis seculi verè militans Ecclesia dici posset: nisi haberet & domi & foris, quibuscum perpetuò pugnandum sit.

## X.

*N*on propter quamvis differentiam in doctrina, vel in ceremonijs: pacem Ecclesiarum esse turbandam, schismat due facienda.

Proinde neque probamus, quòd quis à sua Ecclesia secessionem faciat, pacemque Ecclesiarum turbet & fraternalm dilectionem violet: multò minus, vt vna Ecclesia alteram damnet, propter quamvis differentiam in doctrina, aut in ceremonijs, vbi retinetur fundamen-tum: vt meritò Victor Romanus Episcopus, olim Ecclesias Asiae, quòd in quibusdā ritibus ab ipso dissentirent, excommunicaturus, reprehensus fuerit ab Ireneo Lug-dunense Episcopo. Neq; enim propter stipulam fœnūm-ue, superædificatum fundamento, vult Apostolus schismata fieri in Ecclesia, Ecclesiæ sue damnari: quando neq; Ecclesia

*Cant. 1. 5.* Ecclesia definit esse Ecclesia, & quidem sancta, sponsaque  
*& 2. 10.* Christi formosa, licet fusca sit, rugasque adhuc & nauos  
*Eph. 5. 27.* aliquot habeat. Ad summam, quamquam errores & de-  
 fectus nunquam sunt dissimulandi: in quibusunque ta-  
 men fundamentum, summique doctrinæ Apostolicæ re-  
 tinetur, eoque nulla manifesta admittitur idolatria:  
 cum ijs cœtibus, tanquam veris Christi Ecclesijs, pacem  
 & communionem colendam esse, sentimus: Tanti fa-  
 cienda est vnio Ecclesiarum.

## XI.

*Vnitati Ecclesie catholicae studendum esse.*

Cum igitur ex pluribus & particularibus Ecclesijs,  
 tanquam ex partibus, constet tota illa vna & catholica  
 Ecclesia, quæ adhuc in terris militat: si cum quauis parti-  
 culari colenda est coniunctio in Domino, multò magis  
 vnitati totius Ecclesie catholicae studendum esse, nos  
 ignoramus, nec diffitemur.

## XII.

*Quid nomine vnitatis Ecclesie Catholicae  
 intelligamus.*

Nomine autem vnitatis Ecclesie catholicae, intel-  
 ligimus electorum ac renatorum omnium, vbi cunque  
 terrarum illi sint, cum Christo capite, & inter se in vnum  
 corpus per Spiritum sanctum factam coniunctionem:  
 quam in Symbolo communionem sanctorum vocamus.  
*Eph. 1. 22.* Nam Apostolus etiam hanc vnitatem describens: docet,  
*1 Cor. 12. 12.* Ecclesiam esse corpus, varijs membris constans, cuius ca-  
*Colo. 1. 18.* put est Christus, Spiritu suo omnes credentes in vnum  
*Eph. 4. 12.* nouum hominem condens, viuificans, agens atque ser-  
*Eph. 2. 15.* uans. Vnitas igitur corporis, singulorūmque membro-  
*Rom. 8. 11.* rum

rum cum capite & inter se, vnitas est Ecclesiae : quemad- T.7. de vni  
modum & Augustinus definiuit contra Donatistas. tat. Eccl.  
66. 2.

## X III.

*Vnitatem Ecclesiae ad summam in eadem fide in Christum, & in caritate erga fratres consistere.*

Quia verò ad hanc coniunctionem, conseruandam & fouendam, vtitur Deus tūm fide nostra in Christum, per verbum Euangeliij, perque etiam Sacra menta, in animis nostris excitata: tūm nostra caritate, ciuisque officijs erga proximum: imò verò etiam, quia hæc manifesta sunt veræ communionis sanctorum, & coniunctionis cum Christo, testimonia: id circò confitemur in summa, vnitatem Ecclesiae catholicae, in vnitate fidei, & in vinculo dilectionis fratrnæ consistere: hoc est, vt candem doctrinam, quam Prophetæ & Apostoli scriptam nobis reliquerunt, vera fide amplectamur omnes, & puram putram publice profiteamur: sacramenta eadem, quæ Christus instituit, sincera & sola retinecamus: disciplinam à Christo institutam & mandatam, in qua fraterna dilectio exercetur, & salus fratris peccantis quæritur, non negligamus: vt denique nos mutuò diligamus, officiāque exercitatis exerceamus,

## X IV.

*Confirmatio superioris sententia.*

Quibus enim rebus diuersi populi in vnum colliguntur corpus: ijsdem etiam eos vnitos conseruari, & in vnum magis ac magis coalescere credimus. Cūm itaque Ecclesiae collectio non fiat, & conseruetur propriè ceremonijs, sed Spiritu sancto, sed verbo, sed fide, sed carita-

te, sed obseruantia mandatorum Dei: ijsdem quoq; vnitatem eius retineri & foueri, non dubitamus: cum Apostolus quoque ad Ephesios, vbi de vnitate Ecclesiae agit,  
*Eph. 4. 2.* eam in hisce rebus consistere doceat, nulla ceremonia  
*&c.* rum facta mentione.

## XV.

*Vnitatem in ijsdem ceremonijs, et si non ubique & semper expedit: vbi tamen obtinet, ibi turbandam non esse.*

Interim non negamus, quin vnitatis in ipsis etiam ceremonijs & ritibus cuiusque Ecclesiae, quo ad eius fieri per conscientiam potest, retinenda sit atque colenda. Duo enim rerum genera sunt, in quibus vnitatis Ecclesiae esse potest: quæ in verbo Dei traditæ sunt: & quæ verbo non sunt expressæ, quales sunt externi multi ritus, & ceremoniæ Ecclesiasticae. In illis vnitatem ubique & semper necessariam esse, credimus: in his autem, et si non est per se necessaria, sed pro diuersitate locorum, & pro diuersa temporis ratione, utile est, diuersos habere ritus: vbi tamen certi aliquid de hisce rebus ad ædificationem Ecclesiae institutum est atque receptum, ibi vnitatem quoque in huiuscmodi ritibus cuique retinendam esse, & ordines Ecclesiasticos non esse turbandos, sentimus:  
*Co. 14. 40.* iuxta regulam Apostoli, Omnia in Ecclesia ordine, decenter & ad ædificationem fieri debere: quibus de rebus *Episto. 118.* duas etiam Augustini Epistolas ad Ianuarium scriptas,  
*& 119.* vehementer probamus, atque amplectimur.

## XVI.

*Conclusio de unitate Ecclesiae.*

Cum igitur duplex sit Ecclesiastica unitas, una essentialis, eoque per se, vbiue & semper necessaria, ac proinde propria Ecclesiae Catholicae: altera accidentaria, & pro ratione locorum ac temporum mutabilis, eoque particularium Ecclesiarum propria: credimus, nemini licere, ab illa priore, vlo tempore, ullisue de causis, secessionem facere, quod hoc nihil aliud sit, quam deficere a Christo, & a Deo, Spirituique sancto renuntiare, & sese a toto corpore Christi separare, quae omnino vera est & execrabilis ~~ἀποστολία~~: alteram vero deserere, ad priorem redeundi, illamque retinendi causa, non solum licere, sed etiam necessarium esse cuique, permissum habemus: multò vero magis, si etiam ritus illi & ceremoniæ, in quibus erat unitas, varijs contaminatae sint superstitutionibus: maximè autem, si etiam Sacramenta, a Christo instituta, sint adulterata, penitusque antiquata, ita ut bona conscientia illis participare non possit: quid vero, si etiam cœlestis veritas ab illis exsulet, & eius loco prædicentur ac defendantur doctrinæ demoniorum? Quid si etiam ne mutus quidem ibi consistere possit. sed aut veritatem Dei abnegare, mendacijs vero diabolicis subscribere, aut vitam profundere & sanguinem, cogatis?

## XVII.

*Qui ab Ecclesia Romana defecit, non propterea cum unitatem Ecclesia, abrupisse, & a corpore Christi discessisse.*

Quod igitur accusemur ~~ἀποστολίας~~ a Catholica & Apostolica Christi Ecclesia, illiusque unitatem abrupisse dicamus, quia cum cætibus Romanæ Ecclesie in impijs

superstitionibus & idololatricis cultibus, communicare  
amplius nolimus: sed veterem doctrinam, cultum & dis-  
ciplinam per veros Christi seruos, Dei beneficio reuoca-  
tam, sequi malimus: protestamur coram Deo & Angelis  
eius, totaque in finem usq; mundi Ecclesia, insignem in-  
iuriam non solum nobis, sed etiam Spiritui sancto, totiq;  
veteri Ecclesiæ fieri: cum nihil hac in parte fecerimus,  
aut faciamus, quod facere à Spiritu sancto iussi, & à Patri-  
bus edocti, atque etiam à Pontificijs ipsis admoniti, non  
fuerimus.

## XVIII.

## Confirmatio superioris sententie.

*1 Cor. 5.11.**2 Corin. 6.**14. &c.**Tit. 3. 10.**Rom. 16.17**C. 24. q. 1.**6. 24. &**26. & q. 3.**6. 9.**C. 24. q. 1.**6. 9. &c.*

Dominus enim in primis cauet, ne cum idololatriis  
& pertinacibus apostatis, atq; hæreticis, in ipsorum ido-  
lolatrijs, & hæresibus communionem habeamus. Nec  
secus docuerunt Patres ( quemadmodum vel in ipso de-  
creto testes adducuntur ) quam, non solum, si quis ho-  
mo, sed etiam, si qua sit Ecclesia, qua fidem respuat, nec  
Apostolica prædicationis fundamenta possideat, in que  
doctrina Christi non permaneat: eam esse deserendam.  
Neque aliam obcausam à veteribus Patribus celebrata  
semper fuit, qua tum temporis florebat, Romana Eccle-  
sia, & ea sancta, matérque Ecclesiarum vocabatur: nisi  
quia doctrinam ab Apostolis acceptam, alijs plerisque  
ab ea deficientibus, constanter retinebat. Nunc autem,  
qualis sit eius doctrina, qualisue cultus, & quantum à ve-  
teri, multis in rebus defecerit: satis supérque notum est.  
Proinde denuò protestamur, nos ab Ecclesia præsenti  
Romana, discessionem non fecisse, nisi verbo Dei co-  
stos, atq; vt Deo, id mandanti, obtemperaremus: còque  
ne in amissione ab Ecclesia Catholica & Apostolica, am-  
plius

## MILITANTE.

157

plius permaneremus, sed ad eam tandem aliquando rediremus, ab huius corruptissimæ Romanæ idololatrijs discedendum esse, omnino iudicauimus.

## XIX.

*Ab Ecclesia Romana nos non simpliciter discessisse:  
sed narrari*

Non enim ab Ecclesia Romana simpliciter & in omnibus defecimus: sed in illis duntaxat rebus, in quibus ipsa defecit ab Apostolica, atque adeo à se ipsa, veteri & pura Ecclesia: neque alio discessimus animo, quam vt, si correcta, ad priorem Ecclesiæ formam redeat, nos quoque ad illam reuertamur, & communionem cum illa, in suis porrò cœtibus habeamus. Quod vt tandem fiat, toto animo Dominum Iesum precamur. Quid enim pio cuique optatius: quam vt vbi per baptismum renati sumus, ibi etiam in finem usque viuamus? modò in Domino.

Ego Hier. Zanchius, cum tota mea familia, testatum hoc volo toti Ecclesiæ Christi, in omnem æternitatem.

## XX.

*Catholicam quidem Ecclesiam errare totam non permetti: singulas vero particulares errare posse:*

Credimus vero, & agnoscimus, Ecclesiam hanc Catholicam, quem supra descripsimus, ita regi à Spiritu Christi, vt eam totam simul errare nunquam sinat: quia semper in aliquibus pijs seruat lucem veritatis, & per eos rum ministerium puram retinet in finem usque mundi, & ad posteros propagat. Quò pertinere non dubitamus, quod Paulus dixit, Ecclesiam columnam esse & fir. 1 Tim. 3.15.

DE ECCLESIA

158

mamentum veritatis, quia extra Ecclesiam nulla est veritas, in Ecclesia autem perpetuò seruatur: cum semper aliquis coetus, magnus vel parvus, reperiatur, in quo resonet verbum veritatis. Ceterum de particularibus quib[us]que Ecclesijs, quæ semper mixtæ sunt bonis & malis, longè aliam esse rationem, didicimus. Primum enim, In his coetibus aut purum Dei verbum prædicatur: aut cum ipso, mendacia etiam docentur. Nam vbi plaus nullum est verbi ministerium, ibi Ecclesiam nullam agnoscamus. Si itaque vna cum veritate, falsa etiam dogmata doceantur: quomodo coetus ille errare non posse dicendus fuerit, cum manifestè erret? Si autem purum Dei verbum doceatur, hypocritæ certè reprobi, qui non credunt, semper errant, cum veritatis lucem rejiciant, & in tenebris ambulent, horum autem semper maior ferè vbiq[ue] numerus est: pios verò, licet nunquam à Christo ita sinantur errare, ut in errore perseverent, & pereant: dicente eodem Christo, Electos ne per miracula quidem & prodigia Antichristi seduci posse, nempe in finem usque, ad exitium: errare tamen posse, tūm solum in moribus, sed etiam in doctrina fidei, historiæ tam

*Matt. 24.* *Gal. 2. II.* gulos seorsum, tūm multos simul coactos, idque non solum in moribus, sed etiam in doctrina fidei, historiæ tam *&c.* sacræ, quām Ecclesiasticæ, & quæ contigerunt p[ro]phetiam & sanctis Episcopis, eorumque Ecclesijs in Oriente & *24.* *Cor. 1. II.* *Galat. 1. 6.* Occidente, manifestissimè docent.

*&c.*

XXI.

*Confirmatio superioris sententia.*

Petrus certè errauit Antiochiae, & multi in Corinthis, & quām plurimi in Ecclesijs Galatia, seducti à Pseudapostolis, turpissimè errarunt: quanquam non ita mul-

## MILITANTE.

159

Ita multò post ab erroribus per Apostolum reuocati fu-  
erunt. David quoque docet, ipsas etiam oues Christi  
errare posse, cum dixit, Errauisicut ouis, quæ perijt. Et  
quorsum ministerium verbi in Ecclesia, pijs omnibus ne-  
cessarium : si errare non possint ? Cum singuli igitur  
etiam pij in aliqua particulari Ecclesia, eaque vera & pu-  
ra, sæpe errarint. & subinde errent : hypocritæ verò nun-  
quam vera fide donentur, qua rectè sapient : quomodo  
de villa particulari Ecclesia dici potest, eam errare non  
posse ? Id verò multò minus affirmare queas de illis, à  
quibus exsulat veritas, & in quibus obtainent mendacia,  
ipsa quæ iniquitas, & Cimmeriæ tenebrae. Certè, quæ ta-  
les sunt, veræ Christi Ecclesiæ esse non possunt : si Eccle-  
sia est columna & firmamentum veritatis: Itaque con-  
cludimus, vnumquemque particularēm gregem, & fin-  
gulas eius oues, eatenus errare non posse, quatenus ductæ  
à Spiritu sancto, vocem sui pastoris, C H R I S T I , au-  
diunt solam : simulac verò desinunt hunc audire, & a-  
lienorum vocibus aures præbent, statim eas non posse  
aliud, quam errare. Quia verò, in summa etiam omni-  
um Ecclesiæ dissipatione aliquos sibi seruat Deus,  
quos retinet in veritate, & per quorum ministerium il-  
lam denuò propagare vult in finem usque mundi : idcir-  
cò confitemur, nunquam totam simul Catholicam Ee-  
clesiam errare permitti.

Ps. 119. 176.

Tim. 3.15.

Ioha. 10. 36.

27.

## XXII.

*Extra Ecclesiam Catholicam nullam esse  
salutem.*

Hinc etiam consequenter intelligimus, & credimus,  
hanc Ecclesiam Catholicam ita solam esse sanctam, &  
seruari : ut extra eam nulla sit sanctitas, nulla salus:  
cum

cum etiam in hac sola ita fulgeat veritas, sine qua salus  
 nemini contingit, ut extra eam nulla sit: & cum deniq; nō  
 Ioh. 3.13. nisi corpus Christi seruari possit. Nemo enim ascendit in  
 cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui  
 est in cœlo: totus scilicet Filius hominis, cum toto suo  
 2 Pet. 2.5. corpore, quod est Ecclesia: vt non immeritò Petrus Ec-  
 clesiam comparauerit arcæ Nohæ, in qua sola seruatum  
 Gen. 7.23. fuit humanum genus, & extra quam quicunque reperti  
 fuerunt, aquis diluuij perisse leguntur. Sed quod de to-  
 ta Ecclesia, tanquam certissimum, confitemur: hoc de  
 singulis particularibus concedere nequimus: nempe, vt  
 dicamus, in sola Ecclesia hac vel illa, Romana vel Con-  
 stantinopolitana, veritatem & salutem vigere: ita vt  
 expta eam nulla sit salus: ac proinde ab illa discedi nō pos-  
 se, quin deseratur veritas, salus, Christus. Potest enim Ec-  
 clesia aliqua ita esse comparata: vt nisi ab illius commu-  
 nione discedas, partem & communionem cum catholi-  
 ca, & cum capite eius, habere nequeas.

## XXIII.

*Ecclesiam Catholicam non esse certis personis aut  
 locis alligatam.*

Confitemur insuper, Ecclesiam hanc Catholicam,  
 quia catholica est, idcirco nullis certis locis, aut perfo-  
 nis, & gentibus alligatam esse: vt, si quis velit de hac Ec-  
 clesia esse, huic vel Romam, vel VVittebergam sese con-  
 ferre, aut ab illarum Ecclesiarum, Pontificum, & Mini-  
 strorum autoritate pendere, necessum sit: quando vbiq;  
 locorum Christus est, & vbiique verbum auditu, symbolo  
 Baptismatis obsignari, præcepta Christi seruari, & com-  
 munio cum Sanctis omnibus haberi potest. Vbicunque  
 autem haec locum habent, ibi Ecclesia est: vt merito da-  
 mnata

## MILITANTE.

111

m̄nati fuerint Donatistæ, quòd in Africa tantum, & qui-  
dem non in tota, sed in quadam duntaxat eius parte, vbi  
nimurum ipsi habitant. Ecclesiam Christi concluserint,  
ibique tantum esse, docuerint: nec minus immeritò da-  
m̄nandi illi sint, qui nullas exterorum Ecclesiæ pro veris  
Ecclesijs habent. sed eas duntaxat, quæ ex suæ gentis ho-  
minibus constant.

## XXIV.

*Ecclesiam Catholicam, partim visibilem esse, partim  
etiam inuisibilem.*

Credimus denique, Ecclesiam hanc partim esse re-  
mota visibilem, partim etiam inuisibilem, sed diuersis re-  
spectibus: visibilem quidem, quatenus constat ex ho-  
minibus, verbum Dei visibiliter tractantibus & audiен-  
tibus, Sacraenta administrantibus & percipientibus,  
Deum non solum priuatim, sed etiam publicè inuocan-  
tibus, officia denique caritatis erga proximum exercen-  
tibus, & tota vita sua Deum glorificantibus: quæ certè  
præstari non possunt, quin sensibus percipientur. Ac si  
plane inuisibilis esset: discerni à synagogis impiorum quî  
posset? Rursus, Inuisibilem etiam esse dicimus: primùm,  
quia, mixtos cum habeat per multos hypocritas, externa  
omnia, quæ & electi, præstantes: quinam sint electi, / ex  
his autem solis constat Ecclesia) certò à nobis cognosci  
non potest, sed à solo Deo, iuxta illud, Nouit Dominus, <sup>2 Ti. 2. 19.</sup>  
(solus) qui sint sui: quo pertinet & illud Apostoli, Non, <sup>Rom. 2. 28</sup>  
qui in manifesto Iudeus est, is Iudeus est: sed qui in occul. <sup>29.</sup>  
to. Deinde, quia, ad externam etiam faciem quod atti-  
net, cum semper calamitatibus prematur in mundo Ec-  
clesia: nonnunquam ita imminuit fidem Christi pro-  
ficiens numerus, & in eas angustias Christianæ Eccle-

sae omnes rediguntur, ut nulla planè amplius superesse videatur: nempe, cùm nullus amplius appareat publicus cœtus, in quo nomen Dei inuocetur: quemadmodum sèpe contigisse, tūm sacræ, tūm Ecclesiastice histriæ luculentissimè & copiosissimè docent: cùm tamen certum sit Deum semper aliquam sibi Ecclesiam in terris

*Mat. 16.18* seruare: dicente Domino, Et portæ inferorum non p̄træ ualebunt aduersus eam: Item, Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi: id quod & nos in Sym-

20.

bolo cum tota Ecclesia confitemur, dicentes, Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, ab initio scilicet, semper fuisse, esse, & futuram esse in finem usque mundi, in ipsis

*Hebr. 11.1.* etiam terris. Propriè enim semper credimus, quæ non semper videmus. Hæc nostra est, de Ecclesia Militante confessio: Quid sit: Quid à triumphante differat: Quām sèpe à se diuersa: Quomodo ex multis particularibus una cōstet Catholica: Quibus notis vera à falsis discerni queat: Qualis Episcoporū successio: qualisue consensus veram demonstret Ecclesiam: Quod non propter quamvis differentiam in ipsa etiam doctrina unitas Ecclesiæ strabrum pendat: Quid nomine unitatis Ecclesiastice intelligendum sit: & quibus in rebus consistat: quanti item sit facienda: Quatenus etiam errare possit, & quatenus non possit: & quomodo extra Ecclesiam nulla sit salus: &

denique quatenus visibilis sit & quatenus in-  
visibilis. Restat, ut nunc de eius gu-  
bernatione dicamus.

## CAPVT XXV.

## DE ECCLESIAE MILITANTIS gubernatione, deque ministerio Ecclesiastico.

## I.

*Ecclesiam à Christo gubernari.*

Credimus, sicut per Christum omnia facta sunt, *Colo. 1. 17.*  
 consistunt, reguntur: sic ab eodem, tanquam Ecclesiæ  
 autore, rege, capite, Ecclesiam ipsam, quæ est regnum &  
 corpus ipsius, peculiari ratione, quam reliqua omnia, *Eph. 1. 23.*  
 gubernari: dicente Angelo de Christo, & regnabit in do-*Luc. 1. 33.*  
 mo Iacob in æternum: & Apostolo, Eum, ut Filium,*Heb. 3. 6.*  
 domini sui præesse, hanc verò domum nos esse, id est, Ec-*Eph. 5. 18.*  
 clesiam: & alibi, Eum esse caput Ecclesiæ, & dare salu-  
 tem corpori.

## II.

*Christum administrare Ecclesiam partim per seipsum, par-*  
*tim cooperari sibi assumtiis.*

Duplicem autem nouimus gubernationem, qua  
 Christus suam regit Ecclesiam: unam, qua ipse per se  
 & per suum Spiritum, sine ullo hominum ministerio  
 internè in animis credentium regnat, operaturque & *Phil. 2. 13.*  
 velle & perficere, adeoque omnia in omnibus: nosque *Ephe. 1. 23.*  
 agit ad bonum, & tuetur à malo contra Satanam; mun-  
 dum, hostes omnes. Alteram, qua ita ipse administrat  
 Ecclesiam: ut aliorum quoque, cum Angelorum, tum  
 maximè hominum opera & ministerio, ad salutem Ec-  
 clesiæ ut inondedignetur: de Angelis dicente Apostolo,

*Heb. 1.14.* Eos esse administratorios Spiritus, in ministerium missio  
*Cor. 3.5.9* propter eos, qui hereditatem capiunt salutis: de homi-  
 nibus vero eodem dicente, Ministri Dei sumus, per quos  
 credidistis. Quemadmodum enim caput in homine ita  
 perse, vi mentis, quae maximè in ipso viget & operatur,  
 totum regit corpus, ut tamen singulorum etiam mem-  
 brorum opera ad totius corporis salutem utatur: sic &  
 Christus, caput Ecclesie, in cuius gubernatione se gerit,  
 idque non sua ipsius causa, aut quod opus habeat mini-  
 strio nostro, sed propter nostram necessitatem, multi-  
 plicemque utilitatem, atque etiam honorem facit.

## III.

*Discrimen inter ministerium Angelorum &  
 hominum.*

Interim agnoscimus discrimen inter ministerium  
 Angelorum & hominum: quod illi neque ad docendum  
 in Ecclesia, neque ad sacramenta administranda, sed ad  
 alia officia facienda, ea que ferè inuisibilia, & quod non  
 etiam semper aut ordinariè, neque ad omnes, sed quando  
 & ad quos visum fuerit Domino, mittantur: hominum  
 vero ministerium & conspicuum est, & perpetuum, atq;  
 ad omnes pertinet.

## IV.

*Consultissimè fieri, quod Angelii non doceant in Ec-  
 clesia, sed homines.*

Consultissimè autem & sapientissimè fieri à Deo  
 intelligimus, quod non per Angelos, sed per homines do-  
 ceat in Ecclesia Christus: tūm quia libentius sinimus nos  
 à nostri similibus familiariter institui, quam à longè dis-  
 similis naturæ spiritibus, cum insolita maiestate, doceri:

tum quia facilius à Satana, mentiente se missum esse à Deo, séque in Angelum lucis transfigurante, decipi possemus: quæ etiam duæ causæ sunt, nostro quidem iudicio non postremæ, cur Filius Dei facturus officium Doctoris in Ecclesia, fieri voluit homo, & frater noster, ac familiaris, perque omnia similis, excepto peccato: quò illud *Heb. 4. 19.* pertinet, Annuntiabo nomen tuum fratribus meis, in *Heb. 2. 12.* medio Ecclesiæ laudabo te: & illud, Nouissimè locutus *Hebr. 1. 5.* est nobis in Filio, nempe, iam homine facto, & familiariter in Ecclesia agente.

## V.

*Hominum duo potissimum esse genera, quorum ministerio ad Ecclesiæ gubernationem & protectionem viritur Christus.*

Etsi verò nullum est in toto hoc magno Ecclesiæ corpore membrum, quo Christus ad aliquam aliorum membrorum, eoque & ad totius corporis utilitatem, *1 Cor. 12. 7.* quemadmodum Paulus docet, non vtatur: duo interim præcipua fatemur esse hominum genera, quorum opera ac ministerio ad Ecclesiæ gubernationem & conseruationem vti solet: Doctores scilicet in primis, aliósq; verbi, sacramentorum, aliarūmque rerum Ecclesiasticarum administratos: & deinde pios Principes ac Magistratus, quorum tamen ministeria non confundimus, sed non solum distincta, verū etiā diuersissima esse, agnoscimus: inter quas differentias ea quoque non est postrema, quod Doctorum quidem semper necessarium est Ecclesiæ ministerium, Magistratum autē politicorum non ita, quanto illis carere nunquam potuit, istis autem sèpè caruit, & carere potest Ecclesia.

## VI.

*In quibus potissimum rebus versetur ministerium  
Ecclesiasticum-*

Quemadmodum vero summa pietatis Christianæ tribus in rebus consistit, in fide in Christum: in perpetua poenitentia, hoc est, in nostræ carnis, nostrorumq; vitiorum mortificatione, ac Spiritus viuificatione: & denique in caritate erga proximum: sic etiam, tres præcipuas Ecclesiastici ministerij partes esse, nouimus. Primum, docere, verbūmq; Euangeliū prædicare, ac simul etiam sacramenta administrare, & publica sacrificia laudis Deo offerre, per Iesum Christum: Deinde, inuigilare gregi, cuiusq; mores obseruare, vitijs corrigendis incumbere, & curare ut quisque, tanquam verus sacerdos, se ipsum offerat Deo, hostiam viuam, sanctam, Deo placentem: & denique curam pauperum suscipere, ac, ne quid cuiquam desit, diligenter operam dare.

Rom. 12.1.

## VII.

*Iuxta tres ministerij Ecclesiastici partes, tres etiam  
ministrorum Ecclesiasticorum ordines  
constituti.*

Ita, iuxta has tres ministerij Ecclesiastici, de quibus modò diximus, partes, videamus etiam, in sacris literis institutos fuisse à Domino tres cum primis Ministrorum Ecclesiasticorum ordines: quorum primus in ijs potissimum versatur, quæ ad fidem in Christum excitandam & souendum pertinent: quales sunt Doctores, Pastorēque, qui administrant Verbum & Sacraenta in coetu fiduum: alter in ijs, quæ peculiariter ad poenitentiam in fratribus excitandam instituta sunt; quales sunt Presbyteri, Censo-

Censores morum, qui curam disciplinæ suscipiunt, atq;  
vt quisq; Christianè & sanctè viuat, ad gloriam Dei, & ad  
Ecclesiæ ædificationem, quanta possunt diligentia, cu-  
rant: de quibus cum alibi Apostolus, tūm maximè ad Ti. <sup>1 Tim. 5.17</sup>  
motheum: sic locum illum explicante Ambrosio, & <sup>19.</sup>  
optimis quibúsq; interpretibus: tertius verò ea præcipue  
tractat, quæ caritatis propria esse evidentur: vt, curam pau-  
perum suscipere & ægrotorum, quales sunt Diaconi, de  
quibus Act. 6. & alibi sàpe apud Paulum.

*Vers. 5.  
Rom. 16. 1.  
1 Tim. 3. 8.  
12.  
Philip. 1. 1.*

## VIII.

*Ministrorum alios esse ordinarios & perpetuos: alios ex-  
tra ordinem, & ad tempus vocari.*

Ministrorum porrò Ecclesiasticorum, eorū præser-  
tim, qui verbum prædicare debent, totiúsq; Ecclesiæ cu-  
ram suscipere, duo nouimus cum primis esse genera: vnū  
corū. quos sibi Dominus Iesus ordinariè assumit coope-  
rarios, in colligenda, docenda, regendāq; sua Ecclesia: ac  
proinde, quos etiā perpetuos in hoc vult esse officio, qui  
& Ordinarij ministri vocari solent: quales fuerunt in Ec-  
clesia veteris Testamenti Pontifices ac Leuitæ, & in nouo  
Testamento Doctores sunt & Pastores. Alterum est eo-  
rum, quos idem Dominus extra ordinem excitat, vocat,  
mittitq; in Ecclesiā: vt ordinarijs suum negligentibus of-  
ficiū, Ecclesiām q; perdentibus, ipsi & illos redigant in or-  
dinem, & Ecclesiām ad pristinū statum reuocent atq; ser-  
uent: quales fuerūt in veteri Testamento Prophetæ, ex a-  
lijs etiam, præter Leuiticam, tribubus, excitati: & quales  
in nouo fuerunt Apostoli, Prophetæ, & Euangelistæ, quos  
Dominus peculiariter sibi delegit, vt, cum iam omnia v-  
bique locorum essent perdata, tām inter Israēlitas, quam  
intergentes, per horum ministerium sibi Ecclesiās vbīq;  
collige-

## DE ECCLESIAE MILITANTIS

colligeret, institueret, seruaret. In horum etiam, extra ordinem vocatorum numero<sup>1</sup>, multos nostro tempore heroicis, fortésque viros, & veros Dei seruos, collocare non dubitamus: qui rebus iam desperatis, à Spiritu Christi excitati fuerunt, ut se Catholicae Apostasiaz opponent: & pristinam doctrinam, cultum, disciplinam, in Ecclesiam quasi postliminio reuocarent: idque in uitis, strenuentibus, renitentib<sup>us</sup>que ordinarijs Episcopis, Regibus, potentissimisque Principibus, totóque mundo, sc̄ frustrā.

## IX.

*Quinque tantum ordines ministrorum verbi à Christo  
fuisse constitutos.*

Plures autem ministrorum verbi ordines, à Christo in Ecclesia institutos, non agnoscimus, quam quos Ap<sup>b. 4. n.</sup> phetas, Euangelistas, Pastores, Doctores: quorum tri<sup>p</sup> priores nullis certis locis addictos esse voluit, sed modò hīc, modò illic, aut Ecclesiis sibi colligere & plantare, quemadmodum fecerunt Apostoli: aut ab Apostolis plantatas irrigare, fouere & confirmare, vt Prophetæ secerunt & Euangelistæ: quos propterea etiam non oportet esse perpetuos: duos verò posteriores voluit certis Philip. 1. 1. Ecclesijs regendis & conseruandis consecrari, Pastores ni<sup>t</sup> Tim. 3. 2. mirum & Doctores, idque in finem usque mundi: quos Tit. 1. 7. ideò etiam ordinarios & perpetuos ministros appellare Pet. 2. 25. solemus. Nam, quod mentionem saepe faciant Apostoli Episcoporum, Presbyterorū, & Catechistarū, carē nos Pet. 5. 16. vos ministrorū verbi ordines non constituit: quoniam quod Tit. 1. 15. Pastores, ijdem etiam nomine Episcoporum semper, se Jaco. 5. 14. per verò nomine Presbyterorum significabantur: quin & Hebr. 6. 1. Apostolus

## G V B E R N A T I O N E.

129

Apostolus Petrus sese vocat presbyterum: Catechista.<sup>1 Pet. 5. 6.</sup>  
rum autem officium facere soliti fuerunt, non solum Pa-  
stores & Doctores, verum etiam Apostoli ipsi & Eu-  
gelistæ,

### X.

*Patres à nobis non improbari, quod plures addiderint  
ministrorum ordines.*

Ceterum, (vt illis omissis, quorum ministeriū tem-  
porarium esse debuit, & quos extra ordinem nonnun-  
quam vocari, diximus, de ordinarijs tantum & perpetuis  
verbi dicamus:) tametsi horum duos tantum ordines à  
Christo datos fuisse Ecclesiæ, apud Apostolum legimus,  
*Eph. 4. 11.*  
Pastorum scilicet, vt dictum est, & Doctorum, quorum  
hi tantum docebant, illi verò Sacra menta etiam admi-  
nistrabant, disciplinæ præerant, & Ecclesiam regebant:  
Interea tamen non improbamus Patres, quod iuxta va-  
riam, tūm verbi dispensandi, tūm regendæ Ecclesiæ ra-  
tionem, varios quoque ordines ministrorum multiplicar-  
int: quando id eis liberum fuit, sicut & nobis: & quando  
constat, id ab illis fuisse factum honestis de causis, ad or-  
dinem, ad decorum, & ad ædificationem Ecclesiæ, pro co-  
tempore, pertinentibus,

### XI.

*Confirmatio eiusdem sententia, cum explicatione aliquor  
ordinum Ecclesiasticorum in primitiva  
Ecclesia:*

Nouimus enim, Deum nostrum Deum esse ordinis,  
non confusionis: & Ecclesiam seruari ordine, perdit autem  
æmæz: qua de causa multos etiam & diuersos, non so-  
lum olim in Israële, verum etiam post in Ecclesia, exlu-

Y

dæis & gentibus collecta, ministrorum ordines instituit  
& eandem etiam ob causam liberum reliquit Ecclesijs, ut  
plures adderent, vel non adderent, modò id ad ædificationem fieret. Ergò quòd, cum prius omnes verbi  
ministri, tūm Pastores, tūm Episcopi, tūm Presbyteri ex  
æquo appellarentur, æqualis etiam cum essent autorita-  
tis, postea vñus cœperit alijs omnibus præfici collegis,  
quāquam non vt Dominus, sed tāquam Rector in Aca-  
demia reliquis collegis, & huic in primis cura totius Ec-  
clesiæ commissa fuerit, eoque & κατ' εξοχιαν quandam is  
solus Episcopi & Pastoris nomine appellari consueuerit,  
reliquis Symmystis nomine Presbyterorum contentis,  
ita vt in unaquaque ciuitate vñus tantūm cœperit esse  
Episcopus, & multi presbyteri: hoc minimè improbari  
posse, iudicamus. Quadere Hieronymi, cum alibi, tūm  
in Epistola ad Euagrium, & in commentarijs Epistolæ  
ad Titum cap. 10, narratio & sentētia nobis probatur, di-  
centis: totum hoc magis ex consuetudine, quām ex Do-  
minicæ dispositionis veritate profectum esse: vt dissen-  
sionum plantaria tollerentur & schismatum. Hac sanèra-  
tione quæ etiam de Archiepiscopis, imò & de quatuor  
Patriarchis, ante ipsum etiam Concilium Nicenum, cre-  
atis, constituta fuerunt, excusari, defendique posse, sen-  
timus: quanquam omnia successu porrò temporis ad  
summam tyrannidem atque ambitionem deducta fue-  
runt. Quæ causa est, cur, quòd proprius acceditur, in ijs  
etiam ordinibus ministrorum, ad simplicitatem Aposto-  
licam: eò magis etiam nobis probetur: atque, vt vbique  
acecedatur, dandam esse operam, iudicemus.

## XII.

Vnum, tanquam caput, toti Ecclesia præfici nullo  
modo posse.

Ceterum,

Ceterū, quod vnum, tanquam caput, omnibus, per  
vniuersum terrarum orbē, Ecclesijs præfici, iūsque & ple-  
nitudinem, vt vocant, potestatis in omnes habere debe-  
at: illud demum non solūm non possumus probare, sed  
contra non possumus non exsecurari: multò verò magis, si  
illud sibi iure diuino deberi, contendat.

Et amplectimur dictum Gregorij primi ad Mauri-  
cium Imperatorem: Qui se vniuersalem Sacerdotem vo- Lib. 4. Re-  
cat, aut vocari desiderat: hunc contra statuta Euangeli- gist. ep. 21.  
ca, & contra Canonum dēcreta, nomen sibi usurpare: & & lib. 6.  
præcurrere Antichristum. epi. 30.

## X I I I.

*Non quemuis, sed eum tantum, qui à Christo mittitur,  
ad ministerium esse admittendum.*

Credimus etiam, ad veram, salutarēmq; Ecclesię gu-  
bernationē pertinere: vt non quisque, vel sese obtrudens,  
vel ab alijs missus, ad ministeriū admittatur: sed vt, qui mi-  
nisterio functurus est, de eo prius cognoscatur, an à Deo,  
sive à capite Ecclesiæ, Christo, ad Ecclesiasticā functionem  
vocetur ac mittatur, nec ne: & deinde, ab ipsa Ecclesia, le-  
gitima ratione eligatur & ordinetur, dicente Apostolo, Hebr. 5. 4.  
Nemo sibi assumit hunc honorem, sed qui vocatur à  
Deo, sicut Aharon, &c.

## X I V.

*Quinam à Christo ad ministerium vocentur.*

Credimus autem, eos à Christo ad ministerium vo-  
cari, quos ipse ad illud obeundum idoneos fecit: illos au-  
tem esse idoneos factos, quos præter voluntatem regni  
Dei promouendi, & sancta vita Deum glorificandi, sanæ  
etiam doctrinæ cognitione, eamque populis ad salutem

proponendi facultate donauit : quemadmodum Apo-  
Tim. 3.2. stolus cùm alibi, tùm ad Timotheum & ad Titum do-  
Tit. 1.6. cuit. Quos enim eligit ac vocat ad aliquam functionem  
 Deus: eos etiam donis ad eandem necessarijs ornat: cum  
 re ipsa magis, quàm verbis nos vocet. Ac proinde, qui  
 non tenent sanam Euangelij doctrinam, neque eam po-  
 pulos docent, sed potius contrariam: eos, siue sua sponte  
 currant, siue ab hominibus, ordinariam etiam mittendi  
 autoritatem habentibus, missi veniant: pro ministris ra-  
 men, à Christo vocatis, minimè agnoscimus: ac propte-  
 rea neque etiam audiendos esse, sentimus: dicente Io-  
Zohā. 10. hanne: Si quis venit ad vos, (nempc, siue sponte, siue  
 missus à quibusuis hominibus) & non adfert hanc doctri-  
 nam, nolite eum recipere, nec Ave eidixeritis: Deo quo-  
 que apud Icremiam, quinam à se mittantur, & qui non  
Eze. 23.21. mittantur Prophetæ, his verbis describente, Currebant,  
 & ego non mittebam eos: prophetabant, & ego non jo-  
 quebar ad eos. Prius enim membrum posteriori expli-  
 cans, docuit, eos à se non mitti, qui non loquuntut ex ore  
 Dei: & contrà, qui verbum Dei adserunt, eos à se mitti.  
 Et rationem huiusc rei non ignoramus. Cum enim mi-  
Eph. 4.12. nistri mittantur à Deo ad ædificationem Ecclesiae, huma-  
 nis autem doctrinis potius euertatur, & solo Dei verbo  
 ædificetur: certè à Deo non mittuntur, qui verbum non  
 adserunt Dei.

## XV.

*Christum bifarium vocare homines ad mi-  
 nisterium.*

Cùm verò omnes veri ministri à Christo vocentur:  
 credimus, eum vocare homines ad ministerium dupli-  
 catione: nempe, aut immediatè per se solum: aut me-  
 diatè

diate per ipso setiam homines, id est, per Ecclesiam, eoque; *Galat. 1. 1.*  
non minus vnos, quam alteros, esse audiendos, & pro vec-  
ris Dei ministris habendos.

## XVI.

*Quos mittit per se solum Christus: hos, quomodo à semissos  
esse declareret Ecclesia.*

Cum vero Christus, quos ipse vocat, eos etiam, omnes idoneos faciendo, a se mitti declareret: tum maximè id præstat in ijs, quos per se immediate, perque suum Spiritum, & extra ordinem vocatae mittit. Eos enim peculiaribus & excellentibus donis, atque in primis magna Spiritus sancti copia: ardenti zelo gloriae Dei: singulari verbi Dei, quod adferunt, cognitione: utilique & perspicua docendi ratione: adeoque & felici successu laborum suorum liberaliter donare solitus est: quo & Ecclesiæ scientiæ atque efficacius ad pristinam, hoc est, ad Apostolicam formam reuocent: & Ecclesijs facilius certiusque legitima diuinaque ipsorum vocatio innotescat. Omnes enim, quos Christus dat Ecclesijs ministros, ad earum ædificationem dat: ut facile hinc concludere liceat, quo- *Eph. 4. 12.* rum opera ædificari Ecclesiæ videimus: eos a Christo vocatos fuisse, eorumque ministerium diuinum esse atque legitimum.

## XVII.

*Quos extra ordinem, & per se ipsum mittit Christus mi-  
nistros: horum vocationem non semper miracu-  
lis confirmari, aut, ut confirmetur,  
opus habere.*

Neque enim credimus, ad huius generis ministro-  
rum vocationem, ministeriumq; confirmandum semper

opus esse miraculis: cum neque omnium Prophetarum missionem miraculis fuisse confirmatam, legamus: sed Spiritu duntaxat Dei, & zelogloriae eius, quo flagrabant, & veritate in primis verbi diuini, quod non sine sanctoru, id est, electorum in Ecclesia, instauracione prædicabant: quando contrà nonnulli etiam Pseudoprophetæ signa & portenta ediderunt: id quod & de Antichristo futurum

<sup>2 The. 2.9.</sup> prædictit Apostolus, & ante eum Christus: quos tamca  
<sup>Matt. 24.</sup> quia verbum Dei non adferebant, sed mendacia, vt q; post  
<sup>24.</sup> deos alienos iretur, populum adhortabantur, audiri no-  
<sup>Deut. 3.2.</sup> luit nec vult Dominus: imò vt etiam lapidibus obruan-  
<sup>10.</sup> tur, mandauit.

## XVIII.

*Quas Christus per ministros extra ordinem missos instaurat Ecclesiæ: eas veras esse Ecclesiæ: eoq; ibi legitimū esse ministerium, & legitimam vocandi ordinandiq; ministros, autoritatem.*

Cum verò hæc ita se habeant de ministris, extra ordinem vocatis à Christo: credimus etiam, quas horū opera & ministerio instaurat, & feliciter reformat Ecclesiæ, restituta vera doctrinæ prædicatione, legitima sacramentorū administratione, cultuq; ab idololatrijs & superstitionibus purgato, reuocata item, quoad eius fieri potest, vera disciplinæ ratione, eóq; & cū Apostolis communione: has esse veras Christi Ecclesiæ: ac proinde eas habere autoritatē, ministros porrò legitimè vocādi & ordinādi: eóq; ita successionem ministrorum apud se continuandi: vt dubitari non possit amplius, quin ibi ministri ministris legitimè succedant, verique sint ordinarij Ecclesiæ ministri: tam diu nimirū, dum simul cum personali, vt vocat, successione, in ipsa quoque sanæ doctrinæ prædicatione succedunt, neq; persistunt.

## XIX.

*Sicut, ubi vera habetur doctrina, ibi vera est Ecclesia; sic,  
vbi non habetur, ibi nec Ecclesiam esse veram,  
nec legitimum ministerium.*

Nouimus enim, sicut, vbi doctrina tantum, sine etiam continuata Episcoporū, iam inde ab initio, successione, demonstrari potest, ibi & Ecclesia vera est, & verum etiam ac legitimum habetur ministerium: sic contra, vbi personalis tantum successio iactatur, sed doctrinæ verè Christianæ puritas exsulat, ibi nullum esse ministerium legitimum: quādo, sicut Ecclesia, sic etiam Ecclesiasticū ministerium non personis, sed verbo Dei alligatum est.

## XX.

*Autoritatem ministrorum ad eam tantum extendi, ad quam etiam ipsi vocati sunt à Christo.*

Credimus etiam, legitimis ministris magnam esse à Christo datam autoritatem, ad ea nimirū, ad quæ etiam vocati sunt, præstanta: ad prædicandum Euangeliū: ad <sup>Mat. 28.19</sup> <sup>1 Cor. 12.10</sup> sacras literas iuxta fidei analogiam interpretandas: ad <sup>Heb. 6.1.</sup> Catechizandum: ad docendos populos, quæ sit voluntas <sup>Gala. 6.6.</sup> Dei: ad arguendum & increpandum tam magnos quām <sup>Ti. 5.20.</sup> <sup>1 Cor. 12.10</sup> paruos: ad remittēda, retinendāq; (ministerialiter) peccata. <sup>2 Tim. 4.2</sup> <sup>10b. 20. 23.</sup> ta: ad ligandum, (impœnitentes) & ad soluendum, (resi- <sup>Mat. 18.18.</sup> pescientes:) ad sacramenta item, quæ Christus instituit, & <sup>Mat. 28.19</sup> <sup>1 Corin. 11.</sup> iuxta rationem ab eo traditam, administranda: ad disci- <sup>23. &c.</sup> plinā ex præscripto Christi, per Apostolum etiā explicata. <sup>Matth. 18.</sup> <sup>1 Cor. 5. 4.</sup> to, exercendam: adea deniq; etiam omnia, quæ, licet ex preffa non sint in sacris literis, pertinent tamen ad orationem. <sup>15. &c.</sup> autem ad decorum, faciuntque ad ædificationem, non <sup>1 Cor. 5. 4.</sup> ad destructionem, iuxta regulam generalem ab Apostolo

<sup>1 Cor. 14. 49</sup> Apostolo traditam, Omnia in Ecclesia fieri debere ordinis, decenter, & ad ædificationem. Neque enim ultra finis verbi Dei extendi, aut in alium finem, quam ad Ecclesiæ ædificationem, traditam esse ministris vllam autoritatem, credimus: Ac proinde per negamus, vllum Episcopum, aut etiam omnes simul, autoritatem habere aliquid contra scripturas statuendi: illis addendi vel detrahendi, vel in illis immutandi: mandata Dei dispensandi: nouos fidei articulos condendi: noua sacramenta instituendi: nouos cultus in Ecclesiam inducentes, quæ obstringant conscientias, quæve autoritatem diuinæ exæquentur, ferendi: in Ecclesia & fidelium conscientijs dominandi: quæ Deus concessit, liberaque esse voluit, prohibendi: aut denique aliquid, tanquam ad salutem necessarium, extra verbum Dei mandandi: quando ne tota quidem Ecclesia hanc habere autoritatem, verè dici potest.

## XXI.

*Episcoporum, qui & principes sunt, politicam autoritatem non negari.*

\* Interim non diffitemur, Episcopos, qui simul etiam Principes sunt, præter autoritatem Ecclesiasticam, sua etiam habere iura politica, secularesque potestates, quæ admodum & reliqui habent Principes: ius imperandis secularia: ius gladij: nonnullos ius eligendi, confirmandi, Reges & Imperatores: aliisque politica constitueri & administrandi: subditosque sibi populos, ad obedientiam sibi præstandam, cogendi: Ac proinde fatemur, quinque seruari possunt, à subditis obtemperandum esse, non solum propter timorem, sed etiam propter conscientiam.

tiam. Nouimus enim, omnem potestatem à Deo esse: <sup>Ro. 13.1.2.</sup>  
 & quicunque potestati resistit, Dei ordinationi resistere:  
 honorandos item esse Reges: ac Principibus & Dominis <sup>Pet. 2.17.</sup>  
 in omni timore subiectos nos esse debere, non solum hu-  
 manis & modestis, sed etiam dyscolis seu iniquis.

## XXII.

*Coniugium tam ministris Ecclesie, quam alijs libe-  
 rum esse debere.*

De Con-  
 iugio.

Illud verò ad honestatem, salutēmq; ministrorum,  
 & ad honorem ipsius ministerij, eoque & ad veram Eccle-  
 siæ gubernationem, per necessarium esse, credimus: vt  
 liberum & què illis permittatur, atque est etiam Laicis, vt  
 vocant, omnibus coniugium: quando Christus nulli ho-  
 minum generi hoc prohibuit: imò, de cœlibatuloquens  
 dixit, non omnes hoc (vt scilicet vitam ducant cœlibē) <sup>Mat. 19.11.</sup>  
 capere: significans id, quod porrò Apostolus rotundis  
 verbis explicauit: nimirum, qui non potest se continere, <sup>1 Cor. 7.9.</sup>  
 hunc debere vxorem ducere. Honorabile enim in-<sup>Heb. 13.4.</sup>  
 ter quosuis coniugium esse, & thorum immaculatum,  
 cum Apostolo confitemur.

## XXIII.

*Bonum & laudabile esse, si quis donatus continentia dono,  
 à coniugio abstineat.*

Interim non inficiamur, quin, qui dono puri coeli-  
 batus donati sunt à Deo: ij commodius rebus diuinis va-  
 care, & Ecclesiæ inservire facilius possint: quàm qui ma-  
 trimonio iunguntur: propter multas grauēsque curas  
 atque molestias, quas secum affert coniugium: & quibus  
 sàpè vel inuiti à rerum diuinarum studijs, ad domestica,  
 huiusque vitæ molesta negotia abstrahimur: dicente etiā

*1Cor. 7.32* Apostolo, Qui cœlebs est, curat ea, quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino: & qui duxit vxorem, curat ea, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Ac proinde, sicut sua laude non carent illi, qui ideo vxorem ducunt, ut munda puraque conscientia Deo vivere possint: sic nobis laudandi omnino iij esse evidentur, qui, quo expeditius Ecclesiæ suam nauare possint operam, castum sibi deligunt cœlibatum, in eoque tantisper, dum possunt, viuunt.

## XXIV.

*Coniugia in Domino esse contrahenda, sancte gaudi colenda.*

Nouimus autem, & confitemur, matrimonia omnia contrahenda esse in Domino, ex iure naturæ, legi que diuina, nec non & iuxta honestas locorum consuetudines: sanctè quoque esse colenda: ac nemini licere, legitimam vxorem dimittere, nisi fornicationis causa: si qua tamen infidelis cum fidei, odio religionis, cohabitare nolit, eam vi non esse retinendam: fidelem non esse in huiuscemodi, seruituti subiectum, sed ad pacem vocatum esse à Domino,

## XXV.

*Et qui repudianuit adulteram, & qui desertus fuit ab infideli: ei non minus licere, nouum contrahere matrimonium, quam ei, cui defuncta est uxor.*

Credimus etiam, non minus ei, qui aut legitimè repudianuit adulteram, aut desertus fuit ab infideli, quam illi, cui prior mortua est uxor: licere, nouas conficere nuptias. Illud enim de omnibus non coniugatis & viduis perpetuo

## G V B E R N A T I O N E.

173

perpetuò verum & salutare est Apostoli verbum. Bonum Cor. 7. 2.  
eis, si manserint ut ego: quod si se non continent, nubant.  
Nam melius est nubere, quàm vri.

### XXVI.

*Constituendos esse in Ecclesia, qui de controversijs matrimonialibus iudicent.*

Ceterūm non probamus, vt horum quidpiam fiat in Ecclesia sine legitima Ecclesiæ & Christiani, si habeatur, Magistratus cognitione, iudicio, atque sententia: ac proinde, constituendos esse in Ecclesia pios, peritos, prudenterisque viros, qui matrimoniales causas cognoscant, déque hisce rebus iudicent, omnino sentimus: vt nihil fiat temerè, aut imprudenter, ne cuíque, quod lubet, li-<sup>1 Cor. 14.</sup> ceat: sed omnia legitimè, ad ædificationem, & sine cu-<sup>26.</sup> iuspiam iniuria fiant: néue nomen Dei per nos, inter in-<sup>Rom. 2. 24.</sup> fideles blasphemetur.

### XXVII.

*Curandum esse ijs etiam, qui præsunt Ecclesijs, vt fidelium liberi Christianè instituantur: & aut bonas literas, aut artes honestas doceantur.*

Cum his coniungitur cura liberorum. Credimus igitur, ad perpetuam Ecclesiæ conseruationem necessarium esse, non solùm, vt suos quisque liberos curet instituendos in vera pietate, in moribus Christianis, bonisque litteris, aut honestis artibus: verum etiam, vt Ecclesia ipsa huiusc rei suscipiat curam, vt se tandem reddant vtiles & Ecclesiæ & Reipublice: quo pertinent tūm publici litterarum ludi, honestarūmque artium exercitia, tūm Ecclesiastici Catechismi.

## DE ECCLESIAE MILITANTIS:

## XXVIII.

De Sti-  
pendijs  
bonisq;  
Ecclesia-  
sticis.

*Ministros honestis & liberalibus stipendijs esse cum suis  
familijs sustentandos.*

Credimus etiam, recte gubernari Ecclesiam non  
posse, nisi ministris liberaliter suppeditentur, quæcunq;  
sunt illis & ipsorum familijs ad honestam vitam tradu-  
cendam necessaria: cum nemo, nisi habeat, vnde viuat,  
*Mat. 10.10.* facere suum possit officium: & Christus dicat, Dignum  
esse operarium mercede sua, & Apostolus copiosè hac de-  
*i Cor. 9.7.* re non uno in loco scribat: multis demonstrans, Mini-  
stris, qui seruiunt Ecclesiæ, deberi ab Ecclesia ipsa, qua-  
*i Tim. 5.17.* cunque sunt illis ad præsentem vitam necessaria: illösq;  
ius habere hæc petendi: tantum abest, ut peccent: quem-  
admodum nonnulli calumniantur, si accipient. Auari-  
*i Tim. 3.3.* tam tamen, cum in omnibus, tūm maximè in ministris,  
& prodigalitatem non probamus: & neutrum vitium fo-  
uendum, ferendumque esse, docemus.

## XXIX.

*Bona Ecclesiarum non esse dilapidanda, sed insustentatio-  
nem ministrorum, alioisque pios vsus di-  
stribuenda.*

Cum verò multa bona, liberalitate Principum &  
liorum piorum fuerint olim donata, & nunc etiam ali-  
cubi donentur Ecclesijs: iudicamus, si quæ Ecclesiæ talia  
habent bona, diligenter curandum esse, ne dilapiden-  
tur, néue in profanos vsus, multò verò minus in sacrile-  
gos, conuertantur, conuersæ dissimulentur: sed in eos  
duntaxat distribuantur, ad quos etiam donata fuerunt, ad  
pries nimirum vsus. Probamus autem illam veterem bo-  
norum Ecclesiasticorum partitionem, ut una scilicet pars  
cedat

cedat pijs Episcopis, id est, Doctoribus, ministrisque verbi, *Deut. 14.*  
 & eorum familijs: alia clericis, id est, studiosis, ministerio  
 Ecclesiæ deputatis: & omnibus Ecclesiæ inservientibus:  
 teria pauperibus & peregrinis: quarta Ecclesijs, Scho-  
 lisque reparandis: ad quam partem pertinent non solùm  
 ædes ministrorum, doctorum, studiosorum, bibliothecæ  
 cum suis libris, instrumenta denique & aliæ res omnes,  
 templis & scholis necessariæ: verūm etiam nosocomia  
 & xenodochia, aliisque similia loca, vbi illi degunt,  
 quorum peculiarem curam suscipere debent Ecclesiæ.

## X X X.

*Qualia esse debeant templa Christianorum: qualia lingua in  
 illis utendum: quali ornatu & vestibus: quæ ferie san-  
 ctificanda: ad quem preces fundenda: ritus denique  
 liberos esse debere, qui à Christo, eiusve*

De tem-  
plis & ce-  
remo-  
nijs.

*Apostolis prescripti non  
 fuerunt.*

Quia verò non postrema causa, cur fideles simul in  
 ijsdem urbibus, oppidis, pagis, quoad eius fieri potest,  
 habitare soleant & debeant, ea est, vt, scilicet non solùm  
 priuatim inter se quotidiè communem foueant sanctis  
 colloquijs fidem, & mutuam Chrtianis officijs carita-  
 tem exerceant, verūm etiam, vt certis in locis, certisque  
 temporibus in unum omnes conueniant ad Deum pu-  
 blicè laudandum & inuocandum, ad eius verbum audiē-  
 dum, sacramenta percipienda, opera caritatis publi-  
 ca erga pauperes præstanda, quæ quidem res sine lin-  
 gua, sine ritibus & ceremonijs fieri non possunt: idcirco  
 de ijs quoque quæ nostra sit sententia, breuiter sic expli-  
 camus. Cùm extra controuersiam sit positum in Eccle-  
 sia debere omnia ad ædificationem fieri, omnémque ab  
 ea superstitionis speciem amoueri, iudicamus, veram

I.  
<sup>Templo.</sup> pietatem, & Ecclesiarum ædificationem postulare, Primum quidem de Locis: vt, si concedantur vetera & profanata templa, ea ab omnibus idolis, & ab omniis idolatriæ ac superstitionis reliquijs ac monumentis repurgentur. Quæ enim consensio templo Dei cum simulacris? Deinde, Lingua non usurpetur, nisi quæ toti nota sit Ecclesiæ. Quid enim ædificationis accedit Ecclesiæ ex ignota lingua? Hos certè iubet tacere Apostolus in Ecclesia, qui lingua loquuntur ignota, nisi ipsa addatur etiam interpretatio. Tertiò, Tollatur omnis vestimentum luxus, omnis vanitas, omnia denique illa ornamenta, quæ magis profana gentium theatra, quam sacra Christianorum templa decent: & quæ ad carnis potius oblationem, quam ad Spiritus ædificationem faciunt: omnia verò summa cum reverentia atque modestia in Ecclesijs, tanquam in conspectu Dei & Angelorū gerantur. Etsi verò de forma vestimentorum, quibus ministri publici cœti debeant, vel in ministerio, vel extra ministerium, non ita disceptandum esse censemus, vt propterea turbanda sit pax Ecclesiarum: ubi tamen proprius acceditus ad simplicitatem Apostolicam, eas Ecclesiæ magis probandas esse iudicamus. Quartò, Ut singulis diebus Dominis conuocetur Ecclesia, cœtusque sacri habeantur: cùm videamus, diem hunc iam inde ab Apostolorū temporibus huic sacro otio consecratum, sanctificatumque fuisse. Post diem Dominicum non possumus non probare illorum quoq; dierum sanctificationem, quibus memoria recurrit, celebratāq; in veteri Ecclesia fuit Nativitas Domini nostri Iesu Christi, Circumcisionis, Passio- nis, Resurrectionis, Ascensionis in coelum, Missionis Spir- itus sancti in Apostolos. Reliquis diebus, prout quæque Ecclesia expedire iudicauerit: sic etiam sacram cœtum conuo-

conuocet ad verbum, ad sacramenta, ad preces, ad collectas. Semper vero absit omnis dierum superstitionis obseruatio. Quinto, preces ad solum Deum, & ad Iesum Christum fundantur, sine villa vel Angelorum, vel sanctorum demortuorum inuocatione: quemadmodum fecerunt & Prophetæ & Apostoli, & tota vetus Ecclesia, vt in antiquis collectis, facile est, videre, de mandato Dei ut taccamus: qui sibi soli vult hoc laudis & labiorum offerri sacrificium. Sexto, de ritibus ac ceremonijs in Ecclesia seruandis, eadem pietas & Ecclesiarum ædificatione flagitat: ne nimis acriter, quasi pro aris & focis, vt dici solet, sit dimicatio, disceptetur: sed singulis Ecclesijs liberi relinquantur: quemadmodum etiam in veteri Ecclesia factū fuisse, apud Socratem, & alios Ecclesiasticos scriptores legimus. quibus de rebus in genere probamus arque amplectimur utramque epistolam Augustini ad Ianuarium. Hæc enim faciunt ad Ecclesiæ ædificationem.

Col. 2. 16.

V.

Preces.

Heb. 13. 32

VI.

Ritus.

Tom. 2. ep.

118, &amp; 119.

## XXXI.

*Ieiunia publica aliquando esse indicenda, eaque esse utilissima & laudabilia: sed ad ea cogendum esse neminem.*

Eodem, ad salutarem videlicet Ecclesiæ gubernationem pertinet: vt, sicut priuata ieiunia libera sunt, sic nijs. etiam ad publica inuitentur quidem omnes, cogatur autem nemo. Non potest satis laudari ieiuniorum utilitas: & non raro contingit, vt sint necessaria: ita ut cogantur pri Magistratus & ministri Ecclesiæ, placandæ vehementis iræ Dei causa, publica indicere toti Ecclesiæ ieiunia: quemadmodum & in veteri Testamento, & in primitiis Ecclesia fieri solebat: non quod ijs remissionem peccatorum meteamur, & mitigationem iræ diuinæ: sed, quod domita

domita carne, Spiritus ad Deum ardentius inuocandum,  
 & per fidelem inuocationem placandum, excitetur. In-  
 terim ad Ecclesiæ ædificationem pertinet, ut nullius con-  
 scientia ad huiuscmodi ieunia adigatur, & constringa-  
 tur: cum debeant ex libero, spontaneoque, & verè humili-  
 ato spiritu profici sci: quemadmodum & de Eleemosy-  
 nis in pauperes erogandi scribit Apostolus, non extremita-  
 tia, aut ex necessitate, sed, prout quisque præoptat cor-  
 de, eas esse faciendas.

## XX XII.

De cibo-  
 rum de-  
 lectu.

*Nullo tempore, publicorum etiam ieuniorum tempore,  
 aliquo cibi genere interdicendum esse  
 fidelibus.*

Hinc etiam sequitur, nullo vñquam, vel ieunio-  
 rum, vel non ieuniorum tempore, interdicendum esse  
Mat. 15.11. cuiquam, vlo. ciborum genere: cum nullus horum in-  
Tit. 1.15. quinare hominem possit, sed omnia sint munda mun-  
1 Tim. 4.1. dis: & Apostolus eorum doctrinam, qui iubent abstiner-  
 3. à cibis religionis causa, doctrinam dæmoniorum vocet.  
 Doctrina igitur hæc ad ædificationem Ecclesiæ facere  
 qui potest?

## XXXIII.

De ægro-  
 tis, & se-  
 pultura.

*Aegrotos inuisiendos esse, & consolationibus afficiendos,  
 infide confirmandos, & agentes animam, precibus comi-  
 tandos, Christoque commendandos: defunctorum  
 autem corpora cum honore se-  
 pelienda.*

Neque minori curæ esse debent Ecclesiæ ipsi ægro-  
 ti, quam benè valentes: & mortui, quam viuentes: cum  
 omnes sint membra Christi, & eorum corpora templo  
 Spiritus

## GVBERNATIONE.

15

Spiritus sancti. Agnoscimus igitur, ad veram Ecclesiarum gubernationem pertinere, ut constituantur viri pijs atque prudentes: qui agrotantes inuisant: consolenturque ex verbo Dei, & confirmant in fide: ac si contingat, ut ex mundo illi agroti euocentur a Domino, eos a nimis ad hanc migrationem. Animas enim fidelium, simulacra corpore egressa sunt: confessim migrare in cœlum ad Christum: subiectas eō a Spiritu Christi, & comitatas ab Angelis eius: beatosque esse, qui in Domino moriuntur. Addant & preces, quibus agentes animam ad portum usque comitentur, & Christo commendent. Horum vero corpora cum honore ad sepulchrum deducenda esse, non dubitamus: quemadmodum nostræ Ecclesiæ, tūm verbis, tūm re ipsa docent: palam testificantes, ea fuisse templa Spiritus sancti: nunc quidem destructa, sed suo tempore rursus instauranda, & ad vitam, eamque æternam, excitanda, ipsa interim sepulcra & coemeteria sancte & reuerenter, ut sit apud nos, custodienda sunt: defunctorum autem liberi, vel parentes, consanguinei & affines consolatione afficiendi: eisque omnia humanitatis officia, quæ præstari possunt, & præstare studemus, & præstanda esse, docemus. Ac, si quid ex Psalmis de resurrectione mortuorum inter deducendum funus alicubi canitur, vel aliqua post traditum terræ cadauer habetur ad populum concio, in qua aliorum quoque, qui sanctè obdormierunt in Domino, honesta fiat mentio mortuorū: id nequaquam improbamus: cùm non pro salute defunctorum, sed ad consolationem & utilitatem viuorum, & ad totius Ecclesiæ ædificationem fiat. Creamus enim fidelium animas, corporibus solutas st̄ timigitare ad Christum in cœlum: cōque nostris suffragijs

Aa

opus non habere: Ecclesiæ verò ædificationem semper  
eclœ, quacunque data occasione, promouendam.

## XXXIV.

*Sine legitimis, liberis, & Christianis ministrorum conuen-  
tibus ac Synodis, Ecclesiam rectè gubernari  
non posse.*

De Syno-  
dis.

Hoc quoque persuasissimum habemus, tūm sacrissimis literis, tūm perpetua experientia edocti: non posse Ecclesiæ, nisi certis temporibus habeantur conuentus ministrorum, tūm priuati in unaquaque Ecclesiæ, qui consistoria, synedriaque appellari solent, tūm publica atque communes in unaquaque Provincia aut Regno, qui & hanc ob causam Provinciales Synodi vocari consueuerunt: tūm etiam, quoad eius fieri potest, omnibus in toto orbe Christiano populorum, communes, qui & Oecumenica concilia vocabantur: in quibus de omnibus rebus ad Ecclesiæ salutem, conseruationem, exædificationem pertinentibus deliberetur: libera cuiusque audiatur sententia: & communis consensu ex verbo Dei, & ex probatissimis alijs Conciliis definiatur: quemadmodum & Apostolos, & totam veterem Ecclesiæ scilicet, legimus.

## XXXV.

*Confirmatio superioris sententia: ubi de disciplina Ecclesiastica.*

De Disci-  
plina.

Ecclesia enim regitur disciplina, & sine disciplina recte gubernari nequit. Etautem disciplina, ratio atque institutio: qua nos tanquam discipuli Christi, in eius schola discimus viuere Deo, omniaque facere secundum doctrinam Euangeliij, tūm publicè, tūm priuatim, ad Ecclesiæ

Ecclesiæ ædificationem, & ad salutem nostram. Ideò totam complectitur pietatem, initium, progressum, & finem.

## XX XVI.

*Disciplina duplex.*

Porrò disciplina hæc in Ecclesia duplex est, Vnato-  
tius populi Christiani communis, quæ & popularis disci-  
plina à multis vocatur: altera, propria ministrorum, ho-  
minumque Ecclesiasticis officijs destinatorum, quæ ideo  
etiam Clericalis disciplina appellari consueuerat.

## XXXVII.

*Communis disciplinæ partes.*

Communis illa ac Popularis in his potissimum re-  
bus consistit: Primùm, quo ad initium, vt, cum quis in  
Ecclesiam recipitur, discat Deum & Christum cognoscere, eum inuocare, quæ sit eius voluntas, intelligere: Hoc fit per Catechismum, quo summam Christia-  
næ pietatis quisque docetur: edoctus verò suam fidem  
coram tota Ecclesia profiteatur, obedientiamque Chri-  
sto & eius Ecclesiæ iuxta Euangelij doctrinam promittat. Rom.10.16.  
Deinde, quia in via DEI non progredi est retrogredi: Matth.24.20.  
ideò, quò possint pij verum in pietate progressum facere,  
in coetus sacros constitutis locis & temporibus frequen-  
tes conuenire, & sese verbo Dei audiendo dedere, preces  
vnà cum alijs facere, & oblationes liberaliter conferen-  
do, caritatem in pauperes exercere debent. Quia verò  
in hoc progressu subinde labimur omnes, alijs grauius  
& cum maiori Ecclesiæ scandalo, alijs minus grauiter:  
ideò tertia pars in censura morum posita est: nempe ut Matth.18.15 &c.  
quisque sese censuræ in finem usque vitæ subijciat, corre- 1 Tim.5.20

ctionesque fraternalias admittat. Ac si quis in flagitium aliquod graue, Ecclesia que notum inciderit, & reprehensus, ab eo non verè resipuerit, propter quam causam meatur à Coena ad tempus arceri, & ad faciendum veram poenitentiam, ligari, donec publicam veræ resipiscientia significationem Ecclesiæ det: talis frater à sacris arceatur, & ligetur: resipiscens autem soluatur, in gratiam recipiatur, & ad pristinam communionem admittatur. Hæc est prior disciplina, cuius finis est, ut quisque viuat Deo, tandemque etiam moriatur in Domino Iesu.

## XXXVIII.

*Clericalis disciplina a partibus.*

- I. Interim, licet huic disciplinæ Christianæ omnes, tam ministri, quam laici, ut vocant, subiiciantur: accedebat tamen apud Patres peculiaris etiam quædam Clericorum disciplina: quorum est non solum verbo, sed etiæ vitæ exemplo, diligentique officij sui functione, alijs preire. Huius partes hæ erant præcipuae. Prima, ut à multis abstinerent, quæ alioqui in laicis aliquo modo tolerari possunt: veluti sunt multæ carnis deliciæ, lautiores pompæ, splendidiora conuiua, pretiosa supellex, profanum famulitium, & his similia. Secunda, ut ea omnia huius vitæ negotia reijscerent: quæ impedimentum adferunt, ne suum perfidere possint officium, quod in sacris potissimum legitimè obeundis, verbo prædicando, disciplina morum exercenda consistit: cuiusmodi negotia sunt Militia, Mercatura, occupationes forenses, Ars institoria præesse cauponis, & omnia sordida exercitia. Tertia, ut peculiarem promitteret obedientiam in rebus hotestis suo Episcopo, & Episcopi Metropolitano. Quartæ, ut diligentius, quam laici, lectioni ac studio sacrarum litterarum

literarum incumberent, illisque artibus & linguis, quibus  
sacræ literæ melius intelligi possunt, adeoque & precibus  
& sanctis contemplationibus. Quinta, vt cura etiam  
diligentiore non solum in proprium cuique demanda-  
tum officium: sed in ea etiam omnia incumberent: quæ  
ad totius Ecclesiæ ædificationem pertinere viderentur.

V.

## XXXIX.

*Ex necessitate discipline, concludi necessitatem  
Synodi.*

Hæ sunt partes disciplinæ, sine qua, quomodo vlla Ecclesia rectè administrari & conseruari possit, non vide-  
mus. Quomodo autem disciplina hæc locum ibi habere  
potest, vbi nunquam conueniunt inter se ministri ad co-  
gnoscendum, quid in Ecclesia desideretur, quibuscne in  
rebus peccetur, ad censuram morum faciendam, ad iudi-  
candum de doctrinis, si quæ spargantur nouæ, denique ad  
deliberandum de omnibus, quæ ad salutem Ecclesiæ per-  
tinent? Conuentus igitur ministrorum, & Synodos Ec-  
clesiasticas, ad veram salutarēmque Ecclesiarum admi-  
nistrationem & cōseruationem, pernecessarias esse, iudi-  
camus: quando neq; vlla politia, nulla Respublica, nul-  
lum regnum, sine suis senatibus, consilijs, parlamentis, vt  
vocant, & conuentibus consistere possunt. Proinde no-  
bis vehementer placeret, veterem Ecclesiarum consue-  
tudinem, ab ipso quoque Imperatore Iustiniano noua  
constitutione comprobatam reuocari: nempe, vt in singu-  
ulis prouincijs, bis saltē in anno Synodi celebraren-  
tur: & nonnunquam etiam generalis, ex omnium, quæ  
Euangelium profitentur, prouinciarum doctioribus,  
modestioribus, & prudentioribus ministris, ac Princi-  
pum legatis cogeretur: quæ si vnquam fuit, in hoc certè

calamitoso tempore, quo tot tantèque hæreses passim ab inferis revocantur, per necessaria nobis esse videtur. Pre-camur Deum Patrem toto pectore per Iesum Christum Dominum nostrum, excitet pios & fortos Constantinos, Valentinianos, Theodosios: qui sua autoritate talem cogant Synodum, in qua, ipsis quoq; præsentibus, Syno-dūmque moderantibus, de pia concordia, pacéque & sa-lute omnium Ecclesiarum amicè ac fraternè è sacris lite-ris, & ex Spiritu Dei deliberetur, ad gloriam Dei & nomi-nis Christi, & omnium electorum salutem.

## XL.

*Errores.*

Improbamus itaque omnia illa, quæ cum prædicta doctrina, sacris literis confirmata, pugnant: atque in pri-mis hæc præcipua capita: 1. Ecclesiam ex solis constare hominibus, Angelos verò ad eam non pertinere. 2. Ve-ram Ecclesiam, quæ est corpus Christi, constare non so-lùm ex eleëtis, sed etiam ex reprobis hypocritis, & hos ve-ra esse Ecclesiæ membra. 3. Rursus, Ecclesiam ita con-stare ex eleëtis, veréque sanctis: vt nulli in ea continean-tur hypocritæ, & Ecclesiæ nominenunquam in sacris li-teris comprehendantur. 4. Ecclesiam, quæ fuit ante ad-uentum Christi: non fuisse veram Christi Ecclesiam, sed eius duntaxat typū, quæ per Christum & Apostolos erat colligenda. 5. Ecclesiam Christi duo habere capita, vñū inuisibile & in cœlo existens, nempe Christum: & aliud visibile in terris dominans, Romanum Pontificem: cum quo qui non consentit in omnibus ad religionem per-i-nentibus, & in omnibus non paret, is ad Ecclesiam non pertineat, & seruari non possit. 6. De particulari aliquæ Ecclesia affirmare, eam in fide errare non posse. 7. Ita al-ligare

ligare Ecclesiam certis locis & personis, vt, apud eos tantum Ecclesiam esse, dicas. 8. Eas non agnoscere pro Ecclesijs Christi, quæ, licet teneant fidei fundamenta: in remonij stamen, aut etiam in aliqua parte doctrinæ nobiscum per omnia non consentiunt. 9. Secessionem facere ab Ecclesijs propter quemuis errorem: aut propter malam aliorum vitam. 10. Vnde exsulat vera doctrina, verus cultus, & pura sacramentorum administratio, ibi tamen, contendere, idèò veram esse, & Apostolicam, puramque Ecclesiam, quia à temporibus Apostolorum continuata Episcoporum successio ibi demonstrari queat: contrà verò, eas non esse veras Ecclesias, quæ, licet retinent puram doctrinam, pura Sacra menta, veramque disciplinam: personalem tamen & non interruptam Episcoporum successionem ac continuationem demonstrare non possunt. 11. Autoritatem cuiuspiam Episcopi, quatenus Episcopus est, ultra ea, ad quæ vocatus est à Christo extendi. 12. Ecclesiam habere autoritatem quidpiam in sacris literis immutandi, aut mandata Dei dispensandi, aut nouas leges, conscientiam obstringentes, condendi. 13. Ministris verbi non licere, coniugium contraherere, vel saltē, secundas nuptias. 14. Non licere ministris, certa accipere stipendia. 15. Licere verò, in templis lingua vti Ecclesiæ ignota, etiamsi interpretatione non addatur. 16. Licere etiam, præter Deum & Iesum Christum Mediato rem, sanctos demortuos inuocare, precésque ad illos, & sacrificium gratiarum actionis dirigere. 17. Non licere Christianis, tempore iejuniorum quadragesimæ, & certis alijs diebus, quovis ciborum genere vesci. 18. Ecclesiam benè facere, si oret pro animis funitorum, vt ex igne purgatorio liberentur.

## CAPVT. XXVI.

## DE MAGISTRATV.

Quando iam dictum est de primo hominum genero, quorum opera vtitur Deus in gubernatione Ecclesie, de ministris nimirum Ecclesiasticis, deque illorum officijs, & alijs ad eos pertinentibus: restat ut nunc de altero etiam, hoc est, de politico magistratu quæ nostra sit fides, paucis explicemus. Nam huius etiam, præsertim, si Christianus sit, ministerio vtri solet Dominus ad suæ Ecclesie protectionem & conseruationem.

## I.

*Omnem Magistratum, siue pium, siue impium, esse à Deo:  
ac proinde, nulli Magistrati simpliciter  
esse resistendum.*

Credimus igitur, omnem Magistratum, tam impium,

*Rom. 13.1.* quam pium, à Domino Deo esse, ministrumque esse Dei:  
*1 Pet. 2.13.* ad ultionem maleficorum, laudem vero recte agentium,

*Rom. 13.7.* missum: ac proinde, & timendum eum, & honorandum esse, mandatisque ipsius, quæ bona conscientia, & sine legis diuinæ transgressione, seruari possunt, obtemperandum:

*Rom. 13.5.* dum: idque non solum propter timorem, sed etiam propter conscientiam: nempe, quia sic mandat Dominus: non

*Rom. 13.2.* igitur, quatenus minister Dei est, illi esse resistendum: quod, qui resistit, Dei ordinationi, Deoque ipsi resistat.

## II.

*Magistrati aliquid contra Deum mandanti non esse  
morem gerendum.*

Si quid tamen Magistratus contra voluntatem eius,  
a quo missus est, & cuius ministrum se esse profitetur, nobis man-

bis mandet: cum Apostolis non dubitamus, denegandā illi esse obedientiam, dicendūmque, Obedire oportere. *Acto. 5. 29.*  
 Deo magis, quām hominib: cum reuera minister Dei non sit ea in parte, talis Magistratus. Quare, si propter conscientiam & non solum propter timorem subiectum *Rom. 13. 5.* esse oportet, & obtemperandum est Magistratui: ubi igitur propter conscientiam non licet obedire, neq; etiam propter timorem, obtemperandum esse, concludimus. In alijs rebus, qui potestati resistit, eum, nouimus, *Deo* re-*Rom. 13. 2.* sistere, sibique condemnationem acquirere.

## III.

*Orandum esse pro magistratibus omnibus, vt, quod sui est officij, illud etiam re ipsa praestent: Et quidnam sit cuiusque Magistratus officium.*

Ceterām, quia cniūsq; liberi Magistratus officium est, tūm iustis legibus ferendis, tūm iudicijs faciendis, tūm sceleribus puniendis, quām diligentissimē curare. vt subditi viuant ex virtute & ex natura, Deīq; legibus, quārum summa est, vt sobrietē, (cōque castē & honestē) iustē, *Tit. 2. 12.* (cōque pacificē cum proximo) & piē (quoad Deum) viuamus in hoc seculo, hoc autē officium præstare non possunt ex se Principes, nisi à Deo donentur sui officij cognitione, & excitetur in eis velle atque perficere: idcirco, *Phil. 2. 13.* quod facimus ipsi iuxta præceptum Apostoli, alijs quoq; *1 Tim. 2. 2.* esse faciendum, docemus: nimirum, orandum esse pro ipsis Magistratibus, qualescunque illi sint: vt, quod sui est officij & præstare velint & possint: cōque efficiant, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni honestate & pietate: hoc est, vt commode atque in pace viua-

mus simul omnes: publica etiam honestas seruetur, & vera pietas atque religio custodiatur ac propagetur.

## IV.

*Ad Principem Christianum cum primis pertinere, curam suscipere religionis Christianæ.*

Si verò Christianus etiam & pius sit Magistratus: credimus ad eum speciatim pertinere, præter publici ac politici boni seu commodi, publicæ & politicæ pacis atque honestatis procreationem, curam quoque pecuniarem suscipere Christianæ religionis: quando Dominus fecit eum custodem utriusque tabulæ, mandatque illi, vt *Ios. 1. 8,* tanquam Princeps legem Dei semper habeat in manibus *Deu. 13. 2.* suis: & ut tam in idololatras atq; blasphemos, falsos prophetas ac seductores animaduertat, quam in homicidas atq; adulteros exemplis piorum Regum in Israël, & Christianorum Principum, Constantini, Valentiniani, Theodosij, Iustiniani, & aliorum, id abundè confirmantibus, quippe qui iuxta mandatum Dei, non solùm ut homines priuati, sed etiam ut Reges, seruierunt Domino: quemadmodum de ipsorum officio ex Psalmo secundo Diuus Augustinus prudentissime obseruauit, & explicauit *ad Bonifacium Comitem.*

## V.

*Officium p̄ij Principis in religione, duplex esse, & quibusnam in rebus prius constat.*

Cum autem p̄ij Principis, hoc est, eius Magistratus, qui liberum ius habet in aliquem populum, & autoritatē in sua ditione religionem instituendi vel reformandi, duplex sit officium, quod religionis causa Christo debet & Ecclesia, quorum vnum in rebus ipsis ad religionem pertinenti-

timentibus versatur, alterum verò homines respicit quos in sua habet ditione, sibique subiectos: credimus ad primum quod attinet, officium ipsius cum primis esse diligenter curare, vt ex puro Dei verbo, per ipsum et Dei verbum explicato, & iuxta prima fidei principia (id quod vocare solent analogiam fidei) intellecto: religio in suo principatu, seu regno, aut instituatur, aut instituta pura conseruetur: aut corrupta, instauretur & reformatur: ad gloriam Dei, & ad populi sui salutem. Hoc enim & mandatum à Deo, & à Mōse, Princibūisque pijs omnibus servatum fuisse, legimus.

## VI.

*Explicatio superiorus sententia per partes.*

Credimus igitur, pij Magistratus officium esse, primum quidem, cognoscere ex verbo Dei in genere, & ad summam capitum fidei, quæ sit vera & Christiana religio, quæve Apostolica doctrina, ad quam reformatæ sunt Ecclesiæ: vt nihil ex solo aliorum iudicio, sed ex certa sua scientia, in re præsertim tanti momenti agat, age réue audeat. Deinde, hoc cognito, curare, vt ministri ad officium idonei, non ex suo arbitrio, sed iuxta regulam verbi Dei, exemplaque Apostolica elegantur, vocentur, ordinetur. Tertiò, efficere, vt per hostium doctrina sa- lutis in sacris literis tradita, proponatur, explicetur, inculetur: tūm sacramenta iuxta Christi institutionem administrentur: tūm disciplina à Christo instituta exerceatur. Quartò, incumbere etiam in hoc, vt scholæ instituantur, in quibus cùm bonæ artes & linguæ diligenter tradantur, tūm maximè sacræ literæ fideliter explentur, summāque Christianæ sapientiæ studiosi doceantur. Quintò, quò ministri & Doctores in officio con-

incentur, eoque verare religio per ipsos in Ecclesia conservetur, operam dare, ut praeter ordinaria, priuataque synodus, Synodi etiam, sicut ante dictum est, prouinciales bis saltem in anno cogantur: sexto bonorum denique Ecclesiasticorum curam gerere, ut in suos, hoc est, vere pios usus fideliter dispensetur: & quaecunque necessaria sunt Ecclesia, eiusque ministris, suppeditentur.

## VII.

*Non omnes diuersa religionis hominum ordines  
eadem ratione pio Principi esse  
tractandos.*

Cum vero (ut de altero p[ro]p[ter]e]r[ius] principis officio in religione breuiter dicamus) diuersa sint hominum genera, quos sub suo habere potest imperio Princeps, nimurum, aut simpliciter infideles: aut fidem quidem Christi profitentes, sed simulo etiam vel apertos idololatras, & ab apostolica Ecclesia multis in rebus apostatas: vel in aliquo fidei articulo manifestos haereticos, vel simpliciter errantes: vel denique bene in omnibus sentientes: Nos certe, minimè & qua erga omnes horum hominum ordines ratione uti debere Principem, persuasum habemus: cum alij sint cari habendi, souendi, & honore afficiendi: alij tolerandi, alij non ferendi: alij capitaliter etiam p[ro]le[ct]andi: nulli autem Christum blasphemare, colereue idola, & impios ritus retinere permittendisint.

## VIII.

*Omnis homines sublimioribus potestatisibus subiectos esse  
debere: omnes vero, sublimiores etiam, potes-  
tates ipsi Christo, eiusque  
verbo.*

Credi-

Credimus denique, omnem animam, hoc est, o-  
mnem hominem, nemine excepto, eoque & omnem in-  
feriorem potestatem superiori ac sublimiori subiectam  
esse debere: superiorum verò etiam potestatem non mi-  
nus, quam inferiores; omnesque reliquos homines, ipsi  
Christo Regi Regum, & omniū Dominorum Domino. *Apō. 17.14.*  
Deus enim vult, ut omnes osculentur Filium, & illius iu-*1 Tim. 6.15*  
go ac disciplinæ colla subijciant. Ac proinde, ad veram  
Ecclesiæ gubernationem & ædificationem, credimus,  
pertinere, ut ipsi Principes in primis se subijciant verbo  
Dei erudiendos, monendos, corrigendos: quò reliqui,  
iporum exemplo, idem alacrius faciant: ac, si facere re-  
cusent, liberius in eos animaduertere, & omnes in officio  
retinete, Principes possint.

## IX.

*Errores.*

Dannamus igitur omnes Magistratum contem-  
tores, rebels, seditiosos, suæque Reipublicæ hostes, &  
quicunque debita officia Magistratui præstare vel palam  
recusant, vel astutè renuunt. Dannamus nominatim  
errorem Anabaptistarum, dicentium, non licere homini  
Christiano, Magistratum gerere, multò verò minus sua  
vti autoritate in subditos religionis causa: liberum enim  
esse cuique quam velit, sequi religionem, ac proinde, ad  
fidem neminem esse cogendum. Improbamus & illos,  
qui autoritatem in religione, dicit tantum causa, attri-  
buunt Magistratibus: dum illos negant, autoritatem ha-  
bere conuocandi Synodos, deliberandi de religione, re-  
formandi Ecclesias, & quæ ad populorum salutem perti-  
nent, è sacris literis statuendi: aliudque eos esse nolunt,  
quam corum, quæ ab Episcopis definiuntur, executores,

Sed neque illos probamus Magistratus, qui sine legitima terum cognitione, mutant pro suo placito religionem: damnant inauditos, spoliant, proscribunt: canones de religione, non ex sacris literis, sed potius contra verbum Dei conscribunt: & non ut serui Dei, sed ut Domini Ecclesiarum sese gerunt in Ecclesia Christi: suumque colum iugo Filij Dei subiucere nolunt: quibus maiorem Dei cognitionem, melioremque mentem precamur à Deo Patre, & à Domino Iesu Christo.

## CAPVT XXVII.

DE PERPETVA PECCA-  
torum remissione in Ecclesia  
Christi.

## I.

*Perpetuam in Ecclesia esse remissionis peccatorum dispensationem: & ad hanc perpetuum verbi ministerium esse ordinatum.*

Confessi anteas sumus, simulac quis per Spiritum sanctum insitus est Christo, eum statim consequi remissionem omniū admissorū peccatorum, nouāmq; vitam à Christo capite haurire, atq; ita viuum etiā fieri Ecclesiæ membrum. Verū, quoniā qui sanctissimi etiam sunt in hac militante Ecclesia: quotidie tamen peccant in fine usq; vita, eōq; semper opus habent nouā peccatorum remissione, quemadmodum etiam nouā pœnitentia, nouāq; fide, remissionem peccatorū in Christo apprehendente: fides autem & pœnitentia, ministerio verbi & sacramentorum excitari solent: idcirco credimus, perpetuo in Ecclesiæ

PECCATORVM REMISSIONE. 199  
eclēsia peccatorum remissionem dispensari per ministeriū  
verbi & sacramētorum, & ad hanc totū ministeriū Eccle-  
siasticum quod perpetuum est in Ecclesia, ordinatū esse.

II.

*Remissionis peccatorum nomine quid intelligamus.*

Cum autem in peccato tria sint, actio transiens: a-  
ctionis iniquitas, eōq; peccantis culpa manens, & debitæ  
poenæ reatus, culpæ cohærens: tūm intelligimus peccatū  
nobis remitti, quando non solūm culpa & iniquitas non  
imputatur, sed etiam reatus tollitur, debitāq; poena cō-  
donatur. Propriè enim remittuntur debita: & nos, cum  
in oratione petimus, remitti nobis debita nostra, non so-  
lūm petimus, nos à culpa absolui, & iniquitatem nobis  
non imputari, verūm etiam, pœnam ac condemnatio-  
nem, nobis propter iniquitatem, debitā, cōdonari, taliq;  
nos reatu ac debito liberari: quando neq; nos debita re-  
mittere fratribus dicimus, nisi cum illos debita solutio-  
ne ac satisfactiōne liberamus: certūmque est, nos non iu-  
beri à Deo petere, nisi quod Deus ipse præstare vult: &  
Christus totius debit in nostri chirographum fregit, facta  
pro nobis perfecta solutione ac satisfactiōne.

III.

*Afflictiones, quibus post condonata peccata premuntur  
sancti, non esse pœnas satisfactiōnes pro pec-  
catis prateritis: sed paternas coerci-  
tiones à futuriis.*

Quòd verò post remissionem peccati soleat Deus fi-  
lios suos varijs affligere & cädere flagellis: credimus, hoc  
non à Deo fieri, vt pro peccatis admissi hac ratione, vel  
in totum, vel ex parte suæ iustitiæ satisfiat, cum una ple-  
na Cūristi satisfactiō nobis imputata satis supérque  
sit: sed,

sit: sed, vt illis, ceu paternis ferulis, quæ certè ad peccati  
in nobis habitantis mortificationem pertinent, in poste-  
rum cautiores siamus: néue amplius tam facilè in pecca-  
ta nos ipsi projiciamus: vnde & certamina fidei, exerci-  
T. 7. de pee-  
cat. mer. et  
rem. lib. 2.  
cap. 33. &  
34.

tionésque sanctorum, non autem supplicia peccatorū  
cū Augustino appellamus, & appellari debere, docemus.

## I V.

*A solo Deo propriè remitti peccata gratis, & propter  
Christum Mediatorem.*

Credimus etiam, à solo Deo ex gratia, & propter  
Ies. 43. 25. Christum Mediátorem peccata propriè remitti: cù in eriam  
ille ipse solus sit, in quē propriè vel immediatè vel medi-  
tate peccatur, dum ipsius legē transgredimur: in solius ve-  
rò creditoris potestate positum sit, debitoribus suis grati-  
ficari, debitāque remittere. Vnde & Christus, vt homo,  
Luc. 23. 34. Patrem rogauit pro se crucifigentibus vt illis ignoscet,  
Luc. 5. 21. peccatumque remitteret: & quod dixerant Iudæi, Quis  
&c. potest remittere peccata, nisi solus Deus, partim tacen-  
do, partim edito miraculo, confirmauit. Quare ex eo,  
quod Christus, sua autoritate remittebat peccata, cum  
Patribus, meritò euinci, credimus, eum verū esse Deum:  
cum hoc fieri à pura creatura non possit, nisi ministeriali-  
ter, vt loquuntur, & in nomine atque ex autoritate Dei:  
Mat. 18. 18 id quod non vni tantum, sed omnibus Apostolis, cōque  
Ioh. 20. 23. & legitimis ministris Euangelij omnibus ex æquo datum  
esse, nouimus.

## V.

*Christum, Deum & hominem, remittere quidem peccata:  
sed differend: ratione, qua Deus est,  
& qua homo:*

Vnde

## PECCATORVM REMISSIONE.

201

Vnde etiam sequitur, id quod & confitemur, Christum Deum & hominem, vnà cum Patre & cum Spiritu sancto remittere peccata: sed alia ratione eum idfacere, quà Deus est. & alia, quà homo. Nam, quà Deus est, propriè, propriaque autotitate, & verè efficienter id efficit: quà homo verò est, id facit, & antea etiam fecit in carne mortali, tanquam *ouεγγελιον* deitatis: voluntate sua humana, diuinæ consentiendo, & verbis pronuntiando, Remittuntur tibi peccata tua: Leone etiam primo sic ad Flauianum explicante atque dicente, Agit vtrāque for- *Epiſt. ad Corinθios 4:4.*  
ma, (Dei scilicet & hominis) cum alterius communio- ne, quod proprium est: verbo scilicet operante, quod verbi est, & carne exsequente, quod carnis est. Remitte- re peccata, propria fuit actio diuinæ naturæ: at dicere, Remittuntur tibi peccata tua, humanæ. Hæc ille,

### V.I.

*In solo Christo offerriri remissionem peccatorum, & à solis electis, fide donatis, percipi.*

Sicut autem in solo Christo Mediatore & Redem-  
tore, tanquam totius Ecclesiæ capite, habemus redem- *Eph. 1:7.*  
tionem persanguinem ipsius, remissionem peccatorum,  
ita ut extra Christum nulla sit: sic etiam credimus solos  
electos, vera poenitentia, veraque fide donatos, Christoq;  
per Spiritum sanctum, ut membra capiti, insitos, illius fi-  
eri particeps: eoque, licet omnibus hominibus per Eu-  
angelium annuntietur remissio peccatorum, reprobis  
tamen, ut pote impoenitentibus, & incredulis, nunquam  
remitti: sed ipsorum vitio & culpa semper retincri pec-  
cata.

### VII.

*Omnia peccata simul, fidelibus electis remitti.*

C c

Credimus etiam, sicut Christus non pro aliquot, sed pro omnibus peccatis nostris una oblatione satisfecit: sic etiam nobis, verè poenitentibus, non quorundam tantum, sed omnium simul peccatorum nostrorum remissionem à Christo & in Christo per Euangelium offerri:  
 Matth. 18. per Spiritum sanctum communicari: perq; fidem recipi:  
 23. &c. quando Deus, proposita parabola, declaravit, se totum debitum, non autem partem remittere.

## VIII.

*Remissionem peccatorum in sola Ecclesia dispensari, per solam fidem recipi, idque in sola hac vita.*

Denique, ut concludamus, credimus, sicut in solo Christo inuenitur remissio peccatorum, sic etiam in sola eius Ecclesia illam dispensari: & sicut solius Christi meritis & sanguine parta nobis fuit, sicut etiam citra merita nostra, per solam veram in Christum fidem recipi: & sicut in sola hac vita Euangelium prædicatur, pérque illud remissio peccatorum poenitentibus & credentibus annuntiatur, sic etiam in hac tantum vita illius fieri nos participes posse: quando post hanc vitam nullus datur fidei & poenitentia locus: ac proinde, Ecclesiam suo ministerio nil prodesse amplius posse hac vita defunctis ad remissionem illis impetrandam: dicente etiam Cypriano, Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam locus poenitentia est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita autem amittitur, aut tenetur: hic saluti æternæ cultu Dei & effectu fidei prouidetur.

Cypr. ad  
Dument.

## IX.

*Confirmatio eiusdem doctrina, ex ordine  
Symboli.*

Iuxta

Iuxta hæc tria capita articulū de remissione peccatorum in Symbolo interpretamur: nempe, primū m quidem post articulum de Ecclesia, déque cōmunione sanctorum subijci articulum hunc, vt intelligamus, extra Ecclesiam, peccatorum remissionem nō dīlpēnsari, nullumque habere locum. Deinde, eundem subijci post confessionem de fide nostra in Deum Patrem, in Filium, & in Spiritum sanctum, déque fide, qua credimus, Ecclesiam Christi esse sanctam, & ex societate communioneq; sanctorum constare: vt testificemur, nos non ex meritis nostris, sed propter fidem in Deum Patrem, in Filium, & in Spiritum sanctum, & propterea, quod sumus in Ecclesia, communionē mque habemus cum sanctis omnibus, idèo peccatorum etiam remissionem quotidie cōsequi. Ac denique ex hoc ordine articulorum fidei, credamus & confiteamur, post remissionem peccatorum in Ecclesia hac militante imperatā: nil aliud mortuis exspectandū esse, quam carnis resurrectionem & vitam æternam.

## X.

## Errores.

Ita damnamus errorē, quo quidam docent, remissa culpa, restare poenæ debitū persoluendū: hanc verò poenam, cùm sit æterna mors, per poenitentiam commutari in poenas temporales: quas oporteat vel in hac vita, vel post mortem in purgatorio luere, nisi per missas indulgentias, aliisque suffragia inde liberemur. Secundò, damnamus & illorum blasphemiam, qui alibi, quam in Christo remissionem peccatorum querunt, & querendam esse, docent: Item, qui alia ratione, quam per veram fidem, pérque Spiritum sanctum eam sibi re ipsa applicari posse, cōtendunt, & percipi. Damnamus item sacrilegam illo-

rum doctrinam, qui docent, non omnia semper peccata  
credentibus à Deo remitti: sed quædam sepe etiam reti-  
neri, quæ porro expianda sint ieiunijs, eleemosynis, ora-  
tionibus, alijsque operibus nostris, vel aliorum etiam ob-  
lationibus, & sacerdotum sacrificijs.

## CAPVT XXVIII.

DE STATV ANIMORVM  
postmortem, dé que resurrectione  
mortuorum.

## I.

*Animas neg, cum corporibus interire, neque solutas cor-  
poribus dormire, aut extra cœlum & tartarum  
quiescere, neg, etiam in igne purga-  
torio torqueri.*

Credimus, Animas nostras neque cum corpore in-  
terire: neque solutas corporibus dormire: aut vigilantes  
extra cœlū & extra tartarum, certis in locis abditis quie-  
scere: neque etiam in igne purgatorio torqueri: sed extra  
corpus etiam, omnium hominum animas viuere, intelli-  
gere ac velle: piorum autem in cœlo cum Christo regna-  
re, impiorum verò in inferno cum diabolis cruciari: de  
*Luc. 16. 9.* illis dicente Domino, Cùm homines pij & misericordes  
deficiunt, hoc est, decedunt ex hac vita, eos, id est, eorum  
animas, recipi in æterna tabernacula: & alibi docente,  
*Luc. 23. 43* Eas secum esse in paradyso: de istis verò exemplo Epulo-  
*Luc. 16. 23.* nis proposito, eas in infernum, id est, in locum æternis  
*Acto. 1. 25.* ignibus destinatum abire, (sicut de Iuda etiam legimus:) ibique cruciari.

## II.

*Diuersa esse loca, ubi fidelium, & ubi infidelium anima post mortem corporum degunt.*

Cum verò tam diuersa sit conditio animarum fidelium & infidelium: credimus, diuersa etiam esse loca, in quæ migrant: æterna videlicet tabernacula, seu cœlum, paradisumque pijs destinatum: & tartarum seu infernum impijs præparatum: quando vno etiam in loco lucem immensam statuunt sacræ literæ, in altero verò maximas tenebras, quas Christus vocat tenebras exteriores: & quādo idem Dominus ait, sevelle, ut vbi ipse est, ibi sint & credentes in se: apertè significans, eo in loco, vbi ipse iam est suo corpore & anima, esse etiam & futuros fideles: primùm quidē animis, deinde etiam tandem suo tempore corporibus: infideles autē neutro, & nunquam: vt summa esse impietatem iudicemus, dicere, cœlum esse ubique, cum hoc impijs nusquam, pijs autem solis passim in sacris literis, tanquam propria & æterna sedes, asligetur: necesse verò sit, certo locorum spatio, tūm corpora, etiam post resurrectionē circumscribi: tum animas iam definitiue saltem, vt loquuntur, contineri.

## III.

*Finem huius mundi certò futurum, omniaq; innouatum iri, licet tempus ipsum ignoretur.*

Etsi verò, quando futurus sit finis seculi huius, à nobis ignoratur, vt nesciri etiam possit: credimus tamen, omnino futurum: tūncque immutatum iri non solùm terram, sed etiam cœlos: futurūmque cœlum nouum, & terram nouam: mortuósq; omnes, etiam impios, Christo pervocem & tubam Archangeli, ad iudicium vniuersitatis. Matt. 24.  
Act. 1. 7.  
Ies. 24. 23.  
& 65. 17.  
& 66. 22.  
P. 102. 27.

Dan. 12. 2. vos vocante, resurrecturos: ad quarum rerum certitudi-  
 Mala. 4. 1. nē pertinet, quod Dominus Iesus cum Ierosolymæ deso-  
 2 Pet. 3. 13. lationem prædixisset, statim etiam de hisce rebus sermo-  
 Apoc. 21. 1. nem instituit: ut nimis nos ex ijs, quæ vidimus Iero-  
 Iudea 14. 15. solymæ contigisse, ea etiam certò futura, credamus, quæ  
 Matt. 24. define seculi simul prædixit.  
 LUG. 21. 5.

¶ 6.

I V.

*Omnes tandem homines mortuos viuificatum iri, &  
 resurrectores è sepulcris.*

I Cor. 15. 22 Credimus itaque, sicut per Adamum omnes mori-  
 tur, sic per Christum omnes, i m p i o s etiam quoad corpus,  
 esse viuificandos, anima cuiusq; suum resumente corpus:  
 quanquam alios ad æternam felicitatem, alios ad damnationem  
 sempiternam resurrecturos, confitemur: dicente  
 Ioh. 5. 29. Christo, Et prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem  
 vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudi-  
 cij: vnde etiam ordo resurrectionis confirmatur, quem  
 I Thes. 4. Apostolus tradit, dicendo, Eos primùm resurrectos,  
 qui sunt Christi, deinde reliquos.

V.

*Non noua corpora creatum iri animis nostris, sed eadem  
 plane, quæ ceciderunt, resurrectura.*

Credimus autem, non nouum cuiq; animo corpus  
 formatum iri, sed eadem singulorum, quoad substantia,  
 quæ ceciderant, resurrectura, licet certis qualitatibus di-  
 1 Cor. 15. 36 uersa: docente Apostolo, de iisdem piorum corporibus,  
 & 42. &c. exemplo eiusdem sementis, alia seminari, & alia resurge-  
 re: seminari corruptioni obnoxia, suscitari incorrupta, &  
 quæ sequuntur: & Ioho de sua spe (iuxta versionem vul-  
 gatam) sic testificante, Scio quod Redemptor meus vivit,  
 & in no-

& in nouissimo die de terra surrecturus sum : & in carne mea video Deum Saluatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & non aliis, & oculi mei conspecturi sunt. Nostris enim corporeis oculis CHRISTVM visuri sumus in nubibus ad nos suo corpore redeuntem: & in cœlo etiam regnantem.

## VI.

*Exemplo corporum nostrorum post resurrectionem monstrari,  
Christi corpus non esse ubique.*

Cùm verò Apostolus dicat, Christum corpora nostra humilia transformaturum, vt conformia fiant corpori ipsius glorio: credimus, si corpus Christi propter gloriam, quam à resurrectione accepit, accepit etiam, vt sua substantia sit vbiq;: sic nostra quoq; propter eandem gloriam ubique futura esse: quod cum futurum non sit: neque etiā credimus, corpus Christi, vt gloria plenum sit & maiestatis, ubique iam esse sua substantia, finitum cum sit ipsum, & gloria eius finita: præsertim cum etiam dixerit, se velle, vt vbi ipse est, nos quoque ibi simus, nos Ioh.17.24. autem futuri non simus ubique corporibus nostris.

## VII.

*Errores.*

Damnamus impia deliriatum philosophorum illorum, qui mentem humanam mortalem esse docuerunt: tūm illorum hæreticorum, qui animas omnium hominū à corpore separatas in certis abditis locis aut dormire, hoc est, omni sensu & mentis operatione priuatas esse: aut vigilare quidem, sed quiescere, donec resumant corpora, ac tūm demum vel in cœlum admittendas esse, vel in infernum detrudendas, putarunt: nec non &

cos,

cos, qui multorum piorum animos in purgatorio quodam igne purgari à reliquijs peccatorum, & poenas dare temporales, somniarunt. Improbamus & illos, qui non distinguunt cœlum, vbi pij, ab inferno & tartaro, vbi impij futuri esse leguntur: sed discrimen vtrorūmque inequantum constituunt, qnòd alij beati fiunt, alij infelices, quanquam eodem in loco sint omnes. Sed neque eos probare possumus, qui, si non certum diem & horam, certum tamen tempus, mensem vel annum aiunt definiti & scire posse: quo venturus sit Dominus, finemque huic seculo impositurus: cum tamen Christus dixerit,

Acto. 1. 7.

2 Pet. 3. 3.

6.

Non est vestrum, nosse tempora. Exsecramur vero illos, de quibus & Petrus, illusores: qui mundum perpetuò sic mansurum sentiunt, omnemque futuram vitam negant atquerident. Damnamus etiam omnes, qui resurrectionem demortuorum negant: nec non & illos, qui, non hæc eadem corpora, sed alia noua nos habituros, somniarunt. Illos item damnamus, qui docuerunt, corpora post resurrectionem futura ita spiritualia: ut instar Spiritus & aëris, nec videri, nec palpari queant: quale etiam Christo post resurrectionem nonnulli affinxerunt corpus: & alij etiam in naturam diuinam quammutatum esse, fingunt, impudenterque mentiuntur, ita ut iam amplius dici non possit esse creatura.

CAPVT

## CAPVT XXIX.

DE ILLVSTRI ADVENTV  
Domini Iesu, ad iudicandum vi-  
uos & mortuos.

## I.

*Facta ad aduentum Domini Iesu è caelo, mortuorum re-  
surrectione, & viuorum immutatione, Christum mox sese  
omnibus visendum in nubibus exhibitum:  
eig̃ obuiam ituros fideles omnes  
in aérem.*

Credimus, facta, ad aduentum Domini Iesv,  
mortuorum resurrectione per ministerium Angelorum:  
qui tūm supererunt viui, eos quidem non morituros, sed  
tamen in eorum, qui resurrexerunt, conditionem actu-  
tum immutatum iri: ac tunc Christum, iam è coelo ad nu-  
bes vsque, vt inde omnes iudicet, déque omnibus ferat  
sententiam, reuersum, sese omnibus hominibus conspi-  
ciendum exhibitum esse: ei vero, Angelis suis stipato,  
& in sua maiestate ac gloria apparenti, pios omnes obuiā  
ituros, è terra in coelum vsque nubium trāslatos: quem-  
admodum & Christus ipse, & Apostoli docuerunt, scri-  
ptūmque reliquerunt

*1 Thes. 5. 10  
&c.*

*Matt. 24.  
3. & 25. 31*

## II.

*Christum visibiliter redditum è loco ad locum: eoque  
corpo visibili, locali, finito.*

Credimus itaque, Christum ita redditum visibili-  
ter, sicut etiam spectantibus Apostolis è terra in coelum  
prius ascendit: & ex illo quidem coelo redditum, ubi iam

D d

est: ac proinde quod à nubibus, in quas descendet, & à terra procul distat: & ita etiam suo naturali corpore descensurum, credimus: ut illud necesse sit, locale esse atque finitum, ac proinde non ubique existens: quando tales etiam descensus simplicibus populis à Spiritu sancto describitur, quem non nisi mutatione loci fieri posse, demonstrat.

## III.

*Reprobos infideles non peruenturos usq; ad Christum, in  
nubibus sedentem: sed in terra manentes sen-  
tentiam Iudicis audituros.*

Cùm verò Scriptura de solis pijs pronuntiet, eos raptum iri in nubes, & obuiā ituros Christo in aëra? credimus, impios ad Christum usque non peruenturos, sed sub pedibus eius in terra manentes, sententiam Iudicis attidituros, ite maledisti in ignem aëternum, sanctis omnibus qui in aëre cum Christo erunt, sententiam Iudicis approbantibus, iuxta Apostoli sententiam, sanctos iudicatores mundum atque Angelos.

## IV.

*Quibusam de causis illud indicium uniuersale  
institutum sit.*

Credimus verò, duabus potissimum de causis iudicium illud, in quo Christus omnibus conspicuus omnies iudicabit, institutum fuisse: prima quidem est, ut quæ nunc abdita sunt hominibus, tam innocentia, fides, bonaq; conscientia piorum, quam hypocrisis, sceleraque impiorum, roti orbi patetiant: & inde etiam iudicia Dei quam iusta semper fuerint, ad extremum usque luculentiter appareat. Vnde & dies ille, dies reuelationis ab Apo-

stolo

stolo appellatur. Altera causa est, vt, quæ promissa fu-  
erat tam bonis bonorum, quam malis malorum operum  
merces, tunc plena cuique reddatur: dicente Apostolo,  
Omnes nos manifestari oportet coram tribunalii Christi, <sup>2 Cor. 5. 10</sup>  
vt reportet unus quisque, prout gesit in corpore, siue bo-  
num, siue malum: Vnde & ab eodem Apostolo iusti iu- <sup>Roma. 2. 5.</sup>  
dicij dies vocatur.

## V.

Vitam eternam, qua electi donabuntur, mercedem vocari  
& esse: sed totam gratuitam, nobisq; minimè,  
nisi propter Christum, de-  
bitam.

Etsi enim, quod electi accepturi sunt, merum Dei  
donum est, solius Christi meritis partum: mercedem ta-  
men & esse, & verè nominari, non dubitamus: cum Do-  
minus Iesu eam sic appellare dignatus sit, mercedem ni-  
mirum gratuitam: quando opera etiam ipsa piorum bo-  
na, cau[er]que omnes, vnde proficiuntur, dona sunt Dei  
gratuita: gratuita electio: gratuita redemptio: gratuita  
vocatio, fides, iustificatio, regeneratio, peccatorum re-  
missio, defectuum denique ac delictorum, quibus ipsa  
bona opera nostra infecta sunt, gratuita condonatio, &  
contrà, perfectæ obedientiæ Christi, qua nostra imperfe-  
cta exornatur, Deoq; fit gratissima, gratuita imputatio:  
ac proinde, si propriè loqui velimus, mercedem esse, mi-  
nimè propter opera nostra in se considerata, sed tantum  
propter imputata merita Christi, nobis debitam.

## V.I.

Finito iudicio, confessim pios in celo futuros cum Christo,  
impios autem in inferno cum diabolo  
& Angelis eius.

Credimus porro, post illud iudicium confessim  
pios in cœlum secuturos Christum, impios vero cum  
diabolis detrusum iri in infernum, dicente illis Christo,  
Venite benedicti Patris mei, his autem, Ite maledicti im  
gnem aeternum.

## VII.

*Diem illum p̄js iucundissimum futurum, eog. expe  
tendum: imp̄js tristissimum, eog. illis esse  
solo etiam auditu intole  
rabilem.*

Ita credimus, illum ultimum diem, ijs, qui Christo  
insiti sunt, futurum omnium felicissimum ac iucundissi  
mum, ac proinde ab illis amari atque expeti, & amandū  
<sup>2 Tim. 4,8</sup> nobis esse atque expertendum: imp̄js autem omnium in  
felicissimum ac tristissimum: ac proinde mirum non es  
se, cur diem illum oderint, mentionēaque illius ferre  
non possint.

## VIII.

*Errores.*

Dominamus, si quis neget Christum veræ & reapse in  
suo humano corpore descendensurum esse è cœlo in nubes,  
& inde in cœlum cum electis redditurum, sed sine vila  
loci mutatione, per apparentiam duntaxat quan  
dam, ut vocant, ac disparitionem, totum hoc futurum,  
<sup>Actor. 1,11.</sup> contendat: contradicentibus Angelis ad Apostolos, Si  
cū vidistis eum ascendentem in cœlum, sic veniet. Im  
probamus & illos, qui docent, opera pietatis in se consi  
derata, veram esse causam, propter quam datur vita aeterna.  
<sup>Rom. 6,23</sup> Neque etiam  
proba-

probamus sententiam Chiliaistarum de mille annis: quibus post iudicium Christus versaturus sit in hoc mundo cum suis electis: illaque in delicijs carnis, sed honestis, viatori, & liberos adhuc, sed sanctos, procreatui sint, ac tum demum in cœlum transferendi. Damnatus verò & exsecramur errorem eorum, qui contendunt, Ignem, in quem mittentur impij, tandem aliquando extinctum iri: ita ut omnes etiam diaboli feliciter vistuti sint in regno Dei, contra manifesta Christi verba, Itc in ignem <sup>Matt. 25.</sup> aeternum.

<sup>¶</sup> 10.

## CAPVT XXX.

## DE VITA AETERNA.

## I.

*Vita aeterna donatum iri omnes, qui bona operibus testificati fuerint, se verè Christo insitos fuisse, & in Christum credidisse.*

Credimus igitur ad extremum vitam aeternam, id est, plenam & perfectam aeternæ vitæ possessionem donatum iri in die illo ultimo omnibus: qui per Spiritum sanctum verè insiti fuisse Christo, eoq; & credidisse in Deum Patrem, in Filium eius Iesum Christum, & in Spiritum sanctum, membraque viua Ecclesię sancta fuisse, communionēque cum sanctis omnibus habuisse, & consequenti remissionem peccatorum fuisse, ex manifestis veræ fidei & pietatis operibus, coram omnibus angelis & hominibus palam declarati, luculentissimè demonstrati, & ex sententia iudicis Christi pronuntiati fuerint: hoc ipsum docente Domino, qui ait, se dicturum his, qui fuc-

Matt. 25.  
34. rint à dextris, Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, vobis paratum à constitutione mundi : Esuitui enim, & dedistis mihi manducare, &c.

## II.

*Confirmatio superioris sententia: & vitam æternam dari non propriè propter opera nostra, sed propter Christum, in quo gratis electi, benedicti, & filii Dei effecti sumus.*

Eph. 1.3. His enim verbis declarasse nobis videtur Dominus opera nostra bona, esse nostri in Christo electionis, benedictionis, filiationis, eoque iuris hæreditarij testimoniaz causam autem, cur simus vitam æternam, cælestis quæ regni possessionem consecuturi, esse, partim, quia iam ante mundi constitutionem, id est, antequam quidquam boni egisset us, regnum illud gratis præparatum nobis fuit in Christo: partim, quia fuimus benedicti à Patre, nempe, omni benedictione spirituali in Christo, eoque per gratiam vocati, iustificati, remissionem peccatorum consecuti, sanctificati: denique, quia in Filios Dei in eodem Christo adoptati, pérque Spiritum eius renati, eoque & cohæredes regni illius effecti sumus: id quod illo verbo κληρονόμοις Cate, id est, iure hæreditatis, tanquam filij, possidete, manifestè significauit. Quod igitur operæ pietatis commemoraturus sit Dominus, hoc ideo faciatur eum, non dubitamus: ut ex illis toti orbi paterfaciat, nos verè fuisse benedictos, electos, iustos, filios DEI, quibus hæritas debebatur: dicente etiam apostolo, Quod si filij, & hæredes: filios autem nos esse Dei, declaratur regeneratione: regeneratio vero

regenerationis effectis, quæ opera fidei & pietatis appellantur.

## III.

*Sicut vita piorum futura est aeterna: sic etiam impiorum pœnas & ignem futurum aeternum.*

Sicut verò credimus, filios Dei vitam consecuturos aeternam: sicut etiam confitemur, hypocritas, impiosque omnes abituros in ignem, nunquam extingendum, ibique in aeternum cruciandos: Christo aperite dicturo, *Mat. 25. 43*. Ite in ignem aeternum.

## IV.

*Quam felix futura sit illa aeterna vita, nec dici, nec cogitari posse.*

Quid autem, & qualis sit ista vita, quantaque illa felicitas, quæ nomine regni cœlestis significatur, fatemur cum Apostolo ingenuè, nec oculum vidisse, nec aurem audiuisse, nec in cor hominis ascendisse: rem enim esse maiorem & præstantiorem, quam ut ab humano intellectu comprehendendi queat: tantaque felicitatis, qua nihil felicius desiderari à nobis possit. Itaque simpliciter credimus, nos, qui sumus Christi, qui ab eius Spiritu regimur, qui ab eius verbo pendemus, qui denique totam salutis fiduciam in eo collocamus: futuros omnes felicissimos: fulsuros omnes, sicut solem in conspe. *Matth. 13.* & tu DEI: visuros omnes Deum, sicuti est: victuros omnes vitam cœlestem atque diuinam cum C H R I S T O *1 Cor. 13.* & cum Angelis eius: liberatos omni peccato, omni miseria, omni malo: sine ullo amplius dolore, sine metu, fine *Phil. 1. 23.*

*sine ullius rei indigentia aut desiderio: quoniam Deus  
erit omnia in omnibus: & nos videbimus faciem eius: &  
in ea vrbe nox vltra non erit, neque opus ei erit lu-  
cerna, neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus il-*

*lustrabit nos: & regnabimus in secula seculorum  
cum Christo Iesu, capite, Sponso, Seruatore,  
Domino nostro: cui laus, honor, &  
gloria in sempiternum,  
Amen.*

EIVS.



E I V S D E M Z A N C H I I ,  
 in suam ipsius Confessionem,  
 Obseruationes.



EC paucæ, nec leues sunt cauſſæ: quibus adductus fui, vt hasce obſeruationes confessioni meæ ſeorsum addere, quam ali- quid in ea immutare maluerim. Pauci non ſunt, quibus notum eſt: qua occaſio- ne, quo tempore, quorum iuſſu, quo- rum nomine, & in quos fines hanc ego, inuitus ſanè at- que coactus, doctrinæ Christianæ ſumma conſcripſe- rim. Etiā verò nemo non videt, confessionem hanc, nun- quam ut ſperabatur, eorum nomine, quorum cauſſa con- ſcripta fuerat, editam fuiffe: qui tamen hoc factum ſit, & quibus de cauſſis factum ſit, non omnes perſpectum ha- bent: multis factum admirantibus, veras autem ipſius rei cauſſas ignorantibus. Hinc quām variæ multis ſuſpicio- nes incide: quām varia etiam tum de me, tum de ipſa confeſſione, non dicam à priuatis hominibus, ſed ab Ec- clesijs etiam ipſis iudicia fieri: quām varij denique & fi- niſtri sermones, in vulgus ſpargi potuerint: quotus quiſ- que hominum eſt, qui neſciat? Occurrentum ergo tan- dem mihi fuit, antequam moriar, ſinistris prauifque de mea doctrina, ſuſpicionibus, iudicijs, sermonibus. Id nulla meliori ratione fieri à me potuiffere iudicauit: quām ſi & confeſſionem, prout fuerat à me conſcripta, ſeorsum: Et ſeorsum etiam in illam obſeruationes, quibus ſi quæ ſint obſcura, explicentur: ſi quæ dubia, confirmen- tur, edendas curarem: & iudicium de totonegotio toti Eccleſiæ verè Catholice relinquerem. Putauit præterea,

## OBSERVATIONES.

ad falsas suspiciones ex animis hominum, si quæ sint  
conceptæ, tollendas, non parum profuturum fuisse: si  
quæ nam à doctis viris de confessione facta fuerunt iudi-  
cia: ea ex ipsorum literis, pijs omnibus nota facerem:  
Præsertim cum ex illis etiam, quasnam ob caussas, eo quo  
constitutum fuerat modo, non fuerit euulgata confessio,  
facile quisque intelligere possit.

Magnus quidam vir, in hæc ad me verba, ea de re,  
scripsit:

Quod de confessionetua scribis: ea magna cum vo-  
luptate, & à me, & à N. & alijs perfecta est: quæ & eru-  
ditissimè scripta est, & accuratissima methodo: Et, simo-  
dò quod in fine de Archiepiscopis & Hierachia addis; ex-  
cipias, mihi summopere placuit. Sed cum de via & ratio-  
ne concordiaz inter omnes nostræ confessionis Ecclesiæ  
ineundæ, cum fratribus N. N. qui hic sunt, deliberaremus;  
illi vno cōsensu, hanc & vnicam & tutissimam, & expedit-  
issimam esse censuerunt: ut iam receptæ & editæ à singu-  
larum prouinciarum Ecclesijs fidei confessiones, in v-  
nam Harmoniam componerentur, & compingeren-  
tur: quod & similimæ omnes essent quoad mīsēs & s̄c̄or̄s  
& sua à nulla Ecclesia repudiatetur. Hoc suum confi-  
lium, cùm nobis multis rationibus probassent: ad vosde  
eo scriptimus, & ad reuerendos fratres N. N. & alias no-  
bis vicinas Ecclesiæ: quibus omnibus idem illud valde  
placuit.

Hæc ex magni illius viri literis. In eadem fermè  
sententiam, non pauca, ex aliorum quoque de eadem re  
scribentium literis proferre possemus: sed cùm non sit  
necessæ, breuitatis cauilla omittimus.

Ergo ad rem.

OBSER-

## OBSERVATIO IN TOTAM

*Confessionem.*

Cùm utimur verbo damnandi, nihil aliud voluntus: quām, quæ damnatæ fuerunt ab Ecclesia Catholica hæreses: eas nobis quoque damnari: Et quæ illa non probauit, ea quoque nobis improbari: idq[ue] toti postitati, restatum nos esse velle.

## IN CAPVT I.

*Aphor. 4.*

Quòd Apocryphis in volumine Bibliorum, post libros Canonicos, locum primum tribuerimus: id fecimus adducta autoritate Ecclesiæ Græcæ & Latinæ quæ hochonore illos solos dignata semper est, vt cum Canonicis cōiungerentur. Vide loca citata ex Hyeronymo, Cypriano, concilio Laodiceno, in confessione, cap. i. Aph. 5. Deinde de libris sermo fuit, non de quibusuis scriptis: aliqui symbola oecumenica præferimus libris Apocryphis.

## IN CAPVT II. DE DEO.

*Aphor. 1.*

Etsi proprium ὑφίσταμεναι est, ὑφίσταναι εἰ τῇ γοτιᾳ: de Deo tamen loquentes, altera vti locutione, eaque etiam visitata, certis de caussis maluimus: nempe, vt cum primis aduersus Arianorum nostri temporis calumnias & sarcasmos, essentiam illam diuinam, non nisi in personis reperiri, doceremus: non igitur à nobis essentiam secundum à personis subsistente constitui, in qua porrò tres personæ subsistant: quasi quatuor in Deo ὑφίσταμεναι, à Catholica Ecclesia fingantur.

*Aphorif. 3.* De hac reali essentialium Dei proprietatum communicatione, peculiarem conscripsimus & nos tractationem, in libro cui titulus erit, De incarnatione Filii Dei: in verba ad Phil. 2. Qui cum in forma Dei esset, &c. ad quem, qui pleniorum cupit huius doctrinæ explicationem, lectorem suo tempore remittimus. Certè Dominus Iesus ab illa essentiali cognitione, qua & Paterno-uit, (hoc est, ut scholastici loquuntur, comprehendit,) Filium, & Filius Patrem: omnem planè creatam men-tem excepit: cum dixit, Nemo nouit Filium, nisi Pater: & nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare: docens quicquid cognitionis de Deo habent in sece creature, illud esse aliquo modo reuelatum: eoque scientiam esse non illam Dei essentialiem, & infinitam: sed creatitiam & infinitam.

## IN CAPVT V. DE MUNDI creatione, &c.

*Aphorif. 2.*

Cœlum beatorum, in quo iam est Dominus Iesus suo corpore, differet à terra, ac reliquis cœlis, esseque supra omnes istos aspectabiles cœlos: præter ea, quæ dicitur sunt confirmant etiam hæc pauca: Eph. 4. Christus dicitur ascendisse supra omnes cœlos: alibi legitur ascensus non supra, sed in Cœlum & esse in cœlo, considerere ad dextram Patris. Hoc igitur cœlum, & supra reliquos est, & ab illis differt. Sic Col. 3. Apostolus locum, ubi Christus est in dextra Dei Patris, distinguit à terra: Et vocat sibi sūm m̄ āvā ζείτη: m̄ āvā φροντ̄: & ubi Christus est: Et i. Thes. 4. ait, Dominum descensurum ē cœlo, nempe

nempe in has partes inferiores: piósque omnes raptum  
iri in nubibus obuiam Christo in Aëra. In sublimi ergo  
est cœlum illud, non in terra, non in Aëre: multò minus  
vbique. Descendet enim visibili corporis forma, ex alto  
cœlo, in regiones istas, vt hîc iudicentur viui, & mortui.  
Dehoc cœlo peculiariter egimus, in libris de operibus  
Dei, intra sex dies creatis. Improbamus ergo contrariam  
doctrinam: quæ, cœlum à terra: Et cœlum beatorum, à  
reliquis cœlis non distinguit, sed vbique esse contendit.

## IN CAPVT VII.

*Aphor. II.*

Inter alia quæ etiam Augustino peccatum originis  
afferentia defendant, obiecit Julianus Pelagianus, fu-  
erunt & hæc: quod aut faceret Deum autorem peccati,  
aut diabolum conditorem hominum: idque propterea,  
quod putabant Pelagiani, ab Augustino peccatum origi-  
nale, ipsam hominis substantiam constitui. Quæ omnia  
obiecta ipse diluit tomo 7. contra Iul. Pelagianum, lib. 5.  
cap. 1. hisce verbis: Nec Deo adscribimus iniuitatem,  
sed potius æquitatem, quia non iniustè tot & tantis ma-  
lis, quæ sépissimè cernimus, etiam paruulus plectitur.  
Nec diabolo conditionem hominis, sed humanæ ori-  
ginalis depravationem: nec peccato substantiam deputa-  
mus, sed in primis hominum actum: in eorum vero po-  
steritate contagium: nec paruulis conscientiam sine sci-  
entia, in quibus nec scientia est, nec conscientia: sed sci-  
uit ille quid fecerit, in quo omnes peccauerunt, & singu-  
li malum inde traxerunt, &c.

## IN CAPVT IX.

*Aphor. 5.*

Quomodo se ab hoc errore excipere possint, qui Patres veram Christi carnem comedisse negant, non videmus: quasi quia re ipsa nondum existebat in natura, propterea in certa Dei promissione non extiterit: & proinde per fidem apprehendi & comedи non potuerit. Generalis enim est, & ad omnes, & omni tempore pertinens, propositio: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis. Vita enim non communicatur, nisi illis, qui Christi carni, & per carnem spiritui, seu τῷ λόγῳ, qui est vita, fide cœu capiti membra, copulati sint.

## IN CAPVT X.

*Aphor. 3.*

Voluisse enim &c. Quod dixi de primo, secundo, tertio & quarto statu: clarius fuisset, si dixissem: qualis fuerit homo ante peccatum: qualis post peccatum: qualis sit sub gratia: & qualis futurus sit in gloria.

## IN CAPVT XI. DE CHRISO

Redemptore.

*Aphor. 6.*

Personam Christi, propriè loquendo, ex natura diuinâ immensa, ac simplicissima, & ex humana finita, quam infinitum minus est, quam punctum, respectu diuinæ, tanquam ex duabus verè ac propriè dictis partibus compo-  
*Tho. 3. p.* positam esse: cum scholasticis meritò negamus. *Q. 2. q. 4.* nam proportio finiti, ad infinitum, & creaturæ ad cre-  
torem: Confitentes interim cum veteribus Patribus, eo sensu

## OBSERVATIONES

223

sensu dici posse *oūjēlōy* compositam, quo scriptura τὸν  
λόγον, factum esse carnem: Et qui in forma Dei erat, iam  
in similitudine hominum, factum esse dicit. Hoc verò nil  
aliud est, quam quod ὑπάρχει, illa æterna, in duabus nunc  
subsistat naturis: ita ut Christus iam non minus sit verus  
homo, quam verus Deus. Huc spectat, quod ante diximus  
de simili animæ & corporis: (ex ijs enim, tanquā ex veris  
& essentialibus partibus constat persona hominis) illud  
non per omnia quadrare: probantes interim hoc simile,  
quatenus eo Athanasius & alij Patres, ad verā & hyposta-  
ticam diuersarum naturarum vniōnem demōstrandam,  
vñi sunt: tametsi non per omnia, vt etiam Iustinus in ex-  
positione fidei, & alij Patres, ingenuè fassi sunt, huic my-  
sterio congruat. Simile vestis, frequentissimum est apud  
veteres Patres: præsertim apud Athanasium, & consen-  
taneum est cum scripturis. Caro enim Christi, qua testa  
fuit Deitas, velum vocatur ab Apostolo. Heb. 10. ver. 20.  
Ac pulcherrimè hoc simili vestis, dogma de reali Idio-  
matum diuinorum, in humanam naturam effusione vel  
communicatione, funditus euertitur: quod simili ferri  
igniti, & corporis etiam animati confirmare conantur  
nonnulli, quanquam minimè possunt.

## Aphor. 7.

*ib*  
Corpus, & animam duo esse *ὑφίσταμενα*, diximus:  
Ethoc liquere in Adamo, cuius corpus primū per se sub-  
sistit: deinde anima substantia etiam per se subsistens, ad-  
dita illi fuit. Idem etiam liquet in separatione animæ à  
corpore: quorū vtrunq; seorsum subsistit. Cæterū m̄ cum  
sint partes hominis essentiales: singulæ quidem sunt *ὑφί-  
σταμενα*, sed imperfecta: coniunctæ autem, vnum per-  
fectum

fectum ὑφιστάμενον, hoc est, personam hominis, consi-  
tuunt. In Christo autem non ita se res habet, quoad na-  
turam diuinam & humanam. Natura enim humana nec  
ante illo modo, nec post assumptionem, per se substituit,  
aut subsistit: sed in VERBO tantum: VERBUM autem,  
per se & perfectissimum semper fuit ὑφιστάμενον.

*Aphorif. 10.*

Simile solis, non quidem tam benè quadrat, atque  
simile gloriæ, qua nostra corpora sunt afficienda: quia  
hæc gloria, ignominiam nostræ carnis prorsus tollit, sed  
sol lumen candelæ tantum obfuscat, non autem penitus  
extinguit: Interim tamen perspicue monstrat hoc solis  
simile, quod volumus: nimirum reali illius cum aëre  
communicatione, lumen candelæ prorsus inutile reddi:  
eoque ceu extingui, & nullum fieri: At verò essentialies  
carnis proprietates, nunquam propter vnonem hypo-  
staticam, aut penitus tolli, aut infirmari, ita ut nulli sint  
vsui, constare: quod tamen vitari non posset, si natura  
humana realiter diuina omnipotentia participaret: ita  
ut ea posset quæcunque Deus potest. Nihil enim frustra  
aut sumsit, aut retinuit & retinet λόγον, Filius Dei. Er-  
go simili solis haud inefficaciter confirmatur, quod si-  
mili gloriæ, quæ omnem à nostris corporibus ignomi-  
niam tollit, probatum est.

*Aphorif. 11.*

Id totus Christus esse aut agere, &c.

Hic in primo membro, ad nomen Christi, additum  
est, Filius hominis: in altero, Filius Dei Deus: ut signifi-  
caremus, & diuina de Christo homine: & humana de  
Christo Deo, prædicari: quando ipsa Christi persona  
vrbiq;

utrobique significatur. Idem enim Christus, una eademque persona, totus est Deus, totusque homo, licet non totum (ut loquitur Damascenus:) quippe qui in duabus distinctis naturis, unus & idem subsistit. Hoc ita explicat Damascenus, lib. 3. cap. 7. ὅλος μὲν γὰρ εἰς θεός τέ λεγεῖται, ἐχόλον δὲ Ἰησός, καὶ γάρ μόνον Ἰησός, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος. Καὶ ὅλος ἄνθρωπος τέ λεγεῖται, ἐχόλον δὲ ἄνθρωπος. καὶ μόνον γάρ ἄνθρωπος, ἀλλὰ καὶ θεός. τὸ μὲν γάρ ὄλον, Φύσεως εἰς παραγωγικὸν: τὸ ὅλον δὲ ὑποστοίσεως. ὥστε τὸ μὲν ἄλλο, Φύσεως: τὸ ἄλλο δὲ, ὑποστοίσεως. ὄλος dicitur contra Nestorium: ἐχόλον δὲ contra Eutychen.

Quod verò diximus de actionibus, siue secundum humanam naturam, siue secundum diuinam editis, quòd castamen unus & idem totusq; Christus præstet: id inde pendet, quia actiones sunt (ut loquuntur scholæ) suppositionum, seu ὁφισμάτων: Diuersitas autem actionum, ex diuersitate naturarum, seu formarum, per quas fiunt, proficiscitur. Cùm igitur in Christo sint duæ naturæ, una autem persona: inde fit, ut unus tantummodo etiam sit ἐνέργεια, duo ἐνεργητικά, καὶ δύο ἐνέργειαι, ut idem Damasc. explicat, lib. 3. cap. 15. Θεανδεικοὶ verò vocant τὴν ἐνέργειαν: non tam quòd sint ab eodem agente, qui est Ἰησός καὶ ἄνθρος: quàm quòd ad hæc salutis nostræ opera, non sola Ucitas, sed humanitas quoque concurrat: suas quæcumque actiones, cum alterius actionibus, coniungens. Atque hæc est prima & princeps unionis hypostaticæ vis: quòd nimirum, hac, duæ naturæ, earumque proprietates & actiones, in una eademque persona, ita vniuntur: ut ille, qui propter formam Dei, in qua substituit ab æterno, Deus est, & propter formam serui, in qua nunc subsistit, homo est: idem & totus Deus, totus sit homo: & totus homo, totus sit Deus: cōque & totus sit omnipotens, ac ubique præsens, & totus impotens, & certo loco existens: idemque totus

mortuus sit, & totus mortem moriendo destruxerit: Et per consequens denique, quod ad salutem nobis compa- randam, communicandam, & applicandam, non sola di- uina operetur natura, sed etiam humana cooperetur.

Secunda vis ex prima sequitur: quod videlicet hu- mana natura, ad omnia beneficia in nos conferenda, Dei- tatis organum, *καὶ ὑπόστασιν* vnitum, eoque efficacissi- mum, facta sit.

Tertia, quod propter hanc vniōnēm, cō dignitatē cuecta sit hæc massa: vt actionem nostræ adorationis, fi- dei, iuocationis, dilectionis, in solam Filij Deitatem in- tendere non possimus, aut debeamus: vt in Confessione explicatur. Filium enim ipsum, id est, personam adorare iubemur, Heb. 1. Et in ipsum credere.

Quarta vis est, quod quia humana hæc natura, *καὶ ὑπόστασιν* vnta est diuiuæ: ideò doña DEI, sine mensu- ra, in eam collata sint, vt explicatur aphorismo se- quenti.

### Aphor. 12.

Tametsi cūm hanc Confessionem conscriberem, omnia quæ ad hunc articulū de persona Christi perē int, complexus fuisse, mihi visus sum: placuit tamen, maio- ris explicationis caussa, hæc quoque, quæ sequuntur, alijs paulò ante dictis adijcere.

1. Vna tantum modò est & semper fuit C H R I S T I persona.

Vnus enim tantummodò Filius Dei vnigenitus: vonus idemque Christus.

2. Hæc persona, ab omni æternitate, per naturalem ex Patre generationem, propria V E R B I est: in tempore au- tem,

tem, humanæ assumptæ naturæ, per gratiam vniōnis hypostaticæ, communis facta est.

In λόγῳ enim distinguenda est σοία, quam cum Patre & Spiritu sancto communem, immo eandem habet: à modo subsistendi proprio, quo sit, ut certa sit ὑπόστασις seu Persona, à Patre & Spiritu sancto distincta: eoque propria Filij, seu τῇ λόγῳ ὑπόστασις, personaque appelletur & sit.

Hæc verò æterna hypostasis, τῇ λόγῳ propria pertinat: facta est, ut diximus, per gratiam vniōnis, humanæ assumptæ naturæ cum diuina communis: nempe, ut λόγος non minus in hac humana, quam in illa diuina μορφῇ realiter subsistat: Et ea re non minus sit verus & perfectus homo, quam verus & perfectus D E V S: saluis interim & distinctis manentibus naturis, proprietatibus, actionibus.

3. In illius itaque immensæ, simplicissimæ & perfectissimæ personæ vnitatem, natura humana, id est, mala illa ex anima rationali, & ex carne humana constans, finita, composita, multorum indiga, assumta est.

Quomodo verò? non ita, ut v. g. aut illam infinitam personam, intra suæ finitæ substantiæ terminos incluserit: aut in infinitam illius amplitudinem, ipsa cœcōextensa, penetrarit. ac quod de hac proprietate diximus: idem de reliquis sentiendum & credendum omnino est: quia omnes manent immutabiles, & impermeabiles. Quomodo igitur humana assumta est? Ita quidem in vnitatem eiusdem personæ: ut tamen non sit facta ipsa persona: sed in persona potius existat, à persona gestetur, sustentetur, totaque ab illa semper pendat.

Hæc enim ēnūōis naturarum x̄ad' īm̄ēōis, seu ēis īvōī  
m̄ r̄is īm̄ēōis: facta est ἀργέπ̄is. ἀουγχήτως. ἀδιαργέτως.

4. Ex quibus etiam sequitur, naturam assumtam, non  
esse propriè loquendo, partem huius personæ, ut supra di-  
ctum est.

Sicut enim ex vnione duarum naturarum, non  
est conflata tertia quædam natura: sic neque ex assu-  
tione naturæ humanae in vnitatem personæ diuinæ, seu  
noua persona composita est, quæ propria sit Christi, & à  
persona τὸ λόγον, quæ est ipse λόγος, differat. Eadem e-  
nim omnino est: nec à seipsa differt, nisi in hoc, quod  
quæ in sola μορφῇ τὸ θεός subsistebat, & tātummodò Deus  
erat: nunc in forma etiam serui subsistit, & homo quoque  
est: & ante erat seu rex nudus, nunc verò carne nostra,  
tanquam ueste purpurea vestitus: ita ut hancob caussam  
non immerito à Patribus persona iam (quodam modo)  
composita esse dicatur. Sed hoc, præteralia, discrimen  
obseruato: quod vestis, ad essentiam Regis non pertinet:  
humana autem natura in Christo, ita se habet, ut iam,  
quid sit Christus, definiri sine illa minimè queat.

5. Quæ cauſa est, quamobrem, natura humana assu-  
ta, seu pars personæ Christi, reputanda & agnoscenda sit:  
quia in ictum in illius personæ vnitatem ita assumta est,  
ut sicut λόγος cum hac carne humana, homo dicitur &  
est: sic etiam caro hæc in λόγῳ & cum λόγῳ Deo, Deus  
appelletur & sit, ut Athanasius, Gregor. Nazianzenus, Da-  
masenus, & alij Patres, è sacris literis docent: est. n. illa  
Deus: non natura, sed ὑπόστασις: quo etiam sensu, eadem  
caro, omnipotens est, & ubique præsens. Vnde etiam fit,  
ut qui honos debetur λόγῳ per se: idem etiam carni in λό-  
γῳ & propter λόγον, deferendus sit: quia una eadēque  
est utriusque naturæ īm̄ēōis.

6. Adde

6. Adde præterea, maioris explicationis cauſa, quod λόγος, licet vbi cunque ipſe eſt, (eſt autem vbi que) ibi etiam idem ſit non ſolū Deus, ſed etiam homo, idque propter ea, quod vbi que naturam humanam ſibi naſcitur vnitam habet: non tamen illi natura, vbi cunque ipſe eſt, ſed tantum modò, vbi cunque illa exiſtit, vnde ſe p̄ebet: nempe ita, vt illa ab hac ſuſtentetur, geſtetur, agatur.

Quomodo enim, vbi non exiſtit: ibi dici queat ſuſtentari? Pedes ab anima ſuſtentantur, non vbi cunque ipsa eſt, puta in capite: ſed vbi duntaxat ipſi exiſtunt. Cū caro eſſet in utero virginis: λόγος certè illi naſcitur vnitus, eam non ſuſtentabat extra uterum Mariæ: ſed in utero tantum talis fuit ei vnde ſuſtinet, quæ illam ibi, & non alibi ſuſtentaret: id quod de tota porro Christi vita, cū in varijs verſaretur locis, dicendum eſt. Post mortem quoque corpori demortuo, & ſepulco vnde ſuſtinet, illud in ſe ſuſtentans: ſed vbinam locorum eſt non certè in cœlo, vbi non erat: ſed tantum modò in ſepulcro: quemadmodum contra anima etiam ſeparata à corpore, non in ſepulcro, ſed extra ſepulcrum, illam itidem ſuſtentans, hypostasis fuit: & nunc in cœlo, non in terra, multo minus vbi que, vtrunq; ſimul, animam & corpus ſuſtentat.

7. Neque ex hac doctrina ſequitur, ſolui vniōne perſonalem, & effici, vt non tota perſona ſit vnde ſuſtinet carni, ſed tantum modò ex parte. Ratio eſt: quia perſona hæc λόγος, ſicut eſt infinita, ſic etiam eſt ſimpliciſſima: ac proinde & tota eſt vnde ſuſtinet ipſi carni, vbi cunque hæc exiſtit: Et tota etiam alibi, vbi caro non exiſtit, vnde ſuſtinet eſt, exiſtens in forma Dei. Certè anima, vt ante dictum eſt, tota eſt vnde ſuſtinet capiti, illud viuificans, ſuſtentans: vbinam vero non in omni parte corporis, ſed in ea tantum, vbi eſt

caput ipsum: Et tota etiam extra caput, *immaterialis* est pedibus, illos etiam sustentans: non quidem ubi caput, sed ubi pedes ipsi sunt. Nam igitur soluitur unio, quam habet anima cum capite: quia etiam extra caput, in pedibus est tota?

8. Ad extremum, quo omnia denuò, quæ de vniōne personali disputantur, clarius explicitur, hæc addo.

Anima, *immaterialis* est oculis: qualibus verò? quales sunt: nempe tanquam organis ad videndum, non autem ad audiendum, accommodatis: Contra auribus ad audiendum, non ad videndum. Sic λόγος, naturæ humanae, non ad mortem destruendam, quod proprium est λόγος: sed ad mortem perpetiendam, quod proprium est carnis, *immaterialis* fuit.

Denique *immaterialis* illi est, non ad hoc, ut sit vel id, vel tale, quod & quale est VERBUM: sed id & tale, quod & cuiusmodi ipsa est, vel per naturam, vel per gratiam illi realiter inditam, quam vocant infusam & habitualem. Gratiâ enim vniōnis est hæc, quod sit in hanc vnitatem personæ assumta.

Eadem doctrina nostra confirmatur ex ijs quæ de officio Mediatoris, hoc est, de fine incarnationis, tūm in sacris literis, tūm à Patribus traduntur.

Fines multi huius incarnationis obseruantur à Patribus in scripturis, & peculiariter ab Anselmo, in libro, cui titulus est, CVR DAVS HOMO: sed præcipius & immediatus fuit, non simpliciter ut nos λόγος Deus seruaret, (potuit enim hoc suâ omnipotētia, & tolo iussu sine carnis assumptione perficere:) sed ut nostali modo, hoc est, per propriam suæ personæ mortem à morte seruaret: Et per propriam resurrectionem, nos ad vitam reuocaret: iuxta illud Apostoli ad Hebraeos. 2. vers. 14. Ut per mortem

mortem destrueret eum, qui &c. Et 2 ad Tim. 1,10. Qui & mortem aboleuit, & vitam in lucem produxit &c. Quibus succinit vetus Ecclesia, dicendo: Qui mortem, moriendo destruxit: & vitam, resurgendo reparauit. Finem hunc Leo primus expressit, dicendo: Filium Dei sumissem carnem nostram: vt mori posset ex vno, & mori non posset ex altero. Suscepit igitur carnem in hunc præcipuum finem: vt talis salutis nostræ perficiendæ cauſa, per illam carnem ea ageret, quæ per ſe in forma Dei, præſtare non poterat: veluti eſt pati & mori. Occidere enim mortem ſimpliciter, poterat ipſe per ſe: ſed occidere per mortem, ſine assumta carne mortali, in unitatem ſuæ personæ, in ſe ipſo non poterat. Non igitur assumit carnem λόγον, vt quæ ipſius propria erant actiones, eas per carnem ederet: ſed vt ἀπέλεσμα, hoc eſt, salutem nostram, tali modo, actionibus nimirum ſuis proprijs, cum actionibus carnis nostræ coniunctis, operaretur.

## IN CAPVT XII.

*Aphorif. 8.*

De hac vera & essentiali vniōne nostri, noſtræque carnis, cum carne Christi, insignis locus eſt apud Cyrilum in Ioh. lib. 10. cap. 13. Col. 500.

Non negamus, recta nos fide, caritatéque sincera Christo ſpiritu aliter coniungi: ſed nullam nobis coniunctionis rationem, ſecundum carnē cum illo eſt, id profecto per negamus: idq; à diuinis scripturis omnino alienū dicimus. Quis enim dubitauit, Christum etiam ſic vietem eſſe, nos vero palmites, qui vitam inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem: Quia omnes vnum corpus sumus cum C H R I S T O. Quia etſi multi ſumus: vnum tamen in eo ſumus: omnes enim vno pane parti- cipamus.

cipamus. An fortassis putat ignotam nobis mysticę benedictionis virtutem esse? Quæ cùm in nobis fiat: nonne corporaliter quoque facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare? Cur enim membrum fidelium, membra Christi sunt? Nescitis, inquit, quia membra vestra, membra sunt Christi? Membra igitur Christi, meretricis membra faciā? absit. Saluator etiam: Qui manducat carnem meam, ait, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo. Vnde considerandum est, non habitudine solum, quæ per caritatem intelligitur, Christum in nobis esse: verūm etiam, & participatione naturali. Nam quemadmodum, si quis signe liquefactam ceram, alij ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, ut unum quid ex utrisque factum videatur: sic communicatione corporis & sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis, ad incorruptibilitatē & vitam traduciri nisi naturalis vita corpusei coniungeretur. Non credis mihi hæc dicenti: Christo (te obsecro) fidem præbe. Amen Amen, inquit, dico vobis: nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis sanguinem eius: non habebitis vitam in vobis. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum: habet vitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Audis apertè clamantem, non habituros vitam, nisi sanguinem eius biberimus, & carnem manducauerimus. In vobis autem ipsis, dicit, id est, in corpore vestro. Vita autem, iure ipsa vita caro intelligi potest: hæc enim nos in nouissimo die suscitabit. Et quomodo dicere non grauabor. Caro vita facta vnigeniti caro, ad virtutem vitæ traducta est: non potest igitur morte superari. Propterea in nobis facta, interitum à nobis expellit. Non enim abest ab ea vnigenitus Dei

tus Dei Filius. Vnde quia vnus est cum carne sua: Ego, inquit, suscitabo eum. curigitur secundum carnem palmites nos dici pernegat? An non conuenienter dici potest, vitem humanitatem eius esse, & nos palmites propter identitatem naturæ? Eiusdem enim naturæ vitis & palmites sunt. Ita & spiritualiter & corporaliter nos palmites, & Christus vitis est. Hæc Cyrillus.

In toto hoc contextu propositum fuit Cyrillo demonstrare: Christum non solum secundum Deitatem, vt volebant aduersarij Nestoriani, sed etiam secundum carnem, esse vitem, à qua in nos tanquam palmites vita fluit: ac proinde etiam nos tanquam palmites, non solum Deitati, sed etiam humanitati, adeoque carni ipsius, esse insitos: eoque & vitam, & succum omnem spiritualem, nos non tantum à Deitate, sed etiam ab eius carne haurire. Et ratio dicitur ab unione hypostatica qua sit, vt λόγος, & caro in eius unitatem assumta, non sit nisi una persona, unus & idem Christus, una eademque vitis. Nos igitur non posse coniungi Deitati Christi, quin etiam eius carni unitiamur: nec ab illa, nisi & ab hac, nos vita haurire posse.

Vt hanc intimam & realem nostræ carnis, cum carne Christi copulationem, clare explicaret: simile ceræ attulit: non quod quadret per omnia, vt notum est, sed quod non χειλικόν, verum realem & substantialem esse nostram cum Christo συναντίαν, pulcrè demonstret. Atque hoc significat, cùm concludens sit, N O N S P I R I T U A L I T E R, sed etiam C O R P O R A L I T E R, (id est, non solum, quoad Spiritum, sed etiam quoad corpus:) Et Christum esse vitem, & nos eius esse palmites. Non igitur de modo, quo Christo copulamus, sit ne spiritualis vel corporalis: sed de rebus quæ copulantur, quod scilicet non tan-

tum animæ, seu spiritus nostri, cum spiritu & anima Christi, sed etiam caro nostra cum carne eius arctissimè coniungantur. Liquet hoc ab aduersariorum propositione, aduersus quam disputat: nimirum, quod nos CVM CHRISTO CONIVNGAMVR CARNE. Col.500.B.

Aduerbia igitur spiritualiter & corporaliter, Cyrillo non significarunt modum, quo vniuntur Christo viti: sed res quæ vniuntur, ut dictum & explicatum est. Modum autem esse ipsi etiam Cyrillo spiritualem, hoc est: per fidem nostram, pérq; Spiritum Christi, constat: quia ubique, & speciatim in 6. cap. Ioh, docet, carnem Christi, à nobis manducari fide. Ex hac autem manducazione concludit incorporationem.

## IN CAPVT XIII.

*Aphor. 7.*

Si quis hic excipiat de lege: An non in veteri Testamento, electi donabantur gratia seruandi legem: sicut & in novo donamus gratia credendi Euangelio? Respondeo. Donabantur: verum non ad auditum legis, sicut ad auditum Euangelij donamus nos fide: sed quia crediderant prius Euangelicis promissionibus de Christo: ac proinde acceperunt donum seruandi (incoatiuè tam, & ex parte tantum) legem: non quia audierant legem: sed quia crediderant in Christum venturum: ut semper obedientia legis, ex fide Christi, tanquam effigium ex causa consequatur.

## IN CAPVT XXIV.

*Aphor. 1.*

Cum diximus receptam esse significationem sacramenti, ut non verbum solum, nec elementum solum, sed clemen-

elementum simul cum verbo, vocetur sacramentum: nihil aliud voluimus, quam sicut solum verbum sine clemento seu signo, non potest dici sacramentum: sic neque signum, sine verbo. Sacramentum enim (ut in Ecclesia definiri solet) est inuisibilis gratia, visibile signum (adde) ex verbo, hoc est, ex institutione Christi ad eam rem, consecratum: hoc est, à profano vsu, ad hanc rem sacram translatum.

Sic August. T. 5. de Ciuitate Dei, lib. 10. cap. 5. Sacrificium ergo visibile, inuisibilis sacrificij sacramentum, hoc est, sacrum signum est. Et in D. de consecr. dist. 2. c. sacrificium: Sacramentum est (inquit) inuisibilis gratia, visibilis forma.

Idem verò August. Tom. 9. in Ioh. Tract. 80. ait de verbo Euangelij: Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Sacramentum igitur, secundum receptam in Ecclesia significationem, agnoscimus & agnouimus semper, esse visibile signum: Et cuiusnam rei? inuisibilis gratia. Sed unde hoc habet, ut sit talis rei signum? A verbo institutoris Christi. Tolle enim verbum: nullum fuerit sacramentum, Detrahe verbum (inquit Augustinus) & quid erit aqua, nisi aqua? Hic est sensus verborum nostrorum: non quod verbum sit sacramentum, aut propriè loquendo, pars Sacramenti, prout Sacramentū definitur visibile signum esse, inuisibilis gratia: sed quod sine verbo, elementum visibile, Sacramentum rei inuisibilis esse non possit: Cùm ideo sit visibile signum rei inuisibilis: quia ad hoc verbo Domini institutum est.

Etiam Irenæus, nulla verbī mentionē facta, (quia hoc semper supponitur) scriptum reliquit: Euchari-

stiam, hoc est, Sacramentum Eucharistiae, duabus rebus constare: terrena (hoc est, signo) & coelesti (id est resignata:) neque tamen res signata, signum est, seu sacramentum: sed quia signum esse non potest sine re signata: (cuius enim alioqui signum esset?) ideo Eucharistiae sacramentum, constare dixit & re terrena (id est, signo:) & re coelesti (hoc est, re signata.) Hæc ad eius, quod diximus de verbo & elemento, confirmationem pertinent,

### IN CAPUT XXV. DE Baptismo,

*Aphor. 3.*

De aqua constat ex Actis: vbi nihil unquam ab apostolis adiecitum fuisse aquæ, liquidò apparet. Formam aliquam baptizandi non instituit Christus, præter illam, quam habemus Matt. 28. Apostolos autem Christo simpliciter obtemperasse, extra controversiam est. Quod igitur legimus in Actis, ab Apostolis baptizatos fuisse aliquos in nomine, & in nomen Christi: illud ad formam baptismi Christianam, nihil pertinet. Iohannes quidem baptizabat in nomen Christi, ut constat, quo tamen nomine, ut Ambrosius explicat, Trinitas tacite indicatur, nempe persona uncta, hoc est, Filii, quoad assumtam naturam: persona ungens, id est, Pater: Et unctione, id est, persona Spiritus sancti. Christus tamen propriam baptismi formam expressit, dicendo, in nomine Patris, Filiij & Spiritus sancti. Quare constat, illam locutionem, baptizari in nomen Christi, nihil plane ad formam baptismi Christiani pertinere.

Id quod inde etiam confirmatur: quia nunquam legis, quod Apostoli quempiam baptizarint, dicentes, se illum baptizare in nomen Christi: sed tantum legimus,

mus, quod multi fuerunt baptizati in nomine, & in nōmen Christi. Quid igitur illa loquendi forma sibi voluit Spiritus sanctus? Hæc, meo quidem iudicio voluit summatim indicare: primum, quod, qui professi erant fidem in Christum, baptizari iubentur, hoc fieri in nomine & autoritate, iussuque Iesu Christi: Imò quod etiam baptizarentur in hanc formam, hoc est, in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, hoc esse ex mandato Christi. Baptizen-  
tur ergo in nomine Christi, hoc est, secundum manda-  
tum & formam à Christo præscriptam.

Secundò qui sic baptizabantur: eos sicuti iam co-  
ram Deo, per fidem erant Christo incorporati, inque no-  
ni foederis societatem admissi: sic hoc noui foederis si-  
gno, coram tota Ecclesia, Christo consecrari, & ad fidem  
in eum retinendam, & ad obedientiam mandatis eius  
præstandam obsignari, inque corpus Ecclesiæ eius inseri:  
eoque in communionem sanctorum, & ad perpetuam  
resipiscientiam, fidemque in Iesum Christum, in finem  
vsque vitæ continuandam, recipi. Tota enim Ecclesia,  
& singuli fideles, baptizati sunt in mortem Christi, &  
cum eo sepulti: cuius symbolum, est ipsa in aquam im-  
mersio: ut hinc intelligamus, per totam vitam nostram,  
moriendum nobis esse peccatis, & viuendum iustitiæ: id  
quod est verè baptizari in nomen Christi, nempe pro no-  
bis mortui & sepulti.

#### Aphor. 4.

Substantia quoque legis, etiam ceremonialis, per-  
petua est, eoq; semper retinenda. Non enim Christus ve-  
nit vt solueret legem, aut Prophetas, quoad substantiā de-  
strinæ. Ad substantiam autem legis de circumcisione,  
pertinet, vt qui suat in foedere: signo etiam foederis, Deo

obsignentur. Nouiautem fœderis signum est baptismus: qui circumcisioni successit, Col. 2.

Adde locum Petri ex Act. 2. vers. 38. Resipiscite & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim facta est promissio & liberis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscumque videlicet aduocauerit Dominus Deus noster. Ad quoscumque igitur pertinet promissio salutis per Christum: ad eos etiam pertinet baptismus. Atqui promissionem ad finem etiam infantes pertinere, docet Petrus: Infantes igitur baptizandi.

### Aphor. 6.

Cum Paulum diximus, eos de quibus Act. 19. denuo baptizasse, ranquam non ritè baptizatos: id sine vilius interpretis præjudicio diximus: neminem enim damnamus. Tantum rogamus lectorem, ut illud verbum RE-BAPTIZANDI, dextrè interpretetur. Non enim intelle-ximus, qui ritè baptizati fuerant, eos post modum fuisse rebaptizatos: sed qui vero baptismō, præcedente scilicet vera de Deo Patre, Filio & Spiritu sancto doctrina, baptizati non fuerant: eos postquam veram & integrā de Deo Christo doctrinam, à Paulo edocti fuissent: tum demum verum etiam baptismum suscepisse: & post ba-ptismum, per impositionem manuum, ipsum etiā Spiritum sanctum, eiusq; dona accepisse. id quod proprio lo-quendo non fuit rebaptizari, sed verè baptizari.

Cur autem sic senserim, & adhuc sentiam: adductus fui cum Patrum, atque in primis Ambrosij & Hieronymi, illum locum sic interpretantium autoritate: tum etiam ratione, ex ipso contextu desumpta.

Ad auto-

Ad autoritatem quod attinet: primùm nemo unquam ex Patribus verba illa, Αὐτοῖς τοις δὲ ἐκαρδιγνῶς verba fuisse Pauli, de illis qui audierunt Iohannem Baptistam, docuit: sed omnes tanquam verba Lucæ de ijs, qui audierunt Paulum, interpretati sunt. Sic Chrysostomus Tom. 3. in Acta, homilia 40: Sic Oecum. in Acta, cap. 19. Sic Augustinus Tom. 7. contra Petil. cap. 7. Sic Gregorius Tom. 1. in Euang. homil. 20; Sic Beda in Acta. ca. 19. Sicalij omnes.

Deinde plerique ipsorum disertè scribunt, illos duodecim discipulos fuisse à Paulo, vel saltem iussu Pauli baptizatos: tanquam non ritè antea baptizatos: quippe qui non audierant doctrinam de Spiritu sancto, nec in eius nomen fuerant baptizati. Ambrosius Tom. 2. de Spiritu sancto ad Theod: Imper. capite 3. Denique & illi ipsi qui dixerant: Nec si Spiritus sanctus fit, audiimus, baptizati sunt postea in nomine Domini Iesu Christi. Ethoc abundauit ad gratiam, qui iam Spiritum sanctum, Paulo prædicante cognouerant. Nec contrarium debet videri, quia quamuis etiam postea tacitum sit de Spiritu: tamen creditum est, & quod verbo tacitum fuit, expressum est fide. Cùm enim dicitur: In nomine Domini nostri Iesu Christi: per unitatem nominis, impletum mysterium est: nec à Christi baptismate, Spiritus separatur, quia Iohannes in penitentiam baptizauit Christus, in Spiritu. Hæc Ambrosius.

Hieronymus Tom. 6. in Iohel, cap. 2. pag. 66. Ergo salutare Dei videri non potest, nisi Spiritus sanctus effundatur: Et quicunq; credere sedicit in Christum, non credens in Spiritum sanctum: perfectæ fidei oculos non habebit. Vnde & in Actib. Apostolorū: qui baptizati erat baptismate Iohannis in eum qui venturus erat, hoc est, in

est in nomine Domini Iesu: quia responderunt Paulo interroganti: sed ne si sit quidem Spiritus sanctus nouimus: iterum baptizantur: immo verum baptismus accipiunt, quia sine Spiritu sancto & mysterio Trinitatis, quicquid in unam & alteram personam accipitur, imperfectum est, &c. August, contra Petil. cap. 7. col. 498, vult illos duodecim fuisse baptizatos à Paulo: aut quia non acceperant baptismum Iohannis, sed mentiti fuerant: aut quia si illius, non tamen baptismum Christi acceperant. Sensit enim cum Cypriano & Tertulliano, & aliis Patribus differre baptismum Iohannis, & baptismum Christi: qua de re postea. Ex nostris etiam doctissimus VVolffg. Musculus, de loco Act. 19, sensit cum Ambrosio, In locis communibus, loco de baptismo: cuius verba, quia prolixè hunc locum tractat, non recitamus. Etante Musculum Bucerus, tum in 3. cap. Matthæi, tum in Epistolam ad Ephes. cap. 4. In Matthæum haec verba leguntur. Paulum Ephesijs illis, qui in baptismo Iohannis baptizati erant, ignorantes quid ipsum esset, quia Spiritum sanctum adhuc ignorabant, quos illo Christum baptizaturum tantopere prædicauerat, dixisse legimus, Act. 19. Iohannes quidem baptizauit baptismo poenitentia, populo dicens, in eum qui venturus esset post se, viderent, hoc est, in Christum Iesum. Quid iam nos aliiud vel facimus baptizando, vel facere debemus? Utique noster baptismus, poenitentia est: dum quos baptizamus, in mortem Christi sepelimus, hoc est, in eum numerum adscribimus, qui per omnem hanc vitam peccatis mori, & viuere iustitiae debeant: quod tamen sint non nisi dono Christi accepturi. Quare ab adultis, quos baptizamus, fidem in Christum requirimus, & infantes in eandem educando, Ecclesiæ commendamus. Nunquam

Quam igitur rebaptizasset illos Ephesios Paulus, si Iohannis baptismo, id est, quo solebat ipse baptizare, in pœnitentiam & fidem Christi fuissent baptizati: Sed cum essent tantum, ut Lucas meminit, in baptisma Iohannis, quod tamen nesciebant, quale esset, ignorantes in totum baptismum Christi, id est, Spiritus, baptizauit eos: declarato, quid fuisset Iohannis baptismus: & quomodo ille in Christum baptizasset, non in suam istam trinitatem, quasi ea vallis posset saluti esse. Baptizauit itaque eos hoc ipso baptismo Iohannis, id est, ut ille solebat, in nomine Domini Iesu: & mox impositis manibus, Christi quoque baptismo, id est, Spiritu sancto. Nam statim venit super eos Spiritus sanctus, ut illic legitur. Hæc ibi.

In Epistolam vero ad Ephes. in cap. 4. idem Buc. in hæc verba scribit. Hinc liquet & illud, Ephesios illos duodecim viros, qui nesciebant, num Spiritus sanctus esset, quos baptizauit Paulus, non fuisse baptizatos baptis mate Iohannis, id est, quod Iohannes administravit: sed vt de se ipsis testati sunt, in baptisma Iohannis. Iohannes enim à se baptizatis omnibus prædicauit, Christum baptizaturum Spiritu sancto, atque in hunc hortabatur, vt crederent, atque ab eo Spiritum sanctum perciperent. Quocirca ignorare Spiritum sanctum hi Ephesij non potuissent, si eo fuissent tincti baptimate, quod verè Iohannis dici potuisset. Id quod & Apostoli verba ad hos viros satis indicant: Iohannes quidem baptizauit baptisma pœnitentia, populo dicens, ut in venientem post se crederent, hoc est, in Christum. His enim verbis docere voluit, eos non Iohannis baptisma percepisse, qui Iohannis de Christo prædicationem, & promissionem nondum nouerant. Hæc Bucerus.

Cum igitur Patres locum illum Act. 19. ita sint in-

terpretati, ut modò explicauimus: Quis obsecro ego sim, qui tot tantisque doctoribus, in tali huius scripturæ interpretatione, quæneque vim facit contextui, neque cum alijs scripturis, neque cum analogia fidei pugnat, neque illa secum assert absurdæ, contradicere audeam, aut debeam?

Si quis enim ex contextu obijciat, illud μὲν & δέ: nihil euincit aduersus Patrum interpretationem: cùm nec insolens sit Apostolo, præposito μὲν, non semper subdere aduersatiuam δέ: Rom. 3. vers. 2. Col. 2. vers. 23. & alibi: Et huic μὲν, aliud δέ, quod breuitatis cauſſa reticuit Lucas, subintelligi commodè possit, sicuti post monstrabimus: vt non sit necesse, cum illo μὲν, coniungere illud δέ, quod sequitur in versu 5: quo Patres volunt sermonem non Pauli, sed Lucæ continuari. Patrum igitur interpretatione, non pugnat cum contextu. Sed neque cum alijs scripturis. Nam si quis dicat, Paulus ad Corin. scribit, se gaudere, quod neminem baptizarit, nisi domum Stephanæ responderi poterit, verum est, nempe Corinthi: sed isti duodecim erant Ephesi: Deinde de baptizatissua manu loquebatur: hos autem 12. baptizare potuit, aliena: vt de temporis circumstantia non disputemus. Cum analogia verò fidei non pugnare, aut illa secum ferre absurdæ, certum est: quia Patres de baptismō legitimè administrato, quasi illum repetierit Paulus, minime loquuntur. Patrum igitur interpretatione (meo quidem iudicio) non facile refelli potest. Quare hæc prima cauſſa est, cur sic de illa Pauli actione senserim, & adhuc sentiam: quanquam in cauſſa, cur Apostolus illos baptizarit, cum omnibus non consentiam: sed tantum cum Ambrosio & Hieronymo.

Bapti.

Baptismum Iohannis alium fuisse à baptismo Christi, docent Patres, tum ex eo, quod Iohannes dixit, se baptizare (tantummodo) in aqua: Christum verò in Spiritu sancto, & igne: tum etiam inde, quia baptismus Iohannis, baptismus pœnitentiæ vocatur: Christi autem baptismus in remissionem peccatorum dari dicitur: Et quod ille preparauerat adhunc: atque ut Tertull. loquitur) baptismus ille pœnitentiæ fuerit ceu candidatus remissionis peccatorum & sanctificationis in Christo subsecuturæ. Legatur Tertul. de baptismo, pag. 707

Sic & Cyprianus sermone de baptismo Christi, & manifcstatione Trinitatis, pag. 430. Sic & August. To. 7. contra Petil. cap. 7. Sed non omnes intelligimus, quid sibi de hoc baptismi discrimine, voluerint Patres. Non enim voluerunt, vnum ab altero differre vel in materia ac symbolo, vel in doctrina formaque baptismi: sed tantum in efficacitate: quod nimurum, etiam si remissio peccatorum, dabatur illis, qui baptismo Iohannis tingerantur: ea tamen non fuerit ex baptismo Iohannis, hoc est aquæ: sed ex baptismo Christi, qui est baptismus Spiritus: quo illud pertinet, Ego baptizo in aqua, ille autem in Spiritu sancto. Hoc autem Baptismo Spiritus, illi tantummodo baptizabantur, qui in Christum credebant, quem Iohannes dicebat iam adesse: licet non ab omnibus cognosceretur. Proinde hanc fidem inculcabat in suo baptismo Iohannes, ut etiā Paulus hoc in loco Act. 19. testatur. Quare falsi sunt, qui propter hanc diuersitatem, repetendum fuisse baptismum aquæ putarunt.

Augustinus cont. Petil. ut paulò ante attigimus, refert quorundam fuisse sententiam, illos 12. mentitos fuisse Apostolo, cùm interrogati, in quidnam baptizati essent, responderunt, in Iohannis baptisma. Ita ex

eo, quod prius illi Ephesij dixerant, se etiam non audiuisse, an sit, id est, existat iste Spiritus sanctus, eorum nimis, de quibus fuerat sermo, donorum autor: mendacij illos cōuicisse, dicendus fuerit Apostolus, hoc argumēto. Quicunq; baptizati fuerunt, iij professi sunt fidē in Iesum Christum vt Filiū Dei, ide q; & in eius Patrē, & in vtriusque Spiritum. Hanc enim fidē exigebat Iohannes: & secundū hāc homines baptizabat: & baptizando semper vrgebat, Iesum Christum illum esse, qui baptizaret in Spiritu. At qui vos, vestra confessione, non nostis hunc Spiritū &c. cōque non verē creditis in Iesum Christum. Ergo &c.

Verum enim verò illos duodecim mentitos fuisse Ecclesiae, & Apostolo: nimis durum, & indignum hominibus, qui Christum prefitebantur, mihi omnino esse videtur. Hanc cōque obcaussām, magis nobis semper placuit Ambrosij & Hieronymi sententia: illos duodecim verum dixisse, se in baptisma Iohannis baptizatos fuisse, & rūm non à Iohanne ipso, sed à discipulo aliquo Iohannis, qui sinceram de Deo doctrinam illis non explicarit: ac proinde quiritè illos non baptizarit. Qui autē non sunt ritè baptizati in Iesum Christum, vt Filium Dei naturalem, ac Mediatorem, cōque & in eius Patrem, & in vtriusque Spiritum: eos esse ritè baptizandos, extra controuersiam est apud omnes Patres. Meritò igitur illos id non quidem baptizatos, fuisse rebaptizatos: sed tanquam nō ritè baptizatos, fuisse à Paulo, præmissa vera doctrina de Trinitate, quam & Iohannes prædicauerat, vero baptismo baptizandos.

Atquæ hāc de Patrum autoritate: à quibus, nisi manifestissimis rationibus cogar, me pro mea tenera conscientia, vel in dogmatibus, vel etiam in scripturatum interpretationibus, præsertim ybi plerique omnes consen-  
tiant,

sunt, defletere non audere: toti Ecclesiæ Christi ingenuè confiteor.

Ratio quoque præter Patrum autoritatem, ex ipso contextu, per Patres, ut supra vidimus, deducta, me in eadem sententia confirmavit. Ratio hæc colligitur partim ex ijs, quæ illi Ephesij à Paulo, an accepissent Spiritum sanctum, hoc est, dona Spiritus sancti, interrogati, responderunt, dicendo: se neque etiam, an sit, hoc est, existat, & sit ὁ Φίστιμος iste Spiritus sanctus, quem scilicet Paulus volebat esse illorum donorum autorem, audiuisse: tantum abesse, ut eum eiisque dona acceperint: partim etiam ex ijs colligitur, quæ Paulus de doctrina & Baptismo Iohannis retulit: dicendo: Iohannes quidem baptizauit baptismō resipiscētiæ, dicens populo, ut in eum, qui venturus erat post ipsum crederent, hoc est, in Christum Iesum: quasi dicat, vos autem non recte credidistis in Christum talem, qualis est, Filium Dei Deum: cùm illius Spiritum non agnoscatis. Conclusio sequebatur: Illos ergo, et si in Iohannis baptisma, à nescio quo, baptizati fuerint, non fuisse tamen ritè baptizatos: cum in doctrina de persona Christi, in quem credi oportere, nempe quod non solum homo, & Messias esset, sed etiam Filius Dei Deus, à quo etiam & à Patre procedit Spiritus sanctus, prædicabat; eoque in doctrina De Deo Patre, Filio & Spiritu sancto, in quorum nomen conferendus est baptismus, institutio non fuerint: Ac proinde, illos oportere, percepta vera doctrina de Deo Patre, & Filio, & virtutisq; Spiritu, inque illa accuescentes, legitimū suscipere baptismum: ut post modum per impositionem etiā manuum recipierent dona huius Spiritus sancti: id quod postea factum fuisse, docet Lucas, dicendo: Αὐτὸν γένεται (nempe illi duodecim Ephesij:) quid verò ἀπέσταλτε: id

est, percepta Pauli, de vera in Christum Filium Dei, eōq;  
& in eius Patrem ac Spiritum sanctum fide, quam & Iohannes prædicauerat, inque illa acquiescentes baptizati sunt, &c. Hæc Patrum interpretatio, nempe illos 12. non rectè in doctrina de Deo, Patre, Filio & Spiritu sancto institutos, eoque nec ritè etiam baptizatos fuisse: confirmari potest, tum ex ipsorum 12. genere & gente: tum ex cauſa, quam obrem Paulus omissis alijs omnibus, hos peculiariter, an acceperint Spiritum sanctum, postquam professi sunt fidem in Christum, interrogavit.

Erant genere Iudæi, vt liquet ex baptismate Iohannis, in quod dixerant se fuisse baptizatos: Et à Iudæo fuerant baptizati. Iudæi autem vt plurimum non rectè tenebant doctrinam de tribus personis in una essentia subsistentibus. Itaque isti etiam 12. licet admitterent Iesum esse verum Messiam: duas tamen duntaxat personas agnouisse videntur: personam Dei Patris, & personam Messiae, nudi quidem (vt plerique putabant) hominis, sed tamen in quo habitaret Deus Pater: Spiritum vero sanctum esserem *ὑπερηφανείαν*, & *χαρισμάτων* autorem, plenè ignorasse conuincuntur ex ipsorum verbis.

Cauſa autem, cur Apostolus ingressus Ephesum, vbi multi erant discipuli Christi, hos 12. Iudæos peculiariter interrogavit: aliqua certè fuit. Est autem, ex illorum responsione, probabile: Apostolum, aut ex ipsorum colloquio, aut ex relatione aliorum fratrum, percepisse, hos duodecim non rectè sensisse de Spiritu sancto.

Ad summam: Hoc fuit argumentum Apostoli: quo probare ex illorum responsione voluit: eos non fuisse vero Iohannis baptismate baptizatos.

Quicunque vero Iohannis baptismo baptizatus fuit:

suit: is etiam illius doctrinam de Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto audiuit, eamque professus est: ac proinde ipsum quoque Spiritum sanctum nouit. Hæc propositio retinetur, sed huius probationem attulit Apostolus, vers. 4. dicendo: Iohannes baptizauit, &c. hoc est, Iohannes prædicauit non solum poenitentiam, sed etiam fidem in Christum: nempe eum esse non solum hominem, Messiam: sed etiam Filium Dei Deum: à quo, sicut & à Patre procedat Spiritus sanctus, & quod is baptizet in Spiritu sancto: eoque in hunc, tanquam verum Servatorem, esse omnibus credendum, qui cupiunt salui fieri.

Atqui vos, doctrinam hanc non audiuitis, nec professi estis, eoque nec verè in Christum, talem scilicet, qualis est, credidistis. Dicitis enim vos, ne audiuisse quidem (cùm scilicet baptizaremini) an sit & existat iste Spiritus sanctus. Ergo, &c. Ac proinde restat, ut hanc doctrinam & fidem professi: legitimum suscipiatis baptismum: Et postmodum per manuum impositionem, ipsa Spiritus sancti dona. Hæc est argumenti explicatio, secundum Patrum interpretationem. Sed Lucas, ut solent Prophetæ & Euangelistæ, paucis verbis, summam complexus est.

Quid vero hinc obsecro sequitur absurdum? aut quænis fit narrationi Apostolica? Num fouetur Donatistarum & Anabaptistarum hæresis? Nihil minus. Illi enim ritè baptizatos, rebaptizant: Apostolus eos, qui non fuerant ritè baptizati: ut qui doctrinam de DEO veram, non audierant, nec professi fuerant: ritè baptizandos curauit. Hos autem (De adultis enim sermo est) cùm veniunt ad Ecclesiam Catholicam, ve-ro baptimate, præmissa vera doctrina de Deo, déque

CHRISTO

CHRISTO Seruatore baptizandos esse: docent omnes  
Patres.

Ad contextum quod attinet: nulla vitorquetur.

Illud certè responsum, ἀλλὰ δὲ, ἐπειδὴ μακρὸν ἔχει  
τομῆς: de Spiritu sancti donis intelligi non posse, li-  
quet ex sequenti admirationis plena Pauli interrogatio-  
ne: εἰς τὸν Ἐβραϊκὸν; nemo enim baptizatur in dono  
Spiritus sancti: sed in ipsum Spiritum sanctum, sicuti & in  
Patrem & in Filium. Erat autem extra controversiam  
apud Apostolos, quicunque vel à Iohanne, verisque eius  
discipulis, vel à discipulis Christi, baptizati fuissent: eos,  
percepta vera de Spiritu etiam sancto doctrina, in illius  
quoque nomen, iuxta Christi institutionem, baptizatos  
fuisse. Hinc admiratio illa: εἰς τὸν Ἐβραϊκὸν; Respon-  
sū: ut essent legitimo Iohannis baptismate baptizati:  
Et tamen ignorarent, imò ne audierint quidem, an esset  
& existeret iste Spiritus sanctus: quem tamen Iohannes &  
nouerat, & omnibus qui ad suum baptismum veniebant,  
prædicabat: nec prædicabat Christum, sine hoc Spiritu.  
Dicebat enim se baptizare in aqua: Christum autem Ic-  
sum, baptizare in Spiritu sancto.

Hinc factum est, ut conuicturus eos, non fuisset à  
Iohanne: imò neq; à veris eius discipulis baptizatos, sub-  
iecerit, dicendo: ιωάννης μὲν &c. Illud μὲν, particula cer-  
tè est aduersaria: qua voluit monstrare, cum baptismo  
legitimo Iohannis, non congruere, quod dixerat, se neq;  
audiuisse (cum scilicet baptizarentur) an sit Spiritus san-  
ctus: cùm Iohannes, sine illius mentione, baptizaret ne-  
minem. Et huic expresso μὲν, respondet tacitum δέ: vt  
sit tale argumentum, quale ante expressum à nobis est.  
Iohannes quidem baptizauit, &c: quasi dicat, Iohannes  
prædica-

Prædicauit & poenitentiam, & fidem in Iesum Christum, qualis nimirum est, Filius nempe Dei, à quo sicut & à Pare procedit Spiritus sanctus, & qui baptizat in Spiritu sancto: & in huius doctrinæ confessionem, homines baptizabat. Subiecta erat minor: quam ipse Lucas tacuit, quia continetur in illorum 12. confessione, *ἀλλ' εἰδεῖς πνεύμα ἀγίον εἶναι*, &c. Quid clarius isto contextu?

Quod ergo sequitur in vers. 5. *Ἄνθρωπος δέ &c.* Vetus sunt Lucæ, quid post illam Pauli argumentationem, secutum sit, fideliter & breuiter narrantis: *Ἄνθρωπος δέ, (nempe illi 12.)* quid *ἄνθρωπος*? quid fit verè credere in Christum, & quòd iuxta confessionem huius doctrinæ de Christo, déque eius Patre, & utriusque Spiritu: & quòd Christus ut unicus Seruator, solus baptizet in Spiritu sancto: homines baptizarit: *ἄνθρωπος* in quam hæc, non aribus solum corporis, sed etiam animi. eoque & credentes hoc, ac confitentes: *Ἐστις θηραί εἰς τὸ οὐρανόν τοῦ ιντοῦ: id est, in Iesum,* sicut nominatur & describitur in scripturis non homo tantum sed & Filius Dei Deus, à quo sicut à Patre, procedit Spiritus sanctus: eoque ut verus & unicus Seruator, suo Spiritu sancto nos baptizans, &c.

Accedit, quòd secundum illam nouam interpretationem, non parua, in breuissima narratione, admittitur *βαπτισμός*. Cum enim Paulus de Iohanne Baptista dixerit: *Ιωάννης μὲν εὐάγγελος βαπτισματεῖνος τῷ λαῷ λέγων, οὐ τὸν ἐρχόμενον μετ' αὐτὸν, ἵνα πιστεύωτι, ταῦτα εἰσιν, εἰς τὸν χριστὸν ἥντος:* Quorsum de baptizatis à Iohanne subiecisset idem Apostolus, *ἄνθρωπος δέ*, nempe populi seu homines illi, baptizati sunt? Quis enim ex præcedentibus verbis non intellexit, si Iohannes baptizabat: Illos igitur, qui eius de poenitentia, & de fide in Christum doctrinā audiabant & profitebantur, fuisse à Iohanne baptizatos?

Ad extremum, si illam admittere interpretationem voluissem: non videbam, quid aliud sibi voluerit Paulus concludere sua tota narratione, nisi illos Ephe-sios, rite fuisse baptizatos: ac proinde nihil aliud restare, quām ut per impositionem manuum, reciperent Spiritum sanctum. Sed hæc conclusio mihi non congruere videtur cum præcedentibus, sed esse superuacanea.

Explicavi, prout potui, Patrum in hunc locum, interpretationem, idque modestè, & sine ullius præjudicio, non in alium finem, quām ut fratribus, qui fortasse offensi sunt illa particula in mea confessione, quod Paulus illos 12, tanquam non rite baptizatos, denuò baptizarit: qua possem ratione perspicuum facerem, me non temere illa verba in mea confessione posuisse. Interim, ut dividimus, aliorum interpretationem non damnamus.

Hoc ego ingenuè denuò profiteor, talem esse meam conscientiam, ut à veterum Patrum, siue dogmatibus, siue scripturarū interpretationibus, non facilè, nisi vel manifestis sacr. lit. testimonij, vel necessarij consequentijs, apertisq; demonstrationibus conuictus atq; coactus, discedere queam. Sic enim acquiescit mea conscientia: & in hac mentis quiete cupio etiam mori.

Proinde omnes fratres humiliter rogo, ut hanc in parte, si quid diuersi ab ipsis sentiam: ne ullo modo offendantur: præsertim, cùm ad dogmata Christianæ fidei quod attinet, constans sit inter nos consensus.

## IN CAPVT XVI.

*Aphorif. 9.*

Locus iste i. ad Cor. 6. diligenter expensis, (Sicut etiam supra in Cap. XV. Aph. 14, monuimus) conciliare possit

posset controversiam, de mandatione impiorum, hoc est, hypocritarum: dēq; sacramentali mandatione.

Nos dicimus, verum Christi corpus non edi ab hypocritis, vera fide destitutis / nempe verè & re ipsa edi, cùm reuera non edatur, nisi per veram fidem, qua, illi destinuntur) sed tantummodo sacramentaliter, hoc est, sacramentum & symbolum ipsum reuera edi: Aduersarij aiunt itidem, verum Christi corpus ab hypocritis edi sacramentaliter tantummodo: sed hac voce intelligunt, non solum sacramentū, id est symbolum, sed etiam rem ipsam percipi: quanquā non ad salutem. Si eodem sensu hoc intelligent, quo & Apostolus dicit, Corinthios omnes esse sanctificatos, iustificatos, &c. nempe, quod percipiendo baptismū veræ regenerationis & sanctificationis sacramentum, reputentur rem etiam percepisse, quia per ipsum non sterterit sacramētum, quin etiam veræ sanctificationis facti sint participes, quāquam re ipsa non omnes sint facti illius compotes, propter ipsorum hypocriticam fidem: Ego certè non video, quomodo non possit talis admittilocation: modò, vt debet, ad sensum Apostolicum explicetur. In medium duntaxat propono: vt fratres de iusta concordia ratione, ad tantum scandalum ex Ecclesia tollendum, cogitent. Sistemur omnes ante tribunal Christi.

### IN CAP. XVI. Aphor. 10.

Hic subdistinguēdi erant pīj: quia alij digne accedūt, alij indigne: imò vñus atq; idē pius, aliquando dignē, aliquando non satis dignē edit, de quibus i Corin. ii: Impijs quoq; qui non verè percipiunt rem sacramenti, sed tantū elementum, non omnes eiusdem sunt generis. Inter hos eam etiā hypocritæ, de quibus modò diximus cōtinē-

tur. Visum igitur h̄ic fuit pleniorem & clariorem subi-  
cere partitionem.

Duo sunt hominum genera, qui sicut ad audiendum  
verbum, sic etiam ad Cœnam Domini accedere possunt:  
impij & pii. Rursus impiorum, alij sunt prorsus & sim-  
pliciter impiorum: ut homines  $\alpha\vartheta\epsilon\omega$ ; Iudæi item ac Turcæ,  
denique omnes qui nihil intelligunt, nihil credunt eorum;  
quæ vel audiunt in prædicatione Euangelij, vel fieri spe-  
stant in Sacramentorum administratione: imò potius  
omnia rident & contemnunt. Isti si accedant ad men-  
sam Domini: nihil prorsus edunt aut bibunt; nisi panem  
& vinum: idque etiam, non ut sunt sacramenta (non e-  
nim intelligunt, quarum rerum sint sacramenta) sed  
tantummodo quod sunt sua naturā, panis nimirum & vi-  
num. Nam etiam ad prædicationem Euangelij, nil nisi  
nuda verba, strepitūmque verborum recipiunt. Alijs sunt  
impij recipi & coram Deo, licet  $\kappa\alpha\lambda\alpha\eta$  non sint, nempe  
professione, & coram hominibus: veluti sunt hypocritæ  
in Ecclesia: qui fide vera ac viua, quæ propria est electo-  
rum, donati non sunt: sed temporariam tantum habent,  
& hypocriticam. Hi accedentes ad Coenam, re ipsa non  
plus edunt & bibunt, quam priores: panem scilicet & vi-  
num. Ratio est, quia vera fide, qua sola verè editur cor-  
pus Christi, prædicti non sunt. Discriben tamen est non:  
parum inter hos & illos.

1. Quia illi, cùm nihil planè eorum quæ audiunt de  
corpo Christi in Cœna, mente credant: nihil etiam  
mente percipiunt, nedum edunt verum Christi corpus:  
sed ore tantum corporis edunt panem ut cōmunem pa-  
nem. Isti autē, quia per suam tantū historicā, hypocriticā  
& temporariam fidem mente intelligunt, & vtcunq; cre-  
dunt quæ dicuntur & geruntur: idcirco eadē etiā fide  
ac mente,

at mente; corpus Christi verbo & sacramentis oblatum  
vt cunque percipere dici possunt, atque etiam vt cunque  
dégustare: quanquam reuera non edunt, cum ad sui Spi-  
ritus nutrimentum in ventriculum animæ, non deglu-  
tiant atque retineant: (hoc enim propriè est edere:) sed  
potius dégustatum expuunt, aut euomunt vt cunq; etiam  
receptum. Sic enim etiam ad Hebr. 6. de ijsdem tempo-  
rarijs legimus: quod gustarint donum coeleste, & bonum  
Dei verbum: quasi dicat, gustarunt quidem, idque etiam  
dono Spiritus sancti, sed gustatum expuerunt. Et in pa-  
rabola de semine, temporarij recepisse semen verbi di-  
cuntur: sed non retinuisse, eoque fructum inde nulium  
retulisse: hæc de timo genere impiorum dici non pos-  
sunt: quæ de hoc secundo, de hypocritis videlicet tem-  
porarijs verissima sunt. Hoc igitur esto primum discri-  
men: inter illorum & horum manductionem, hinc al-  
terum sequitur.

2. Illi, cum panem, quem ore sumunt, non agnoscant  
nec credant esse sacramentum corporis Christi: idcirco  
illum etiam sumunt & edunt, non ut sacramentum, sed  
ut communem panem: quare neque etiam sacramenta-  
liter corpus Christi comedisse dicuntur. Ipsi autem  
panem sumunt, non ut panem communem, sed ut sacra-  
mentum corporis Christi: & ea re, ipsum corpus Christi,  
licet non reuera, cum careant veræ fidei ore, & dentibus,  
sacramentaliter tamen edere dicuntur: argumento à co-  
iugatis, ut loquuntur ducto: edunt sacramentum, ut sa-  
cramentum est corporis Christi: Ergo corpus Christi e-  
dunt sacramentaliter, & sacramentotenus etiam, quia  
non re ipsa corpus Christi, sed eius duntaxat sacra-  
mentum edunt.

3. Hinc sequitur illa explicatio, de qua supra etiam di-

ximus: haud impiè simpliciter & absolute ab illis dici, qui ipsos hypocritas, nō solum sacramentum, sed etiam rem sacramenti, hoc est, non panem solummodo, sed etiam ipsum corpus Christi, edere contendunt. Sed quónā sensu? nempe, quo & Apostolus omnes, quos Corinthi dixerat in priore statu fuisse immūdos, impios &c: postmodū eos dixit, non solum ablutos (quod quis potuisset de sola aqua baptismi interpretari) sed etiā sanctificatos, & iustificatos esse; cùm tamen non omnes verè tales essent facti, sed adhuc non deessent inter illos nonnulli hypocritæ.

Sic omnes, qui professi fidē in Christum, ad eius co-nam accedentes, edunt sacramentū corporis Domini: ipsum quoq; corpus Domini verū edisse dicūtur: nempe propter vniōnem sacramentalē; qua fit, vt qui signū accipit, rem quoq; signatam accepisse, ab Ecclesia iudicetur: quoniam neq; per institutōrē sacramenti, neq; per sacramentum ipsum stetit, quin qui illud accepit, & edit, hoc quoq; alterū acceperit & ederit: Christovtrūq; veraciter per ministrum offerente: & integritate veritatēque sacramenti, non à nostra fide, sed ab institutione Christi pendente: ita vt si non integrum sacramentum, sed signum dūtaxat sine re signata accipiamus, culpa in nobis heret: qui vnam partem ore corporis accipimus, alteram verò nostra infidelitate (fides enim hypocritica, quādam est *amīcia*) reijcimus: disiungentes, quæ Deus coniuncta es- se voluit. Ex ijs apparet, quantum discriminis sit inter mādicationem simpliciter impiorum, & hypocritarum: quanquam neutri, verum Christi corpus, verè edere dici possint. Illi enim soli verè Christum edunt, qui etiā Christo verè insiti sunt, per veram viuāmque fidem: qua sola donantur electi. Mortui corporaliter, corporum etiam cibum edere non possunt: quomodo igitur mortui spiritualiter,

ritualiter, spirituali cibo vesci poterunt? Soli autem fideles, ideo viuunt, quia fide viua Christo qui vita est nostra, adglutinatis sunt, vt membra capiti: vt palmites, viti: vt omnes rami, suae arbori. Ac si, vt ait Cyprianus, cibus est mentis, non ventris: profectò non editur corporis, sed animæ fidelis dentibus: quod soli possunt pij.

Si item corpus Christi, resest (vt loquitur Irenæus) cœlestis: quomodo edi potest ab illis, qui nihil habent cœlestis, sed sunt toti terreni homines: nulla fide prædicta, qua in cœlum concendere, ac cibum cœlestem edere, queant? Soli ergo pij, hoc possunt.

Sed pij quoque, neque omnes pariter, neque ijdem eodem semper modo sunt affecti: cum saepenumero dignè, nonnunquam etiam contingit, vt indignè edant: & ideo varias à Deo castigationes accipiant.

Dignè illi edere dicuntur, qui priusquam edant de pane domini, se ipsos probant, an sint in fide: ac si sint, huiusc quoq; mysterij significationem, ac magnitudinem diligenter considerant: Deinde conscientiam suam examinant, an vera ducantur resipiscientia: & ad utrumque, ardenteribus precibus se excitant.

Indignè verò illi, qui licet per fidē & Spiritū regenerationis insiti sint Christo: curis tamē huius seculi, aliisue carnis affectibus, fide vtcūque suffocata, non se satis probant: non se diligenter examinant, nec ad seriam tantum mysterij considerationē excitant: nec attēta mente considerant, quid in sacra illa mensa distribuatur, quid à se requirat Dominus, quibūnam & quorsum hæc cœna sit à Domino instituta: Deniq; illi indignè māducant, qui, (vt Apostolus loquitur) ἐδιανόγοτο σωματεῖν πίσ: eoque cum debita reverentia, & timore Domini, ad mensam illum non accedunt: mente ac fide, res signatas à signis, & si-

gna à reliquis cibis ac poculis communibus, non satis, vt dignum erat, discernentes: quo sit, vt etiam non ita os interioris hominis, ad cibum spiritualem, quemadmodum os exterioris ad cibum (suâ naturâ) corporalem cendendum aperiant. Huius officij neglecti caussa, quod scilicet seipso non satis probent, nec dijudicent seu discernant corpus Domini, ac proinde quod indignè edant panem Domini, Christiani alioqui, & pij homines, varijs à Deo castigationibus, in ipsorum tamen salutem, nescilicet cum hoc mundo damnentur, visitari solent. Ac de ijs propriè loquitur Apostolus 1. Cor. ii. non autem de simpliciter impijs & veris hypocritis: cum ait, hos sibi iudicium manducare, &c. Hoc inde liquet.

1. Quia non ait, hos indignè manducantes, sibi edere καλάνεργα, quod æternum exitium significat, sed κείμενα, quæ voces, quantum inter se ibidem differant: ex ipso licet contextu, cùm ait Apostolus vers. 32. Κεινόμενοι δέ, à Domino eruditur, seu corripimur, ἵνα μὴ οὐδὲ τῷ κείμενῳ καταργηθῶμεν.

2. Cùm explicat poenâ, quæ consèquitur indignè edentes: non commemorat, nisi castigationes temporales, nulla planè facta æterni exitij mentione: διὰ τὸν, inquit, πλοῖον ὑπὸ τερεῖς, &c.

3. Adde, quod ait; si nos ipsoς διεκρίνομεν. (id est, explosaremus, & agnitis peccatis per poenitentiam castigaremus, & vera fide ac resipiscientia à mundo seperaremus) ἐναντενεγρόμεθα: nempe à Domino: qui ideo nos castigat & mortificat, quia nos nostros affectus non mortificamus, nec à peccatis resipiscimus.

4. Quid? quod disertis verbis hoc κείμενο, quo ideo κείμενο, quia αὐτήν edimus panem Domini, vocat ποιόδε, οὐδὲ nobis utilissimam? Sic enim ait, κεινόμενοι δέ, ὅτι τῷ

*καρπίς παρδενόμεθα, ἵνα μὴ οὐ τῷ κέσμῳ παταπελθάμεν.*

5. Et quidem collocat se, omnésque alios veros fideles, in eorū numero, qui κερνόμενοι, à Domino erudiuntur ad salutem. Duosenim statuit hominum ordines: impios, qui nomine mundi intelliguntur: & hos docet manere τὸ καλάκεμα, id est, exitium aeternum: Et deinde pios, qui propter varios lapsus & indignitates, varijs etiam castigationibus erudiuntur, ne cum impijs simul condemnentur: & hos κείματι subjicit, ut evitent καλάκεμα. Locus igitur iste propriè de fidelibus, sed imperfectis, & ideo grauiter peccatibus, quia ἀναζήσω, accedunt ad mensam Domini, intelligendus est.

Quod verò de impijs quoq; multi interpretentur, & κείμα προ καλάκεμα accipiunt: hoc potius per consequiam quandam fieri, argumento ducto à minori ad maius, quam ex vi contextus, intelligendum est: Si pijs, qui nonnunquam ἀναζήσω edunt, κείμα sibi edunt: quodnam καταπελθάμα impios manebit?

Κείμα igitur, si de pijs sermo sit, pro castigatione accipitur: si verò de impijs, aeternum exitium significat.

## IN CAPVT XVII.

### *Aphor. I.*

De adultis hic nobis fuit sermo: de infantibus fidei, ad aeternam vitam electis, alia est ratio: vt alibi explicatum est. Spiritus enim sanctus illos Christo, vt vera membra capiti, à quo vitam hauriant, inserit: nec non etiam illos Spiritu fidei donari credimus: quanquam propter naturæ imbecillitatem illo vti nequeunt: sicut nec vim intelligendi, cum tamen non carcent mente, ciusque facultatibus, exercere possunt.

## Aphor. 2.

Illiis duabus vocibus sapientia & prudentia, libenter  
vsus sum in descriptione fidei: secutus doctissimum Theo-  
logum M. B. in Epistolam ad Ephes. quia priore comple-  
ctor τὰ Ἰεωργία religionis Christianæ, de Deo, de Chri-  
sto, &c. Posteriore, τὰ περιελεύθερα: in qua summatim di-  
stinguitur totum Euangelium, quod fides Christiana  
amplectitur, & quo solo nititur.

Accedit, quod alij quoque docent, Fidem esse cer-  
tam notitiam Dei & Christi, ex verbo Dei conceptam &c.  
Tota autem doctrina Christiana, partim in Ἰεωργίᾳ, par-  
tim in περιελεύθεραι posita est.

Sunt etiam duo actionum fidei genera: vnum in  
intellectu, alterum in voluntate. Intellectus lumine fidei  
donat, res per verbū propositas, intelligit, assentitur, cre-  
dit: Voluntas efficacitate fidei affecta, eas ut bonas amat,  
vult, amplectitur: Ac porro quæ ad externa etiam opera  
pertinent: ea fideliter & prudenter per alias animæ facili-  
tates & corporis organa, executioni mandat.

CAPUT XIX. DE IUSTI-  
ficatione.

## Aphor. 6.

Quòd locum de fide Abrahæ, ex Gen. 15. & Rom. 4.  
Ita explicavi, ut dixerim, imputatum esse illi ad iustitiam,  
illud ipsum, quod de Christo semine promisso creditit:  
id feci rem ipsam magis, quam nudam fidei vocem spe-  
ctans. Non autē ignorabam, & Mosen & Paulum de fide  
Abrahæ, quod hæc fuerit illi imputata ad iustitiam, locu-  
rosuisse: cùm a perte Apostolus ab Abrahæ exemplo ge-  
neralem doctrinam colligens, subdat hæc verba: Ei vero,  
qui non operatur, sed credit in eum, qui iustificat impiū,  
imputa-

imputatur FIDES eiusad iustitiam: hoc est, ideo apud Deum pro iusto habetur: quia credit in eum, qui iustificat impium: quo loco, luculentissime à vera nostri iustificatione, excluduntur opera nostra, & soli fidei, tam quo ad finem, quam quo ad initium, illa tota penitus adscribitur.

Cæterum, cùm quæritur, quidnam in caussa sit, cur iustificatio attribuatur fidei, non autem eius operibus: responderi solet, & benè ac verè, quia ipsa, non autem eius opera, apprehendit remissionem peccatorū, & Christum iustitiam nostram. Non enim illâ, quatenus opus est, nos iustificari, sed quatenus CHRISTUM habet penes se apprehensum: cuius vnius iustitia nobis imputata, propriè iusti reputamur coram Deo: id quod alij dicunt, fidem iustificare non respectu sui, sed respectu obiecti ab illa apprehensi. Ita hinc liquet, verum esse quod dixi, illud propriè imputatum fuisse Abrahæ (tanquam eius proprium) ad iustitiam: quod ipse de Christo credit Christo: quod videlicet in ipso benedicendæ essent omnes gentes: cōque & Abraham ipse.

*Item Aphor. ultima.*

Nec probamus eos, qui iustificationem nostram, in sola remissione peccatorum collocant: negantes imputationem iustitiae & obedientiae Christi: quod cum scripturis nobis pugnare videatur.

Ies. 7. Puer datus est nobis &c. Quicquid ergo egit,  
& habet: totum nostrum est.

Rom. 5. Sicut per inobedientiā vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obedientiam, iusti constituentur multi. Inobedientia Adami fuit transgressio mandati diuini: Ergo Christi obedientia,

non solum in morte; sed etiam in tota præcedente legis obseruatione consistit. Item, inobedientia illa Adami, tota nobis imputatur: cur non igitur & tota Christi obedientia? Bisariam item per inobedientiam Adami factum sumus peccatores: nempe per imputationem transgressionis illius, & per realem peccati, id est, concupiscentie in nos deriuationem. Cur igitur de Christo non idem sentiamus? Vis obedientiae illius erga mandata Dei Patris, nobis reapse communicatur, ita ut incipiamus obdire & nos legi Dei. Quid ergo prohibet, quin dicamus, totam illam obedientiam nobis imputari? I. Corin. I. Factus est nobis sapientia à Deo, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Phil. 2. Factus obediens usque ad mortem: propter quam humiliationem & obediētiā usque ad mortem, Deus exaltauit illum, & nos in ipso, &c. Promeritus est & sibi, & nobis, sua obedientia, æternam gloriam: sicut omnes Scholastici & Patres docent.. Ergo illius, etiam obedientia erga legem, nobis imputatur ad iustitiam.

Gal. 4. Factus est sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.. Ergo legem seruavit propter nos, nostrāq; salutem. Testimonia Patrum: item doctorum virorum huius seculi, breuitatis causā omittimus.. Ad summam: credimus de Christo, sicut propter nos homines, & propter nostrā salutem descendit de cœlis, & incarnatus est: sic etiam eandem obcausā, cum seruasse legem, & omnia egisse.

## IN CAPVT XXV.

*Aphor. 10. & 11.*

Cum hanc conscriberem fidei cōfessionem, omnia  
ex bo-

**e**x bona conscientia scripsi: Et sicut credidi, sic etiam liberè locutus sum: ut faciendum esse docent sacræ literæ. Fides autem mea, nititur cum primis & simpliciter verbo Dei: Deinde non nihil etiam communis totius veteris Catholice Ecclesie consensu, si ille cum sacris literis non pugnet. Credo enim quæ à pijs Patribus, in nomine Domini congregatis, communis omnium consensu, citra ullam sacrarum literarum contradictionem, definita & recepta fuerunt: ea etiam (quanquam haud eiusdem cum sacris literis, autoritatis) à Spiritu sancto esse. Hinc fit, ut quæ sunt huiuscmodi: Ea ego improbare, nec velim, nec audeam bona conscientia. Quid autem certius ex historijs, excōcilijs, & ex omnium Patrum scriptis: quām illos ministrorum ordines, de quibus diximus, communis totius Republicæ Christianæ consensu, in Ecclesia constitutos, receptosque fuisse? Quis autem Ego sim, qui quod tota Ecclesia approbavit, improbem? Sed neque omnes nostri temporis docti viri, improbare ausi sunt: quippe quinorunt, & licuisse hæc Ecclesie, & ex pietate, atque ad optimos fines, pro Electorum ædificatione, cæomnia fuisse profecta & ordinata.

Huius rei confirmandæ caussa, placuit hic inserere, quæ de ijs rebus scripta reliquit Mart. Buc. p. m. vir singulari & pietate & eruditio[n]e clarissimus, in epistolam ad Ephesios.

Verbi vero administratio, cum fiat lectione & receptione diuinarum scripturarum, earum denique interpretatione, & explicatione, indeq[ue] desumptis ad hortationibus, tum repetitione & Catechismo, qui mutuis persicitur Catechizantis & Catechumeni interrogationibus, atque responsionibus: item sanctis collationibus atque

Doctoris  
veri officia  
septem.  
»  
»  
»

difficiliorum religionis nostræ quæstionum excussionibus: secundum hanc multiplicem doctrinæ salutaris dispensationem, multiplicata etiam sunt huius functionis munera. Quicquid enim ad perfectissimam docendi rationem pertinet: id in administratione doctrinæ salutis,

*Legendum est summo studio adhibendum: quia nimirum tradi deputo, viuebet scientia, omnium ut diuinissima, ita & difficillima, di secundū viuēdi Deum, cùm sis homo. Qui iam diligenter artes do-*

*videndi Deum, vel certis libris comprehēsas, vt si qui mathemata insituant docere ex Euclide: ij primū omniū legent & recitabunt propositū librū: mox voces singulas non vulgo notas, vt quæq; ars sua propria habet verba & nomina, explicabunt. Inde si qua collectio & argumentatio cōcisiō sit, explanāt àrālūtē, pluribūsq; exēplis illustrant: ex præceptis generalibus docent particularia, quámq; latè illa pateant, edocēt: quod est propriè docere. Hęc verò, quamquā fideli traditione doctrinę, nō est contentus verè fidus dōctor, repetit etiā & exigit quæ docuit: præstoq; se exhibet discipulis, vt de quib. reb. dubitat, petere ab ipso queant explicationem planiorem. Prēterea quæ docuit, proponit etiam publicis disputationib⁹ excutienda, vt nihil omnino remaneat dubij. Ad hęc adhibet etiam s̄pēadhortationes ad promouendum probē in propria doctrina: & dehortationes ab ijs, quibus impediri possint: item admonitiones atq; reprehēsiones & obiurgationes generales. Postremo obseruat talis præceptor diligenter, quid quisq; discipulorum proficiat: & si quæ animaduerterit officij: si quæ cernit gnauiter pergere in discendo; eum appellat subinde, collaudat, atq; vt studiū eius magis magis que prosequatur, inflamat. Has omnes septem rationes docēdi ver docendi, Christus Dominus ipse quoq; seruauit. In syna-*

*goga*

goga Nazarethana legebat caput ex Ies. 61. & interpretabatur, Luc. 4. Præcepta Dei explicauit in monte, Mat. 5. Et passim docuit: & hortatus est: reprehendit & obiungauit ex verbo Dei. Interrogantibus quoque sese, omnibus bonis & malis respondit: ac inuicem interrogauit, vt Matth. 22. Discipulos subinde catechizauit: ipse quoque Catechismo interfuit, Luc. 2.

Cum itaq; adeo multiplicem operā requirat ministerium docendi: plures etiam ministrorum ordines sunt huic ministerio deputati: & primi omniū lectores, quorum munus erat in pulpito, loco editiore, diuinās scripturas recitare. Hæc verò diuinārūm scripturārūm recitatio in hoc fuit instituta; vt & lingua ratiōque loquendi scripture, ipsaq; scripture populo tota redderetur notior atque familiarior. Intra annū enim omnes sacros libros populo recitabant: cum ij qui scripturas enarrabant, nō possent nisi aliquam partē scripturārum, nec eam magnam vno anno explicando absoluere. Interim autem populo persolam diuinorūm librōrum recitationē confirmabatur mirificè cognitio omniū dogmatū salutis nostrę: nā illa in singulis sacris libris itentidem repetuntur, & alijs atq; alijs nominibus explicantur, vt populus semper ex sequenti lectione disceret non pauca, quæ ex priori planè percipere nondū poterat: eadēmq; opera confirmabatur iudicium populo, de omni religione nostra, vt de scripturarū quoq; explicationib; atq; omni doctrina, quę illi afferebatur, vel per legitimos Ecclesiæ curatores, atque doctores, siue per alios. His de causis magni fuit habitū in priscis Ecclesijs & hoc munus diuinās scripturas simpli citer populo recitandi: nec delecti ad hoc ministeriū fuerunt, nisi de singulari pietate commendati. Quod cum ex alijs veterum monumentis cognoscere licet, tum

maxime

maximè ex una & altera Divi Cypriani Epistola perspiciatur: ut ex epistola 5. lib. 2. de Aurelio ordinato lectori: & epist. 22. lib. epistola 3. de Saturo, atque in libro quarto de Celerino Cœlestino. His lectoribus adiuncti postea sunt & Psalmæ, qui decantandis Psalmis & Hymnis præterant. De legendis scripturis, gratia Domino, probè constitutū est in Ecclesijs Anglicanis: si idonei modò instituerentur lectores, qui dignam diuinis ministerijs, quæ lectionibus sacris recitantur, adhiberent grauitatem atque religiōnem. Diligēter ergo perpendatur, cuius se os præbeant, qui diuinos libros populis in sacris cœtibus recitanti: mirum Dei omnipotentis: tum quanti sint momenti, quantæ dignitatis, quæ recitantur, quæ verba sunt, & precepta vitæ æternæ: postremò, quibusnam hominibus, & ad quam rem deseruire debeant sacrarum scripturarum lectors. Nam Filijs Dei, quorum pro salute sanguinem suum fudit primogenitus Dei Filius, administrare debent; quibus salus eadem illis magis magisque patefiat, & perficiatur. Quæ si quis secum reputet vera fide, quid possit grauitatis, decentiæ, religionis, vlla in actione adhiberi, quod eiusmodi lector queat prætermittere? Id verò semper, qui hoc funguntur munere, in conspectu animi sui debent habere: ad ædificationem fidei in audiētibus, quæ præleguntur, debere efficaciter deseruire: idque tum demum fieri, cù mea & probè intelliguntur, & vt Dei verba excipiuntur. Ad vtranque autem pronunciatio requiritur sumimè perspicua, diserta, grauis & religiosa. Vnde deprehenditur, illos non esse Christi ministros, qui sic recitant diuinas scripturas, ac si id unum requireretur, vt quam minimum moræ in huiusmodi relationem insumeretur.

Alterum iam munus est, doctrinæ dispensanda in terpe-

terpretatio, id est, verborum & sententiarum simplicior explicatio. Hoc ministerium Episcopi obibant, & presbyteri: nonnunquam tamen ex ordine diaconorum: atq; subdiaconorum: aliquando etiam ex laicis ad hanc adhibebat functionem, quos deprehendissent per Spiritum sanctum ad eam utiliter obeundam, factos idoneos. Sic Origenes etiam laicus, ad hoc munus ascitus fuit in Ecclesia Cesareae Palæstinæ per Alexandrum Episcopum Hiltanum: & per Theoctistum, eiusdem Cæsariensis Ecclesiæ episcopum. Item Euelpis à Neono Episcopo Latendorum: & Paulinus à Celso Episcopo Iconiensi: & Theodorus ab Attico Episcopo Synadorum. Hæc leguntur apud Eusebium lib. histor. Ecclesiast. 6. cap. 20: & ex epistola duorum illorum Episcoporum, Alexandri Hierosolymitani, & Theoctisti Cæsariensis, Episcoporum in Palæstina, ad Demetrium Episcopum Alexandrinum, qui factum horum duorum Episcoporum de Origene reprehenderet, tanquam inauditum esset, laicum hominem præsentibus Episcopis, verba ad populum in Ecclesia facere. Istud verò isti Episcopi affirmant manifestè, verum non esse, sed sanctos consueuisse Episcopos, quos in laicis cogouissent idoneos, ut utilitatem aliquam populo interpretandi scripturas, & docendo afferent, eos hortatos fuisse, ut etiam se præsentibus, hoc ministerio fungerentur. Et secundam itaque & tertiam sacri ministerij partem, interpretationem scilicet & doctrinam: Episcopi atque presbyteri præcipue administrabant per se: atamen & ex inferioribus ordinibus atque ex laicis, si quos animaduertissent, ad hoc munus idoneos sibi *παρεγγέλμενος* adiungebant. Ad eundem modum administraverunt Episcopi & presbyteri, & quartam tradidæ doctrinæ partem, quæ est, ex diuinis libris explicatis adhortari ad officia.

2. &amp; 3.

4.

- cia pietatis, dehortari à peccatis, & omnibus rebus que cursum queant piæ sanctæq; vitæ vlla ex parte remorari, aut impedire: peccates reprehendere atq; obiurgare, pœnitentes consolari: quanquā istam functionem episcopi & presbyteri maximè ipsi præstiterūt, propterea quòd co maiore requirat autoritatem i Tim. 5. Quintam partem, Catechismos nunc ptesbyteris, nunc Diaconis, nunc inferiorum ordinū ministris cōmendauerunt, prout quisq; magis ad hoc genus docendi apparuit idoneus. Ita & Origenes Catechista erat Alexandriæ, lib. 6. Euseb. Cæsa. hist. Ecclesiast. cap. 13. & 20. Sextam etiam partem, sanctas disputationes deferebant cuíque magis idoneo: tametq; maxima ex parte ipsi episcopi his præfessent. Septimā partem priuatam appellationem, admonitionem, etiā Episcopi per se facere studuerunt: singulos autē presbyteros, grauiorēsq; ex inferioribus ordinibus, vt idem ficerent, semper hortati sunt i Thes. 5. Itaque doctrinę ministeriū obire debent lectores, diuinās scripturas recitando: Episcopiverò interpretando, & docendo, hortando, disputando, priuatimq; appellando: quin & legendο atq; catechizando, si desint peculiares lectores & catechistæ. Cæterū catechismos committebant certis presbyteris, atq; Diaconis, vel etiam delectis ad hoc ex inferioribus ordinibus. Sicut etiam ex his ad munera interpretandi, atq; docendi ac disputandi adhibebant, quo scūnq; ad ista munera reprehendissent idoneos, in quo quis sacri ministerij ordine, ac etiā, vt dictum, ex laicis. Id verò in his diligenter obseruandum: Spiritum sanctum quidem sic dona hæc docēdi dispertire suis hominibus, vt vni det donum, & facultatē singularem scripturas interpretandi, & elucidandi, cui tamen non dat, perinde dextrè ac feliciter religionis nostræ dogmata ex diuinis scripturis docere, atque confirmare: vel ea

vel exactim disputando commodè tueri. Alij verò sup-  
peditat facultatem peculiarem & eximiam, hortandi fra-  
tres ex scripturis, monendi reprehendēdi. itē catechizan-  
di, & priuatim appellandi: cui tamen, valere alijs docēdi  
muneribus non largitur. Hanc varietatem donorum Spi-  
ritus sancti experimur quotidie in ijs, qui publicè docent  
populum Christi, que veræ Ecclesiæ Christi sunt, & regi se  
à Spiritu sancto omnino sustinent: bæ obseruant religio-  
sè, quid cuíque in Ecclesia spiritualium facultatum sit  
donatum, & ad ipsum functionis vnumquemque, quan-  
tum in ipsis est applicant. Quocirca ad singulas docendi  
partes, singulos adhibent ministros, si in suis hominibus  
inueniant, qui ad singula docendi munera sint singulari-  
ter à Domino facti & instructi. At quia necesse est ad salu-  
tem populi Dei, vt nulla pro rorsus partiu docendi, quas se-  
ptem enumeraui, vlla in Ecclesia prætermittatur, quilibet  
ministrorū, imò & laicorum quocunque loco sit col-  
locatus in Ecclesia, debet has omnes partes docendi, quo  
ad possit, obire & legendi, & interpretandi, & docendi, &  
hortandi, & catechizandi, & disputādi & priuatim appelle-  
andi. Debet etiam quisq; de his administrandis functio-  
nibus tot sibi desumere, tantamque cuiusque partem, ad  
quot & ad quantam cuiusq; partē senserit se à Spiritu san-  
cto esse instructum. Consideretur exemplum ritè institu-  
tæ, atque distributæ domus, in qua alia munia obit Pater-  
familiâs, alia materfamiliâs: alia filij, & filiæ: alia famuli  
& famulæ: Hic dum singuli adsunt & valent, obit certe  
quisque suum munus: at si qui ex familia absint, aut non  
restitue valeant, incidit verò ministerij alicuius necessitas,  
ita quisque ei succurrat necessitati, vt sèpe viri mulie-  
rum, & mulieres virorum obeant munia, domini seruo-  
rum, & serui dominorum.

*Item de disciplina clericali.*

Tertia disciplinæ clericalis pars est: subiectio pecuniaris, qua clerici gradus, & ministerij inferioris se subiiciunt illis, qui sunt in ordine & ministerio superiori. Hanc disciplinæ partem docuit Dominus nos, & exemplo suo, qui discipulos suos futuros doctores electorum Dei, per vniuersum orbem, peculiari ad hoc munus magisterio, & quadam domestica disciplina instituit: quem imitati Apostoli, suos quoque discipulos vnuquisque habuit, quos ad sacrum ministerium ritè obeundum formaret.

Omnis enim difficilior vita functio, peculiarem quoq; ac perpetuam requirit doctrinam, institutionem ac custodiam: vti videre est in philosophia studijs, & institutione militari. Quod perpendens Lycurgus, Rem pub. Lacedæmoniorum sic instituit (vti Xenophon testatur) ne vllus in Repub. ordo sine suo proprio esset magisterio. Item & Plato in suis legibus, & Repub. requirit, ne quid omnino sit in ciuibus ἀΦέγετον. Hinc & Dominus noster, cùm vult suos sic committi inuicem, & cohædere, vt membra in corpore commissa sunt atque cohaerent: subiicit sanctè, vnumquenque suorum alijs, à quibus tanquam à membris amplioris ac latius patentis virtutis & efficacia custodiatur, mouetur & regatur. Idem præcepit Spiritus sanctus, subiicimini inuicem in timore Dei, Eph. 5.

Ista itaque considerantes sancti olim Patres, cum in presbyteri cleri ordine descripserunt, vt cæteri omnes clerici à presbyterio singulari cura custodirentur & gubernarentur. Inter presbyteros verò Episcopus, vt consul inter senatores Reipub, ita hic primam, cum totius Ecclesiæ, tum singula

singulariter ordinis clericalis vniuersi curam gereret, atque custodiam. Episcopos verò ordinauerunt singulis frequentioribus Ecclesijs, atque cuíque talium Ecclesia-  
rū viciniores, quæ in minoribus essent oppidulis vel pa-  
gis, Ecclesijs commendauerunt, eoque voluerunt pres-  
byteros atque curatores istarum Ecclesiarum, quos vo-  
eauerunt Chorépiscopos, quósque viciniori sibi Episco-  
po, & presbyterio auscultare. Quos Episcopi illi primo-  
res subinde cum omni suo clero conuocabant, & in sci-  
entia atque diligentia muneris sui instaurabant. Cùm  
verò velit Dominus, vt sui homines se mutuò comple-  
stantur, & curam sui inuicem gerant, quām longè latēq;  
possint (sunt enim Christiani omnes vnum corpus): con-  
stituerunt sancti Patres, vt Episcopi cuiusque prouinciæ  
(in prouincias enim iam omnes Romanis subiectæ ditio-  
nes erant distributæ) conuerirent vnà cum presbyteris,  
quoties quidem id Ecclesiarum usus posceret: certo ta-  
men bis in anno, déque Christi doctrina atq; disciplina,  
vt illa in quibúsque Ecclesijs administraretur, & vigeret,  
inquiererent: ac vbi peccatum esse deprehendissent, id  
corrigerent: quæ cognouissent rectè habere, confirma-  
rent, & prouicherent. Vt hæ verò synodi rectè & ordine  
administrarentur, voluerunt illis præesse & conuocandis  
& moderandis, Metropolitas, Episcopos cuiusque Me-  
tropolis: Sic enim vocabatur præcipua in vna quaq; pro-  
uincia ciuitas, vbi supremi præsidis prætorium erat: Ac  
proinde his Metropolitanis Episcopis iniunxerunt cu-  
ram quandam, & folicitudinem omnium Ecclesiarum  
per suam prouinciam: vt si quid minus rectè, vel à mini-  
stris Ecclesiarum, vel à plebis institutum, factumue in-  
tellexissent, monerent de eo in tempore: si que id suis ad-  
monitionibus nō possent emendare, vt ad corrigendum

illud episcoporum conuocarent Synodum : nam nihil iudicij illis concessum erat, quod sua propria autoritate exercerent in Ecclesijs, quæ ipse suos haberent Episcopos. Omne enim & in plebem & clerum iudicium , erat penes suum cuiusque Ecclesiæ episcopum & presbyterū: Episcopos autem iudicabat Synodus. Eoque cum Ecclesijs esset ordinandi Episcopi, constitutū erat, ut ad eandem Ecclesiam conueniret cum cunctis ( Si id fieri Ecclesiarū commodo posset ) sin, cum aliquibus, non minus tamen duobus aut tribus prouinciæ suæ Episcopis; qui electionē episcopi ( Sifaciēda adhuc esset ) gubernarent, factāmque examinarent, & in electum inquirerent quām seuerissimè, vitāmq; omnem eius & facultatē ad episcopale munus explorarent. ac tum demū ad episcopalem functionem initiantur. Quæ omnia eo erant instituta, & valebant, ut esset inter Ecclesijs & eorum ministros, quanta omnino posset esse notitia, curaque mutua : & ad arcenda atque depellenda cuncta doctrinæ morumq; offendicula, & ad fideiatq; vitæ Christo Domino dignæ adificationē sustentandam prouehendam, atq; efficiendā efficacitatem: adeò, ut si aliqui ab officio cessassent suo, cæteri Episcopi succurrerent, etiam usque ad obstinatorum abstentionē, ac etiam à munere Episcopali deiectionem. Considerentur quæ Diuus Cyprianus ad Stephanum Romanum Pontificem, de Martiano Episcopo Aretensi, qui in seclam Nouationi transierat, lib. 3. Epist. 13. tum illa quæ scripsit in Epist. 3. lib. 1. de distributa cuique episcoporum certa gregis portione: Et quæ præfatus est, & in Conc. Cathaginensi, ut scripsit ad Quirinum.

Porrò, ubi orbis Ecclesijs refertus fuit, ac ipsi quoque Metropolitani sua singulari cura opus haberent: nec enim, prout cœperant esse plurimi, ita omnes pro suo loco satis

Satis vel sapiebant, vel vigilabant / paucis enim semper & in omnibus hominum ordinibus præstantes (episcopis quibusdā primarum Ecclesiarū aliquot prouinciarū cura demādata est; vt Romano, Constantiopolitano, Antiocheno, Alexandrino, Deinde & Cæsariensi, Cappadociæ, & alijs quibusdā, prout fidelium Christi Ecclesijs multipli catis, necessitas videbatur requirere. His tamē primatibus Episcopis (quos postea vocauerunt Patriarchas) nihil omnino iuris erat in illos Episcopos alios, vel Ecclesijs, ultra quam dixi, cuīq; fuisse Metropolitæ, in Ecclesijs atq; Episcopos suæ prouincie. Quisq; suæ portioni Ecclesiarū debebat singularem curā, & solitudinē: monere quoq; Episcopos in tempore, si quid peccasset aliquis, aut in suo munere cessasset: & si nihil profecisset monendo, concilijs adhibere autoritatē. Inter hos primus locus delatus Romano: cum propter D. Petri reuerentiā, tum propter urbis maiestatē. Quam rationem secuti postea Patres, secundas tribuerūt Constantinopolitano, vt alteri Romę, sedisque imperij episcopo; cùm Antiochenus ante secundum locum inter hos Patriarchas obtinuisset.

Vt autem natura hominum vitiata ambitione semper magis elaborat, vt latè, quam vt benè præsit; Patriarchæ isti, occasione istius generalis curæ Ecclesiarum, ipsi demandatæ, pertraxerunt ad se, primū viciniorum Episcoporum ordinationē; atq; per eam ordinatio nem, sensim aliquā in tales episcopos, atq; eorū Ecclesijs arriperunt, cōfirmatūntque iurisdictionem. Quod malum cùm iam glisceret, cœpit graue existere certamen, de generali in omnes ecclesijs imperio: quod quidē primū sibi sumere conatus est Iohannes quidā Cōstātinopolitanus Episcopus, sub Imperatore Mauricio: de qua Cōtentius permulta Epistolæ, inter epist. D. Greg. li. 5. 6. 7. extant.

Tandem

Tandem sub Phoca obtinuit Romanus hunc titulum  
vniuersalis Episcopi, quo sensim abuti magis magisque  
huius sedis Episcopi coeperunt: donec occasione, pri-  
mum diuisione imperij sub Carolo Magno, postea dissi-  
dijs Principum & nationum, quibus fregerunt potestiam  
Imperatorum occidentis, atque regum aliorum: se in il-  
lam, quam nunc iactant, Antichristianam potentiam ex-  
tulerunt: oppressa primum Episcoporum, deinde omniū  
etiam regum & Imperatorum potestate. Sic itaque e-  
uertit satan omnem clericalis ordinis salutarem obediē-  
tiā, & gubernationem: Romanus enim Antichristus  
immediatum sibi sumvit imperium in omnem clerum,  
ac etiam laicos: atque Episcoporum, cùm boni essent,  
custodiam & curam erga eorum fidei commendatos dis-  
soluit. At quia omnia necesse est, vt singuli clerici suos  
habeant proprios custodes & curatores, instauranda est,  
vt Episcoporum, ita & archidiaconorum, aliorū mque  
omnium, quibuscunque censeantur nominibus, quibus  
portio aliqua commissa est custodiendi gubernandi que  
clericis autoritas, potestas: sed & vigilancia, & animaduer-  
sio, ne quis omnino sit in hoc ordine *ἀφεύγῃ*. Hacce-  
nus Bucerus, non solū fideliter recitans, verum etiam  
laudans veteris Ecclesie, in varijs Ecclesiasticarum fun-  
ctionum ordinibus constituendis: de quibus nos supra  
diximus, consuetudinem.

Fuit mihi præterea habet ratio illarum etiam Ec-  
clesiarum, quæ licet Euangeliū amplexæ sint: suos ta-  
men & re & nomine Episcopos, atque Archiepiscopos  
retinuerunt.

Quid? quod in Ecclesijs etiam protestantium, non  
desunt recipi Episcopi, & Archiepiscopi: quos mutatis  
bonis Græcis nominibus, in male latīna, vocant superin-  
tendentes.

tendentes, & generales superintendentes? Sed ubi etiam neque illa vetera bona græca, neque hæc noua malè latina nomina obtinent: ibi tamen solent esse aliquot primarij, penes quos ferè tota est autoritas. De nominibus ergo fuerit controuersia: verùm cùm de rebus conuenit: quid de nominibus altercamur? Interim, quemadmodum non improbaui Patres in ea re, de qua est quæstio: Sic etiam non possum nostrorum zelum non amare: qui ideo illa nomina oderunt, quia metuunt, ne cum nominibus, vetus etiam ambitio & tyrannis, cum ruina Ecclesiarum, reuocetur.

*Aphor. 12.*

Nam neque Christus tale caput constituit: neque veteres Patres admittere voluerunt, quia non expediebat Ecclesiæ: sed quatuor patriarchis fuerunt contenti, Rom. Constant. Alex. & Antiochen: qui omnes æqualis essent autoritatis & potestatis: & suis quíisque contentus esset finibus: quemadmodum in Concilio Niceno definitum fuit, & in alijs confirmatum: idque non sine multis & grauibus cauiss: quarum hæc, meo quidem iudicio, non est postrema, ne scilicet tyrannidi in Ecclesia fores aperi- rentur: sed potius, vt si vnuſ aliquid contra sanam Chriſti doctrinam, contrāq; libertatem Ecclesiæ, tentare au- deret: alij non minoris autoritatis Archiepiscopi cum suis Episcopis, sese opponere, & illius audaciam compe- scere, tyrannidémque frangere possent. Ecclesia respe- ctu Christi, regnum est: respectu hominum, qui in ea sunt, & vel regunt, vel reguntur, Aristocratia est,

*Aphor. 21.*

Duæ longè diuersæ sunt quæſtiones: vtrum Episco-

M m

pis, liceat etiam esse Principibus, principib[us]que esse Episcopis, suis retentis principatibus: & an qui Episcopi iam sunt simul & principes: iij præter autoritatem Ecclesiasticam: iura etiam habeant politica in ciues sibi subiectos: eoque an subditi illis tanquam principibus obedire debeant, nec ne. In meo Aphorismo nihil prouersus de priori quæstione locutus sum, quia non fuit necesse: sed tantum de posteriori. Quis autem, illis omnino obediēdunt esse, quo iure, quaque iniuria principes fuerint creati: ex testimonij[us] à me allatis non videat apertè demonstrari? Cur enim qui subditi sunt Moguntino, Coloniensi, Treuirenſi Principibus imperij simul & Archiepiscopis, in rebus cum pietate Christiana minimè pugnantibus, non obtemperent? Seditiosorum certè fuerit, non obtemperare. Quòd si istis: cur non etiam Romano, ijsdem in rebus, & eandem ob causam, qui sub eius viuunt imperio? Eadem enim horum omnium estratio.

De priori quæstione nihil (vt antè dixi) disserui: sed neq[ue] etiam nunc, in hac mea breui confessione disputare constitui: cùm sciam, non omnium eandem esse sententiam: & in vtrāq[ue] partē multa dici possint: locum illum Mat. 20. (Scitis, quòd Principes gentium dominantur in eas, & magnates potestatem exercent in eas, vos autem non sic: ) alijs uno modo, & de solis Apostolis ac verbis ministris: alijs alio modo, & de omnibus Christi discipulis ac Christianis interpretantibus.

## APPENDIX AD CAPVT XL DE Redemptore, seu de persona Christi.

Qui scribunt, essentialē diuinæ naturæ proprietates, humanæ realiter esse communicatas, non vt sint in ipsa,

ipsa, aut essentialiter & formaliter, aut subiectuè & habitualiter, sed ratione tantum & respectu unionis hypostaticæ (sic enim loquuntur, obscure sanè & ambiguè cùm clarius possent & deberent) : Si hæc non alio sensu intelligunt, quām quo Vigilius scriptum reliquit & sensit, nimirum, proprietates naturarum, Christo ipsi factas esse proprias, naturis autem inter se, non in ipsis, sed in Christo, hoc est, in persona communes : Ego certè non contradixero: nec quempiam virum bonum & doctum contradictrum esse, persuasum habeo. Vigilius enim secundūm doctrinam Catholicæ Ecclesiæ, ex concilio Chalcedonensi loquens, eodem planè sensu dixit & explicauit, proprietates naturæ humanæ communes factas esse diuinæ: quo etiam, quæ sunt diuinæ. communicatae esse dicuntur humanæ. Atqui humanitatis proprietates, puta pati, mori, ita communicatæ sunt Deitati, vt non propterea tamen Deitas ipsa facta sit reapse passibilis, mortalís: Cuius rei causa, hæc à Vigilio offertur: quia nimirum pati & mori, non nisi in persona, facta sunt Deitati communia: ita vt hæc non possint, nisi de natura humana per se, & de persona secundūm & propter humanam naturam, verè prædicti.

Ergo idem de communicatione diuinatum proprietatum sentiendum & dicendum omnino fuerit. Vigilius verba hæc sunt lib. 5. cap. 2.

Et quia nunc nobis intentio contra eos est maximè, qui errorē vnius naturæ sectantes, decreto Conc. Chalcedonensis, pertinaci obstinatione resistunt: commodū puto ad eorū inanes contradictiunculas, vitreasq; sententias, veritatis malleo obterendas, de humana Filij Dei natura, quām in eo modis omnibus negant, paucarepetere, &

**A**quām non sīnt Christiani, & à spe salutis æternæ penitus  
 alieni, demonstrare. Regula est fidei Catholicæ, vnum  
 eundémque Dominum Iesum Christum, sicut verum  
 Deum, ita verum hominem confiteri; vnum ex vtrōque,  
 non duos in vtrūque: ipsum sine tempore natum de Pa-  
 tre, ipsum ex tempore natum de virgine: ita vt vtrāque  
 natiuitas sic vnum teneat Christum, vt in nullo sui pertu-  
 lerit detrimentum: retinens in se quod est sui generis pro-  
 prium, id est, vt & verbi natura non mutaretur in carne, &  
 carnis natura non fuisset in verbo consumpta. Hinc Do-  
 minus Iesus Christus idem verus est Deus, idem verus est  
 homo: ex duabus ineffabiliter, virginali alio vnitis in  
 persona naturis, existens. Quæ naturæ, quoniam in illa  
 mirabili cōunionē non sunt in eo abolitæ: ad demon-  
 strandam vtrarūque proprietatis extantiam, in uno se  
 ipso vtriusque res locutus est atque egit: non voces diui-  
 dens, non aspectus partiens, non gesta secernens: sed ipse  
 unus in se ipsoque ex vtrōque & in vtrūque conueniens,  
 & quod proprium fuerat loquēs & peragens. Et, vt quod  
 dicimus, planum fiat, aliquo vt amur exemplo, verbigrati-  
 a: Ego ipse sum, qui oculis corporeis album colorem  
 nigrumue discerno: & ego ipse sum rursus, qui malum  
 iniquitatis, & iustitiæ bonum, mentis obtutu diiu-  
 dico: nec tamen ideo alius atque alius sum, quia vtrūque  
 mihi est ex diuerso. Non enim ipsi oculis video va-  
 riari colores, quibus video variari sermones: & tamen  
 ego sum ipse, qui ex vtrōque ago: vtrūque meum est,  
 non videre iustitiā nisi oculis mēntis, & meum est non vi-  
 dēre colores, nisi oculis carnis: & meum est non vocem  
 oculis audire, & meum est non videre lumen auribus:  
 meum est non discernere naribus gustum & meum est pa-  
 latio non percipere odoratum: Et cùm totum meum sit

in me

in me ipso, id est, videre, audire, odorari, gustare: & tamen aliud est mihi vnde video, aliud vnde audio, aliud vnde gusto odor esque discerno: & cum sit in metotum, quodam priuato iure diuersum atque diuisum: ego tamen ipse diuidi & separari non possum. Ita ergo & Christus ipse unus atque idem est, & creatus & non creatus: habens initium, & initio carens: aetate atque intellectu proficiens, & intelligentiae atque augmenta non recipiens: mortem perpetiens, & mortis legibus non subiacens: honores ob meritum accipiens, & nullo honore indigens: & cum haec omnia diuersa sint in se ipso, ipsius tamen sunt propria: & ideo voces, affectus & gesta utrumque congruentia, in se ipso non diuidet: quia ipsius est utrumque quod habet: sed unum illi est ex natura verbi, quam Deus permanens non amisit: & aliud illi est ex natura carnis, quam homo factus accepit. Adhuc dicamus quae vnam naturam affirmant manifestius: propter eos qui per imperitiam sensus naturarum proprietatem & communione, quemadmodum dicatur in Christo, non intelligentes, abutuntur & refugiunt haec nomina.

Diuersum est atque alienum, initium non habere, & ex initio subsistere: mori, & mori non posse: & tamen sicut ipsi Christo proprium est utrumque: ita non ipsi, sed in ipso est utrumque commune. Si enim dicamus, quia ipsi est commune: necesse est, ut exigatur a nobis dare & ostendere alium, cum quo ei sit hoc ipsum commune: quae professionis necessitas, in Nestorij vergit impium dogma. Melius igitur & catholicè dicimus. In ipso, & non ipsi esse commune: Et melius ipsi, & non in ipso dicimus proprium esse. Ergo proprium est illi mori, propter naturam carnis, quae mortalis est: & proprium est illi non mori, propter naturam verbi, quae mori non potest. Item

## APPENDIX.

propter ineffabile mysterium vniōnis vtrarūq[ue] natūrālū communis in ipso fuit mortalitas carnis, verbi naturæ, quæ mori non potuit: & communis in ipso est immortalitas verbi, naturæ carnis, quæ morti succubuit. Ergo sicut illi mori & non mori, ex vtrisque naturis est proprium: Ita commune est in ipso vtrisque naturis, quod illarum est proprium: & vt exempli gratia dixerim, proprium mihi est notam liuoris cuiusque verbēris gestare in corpore meo per naturam carnis meæ: Item proprium mihi est plagam verbi, id est, sermonem durum gestare in mente mea, per naturam animæ meæ: & proptimum mihi est, eandem plagam non portare, in corpore meo per naturam carnis meæ. Et cùm sit mihi vtrūque proprium; & corpori & animæ meæ vtrūque alienum: quia nec corpus, durum latumque sermonem intelligit, nec anima flagelli vulnere liuescit: vtrūque tamen commune est in me ipso, & animæ & corpori meo: quia nec anima extra corpus sita, quod ei sentire proprium fuerat, sensit: nec corpus extra animæ consortium, plagarum indicia gestauit. Quod ergo proprium mihi est in singulis, & alienum est à singulis: id commune est in me ipso singulis, quod proprium est singulis.

Et tamen ego ipse unus sum in vtrisque, & in me ipso communibus: & ego ipse unus sum in singulis mihi met ipsi proprijs. Hæc Vigilius.

Quid ad præsentem controuersiam, de reali iudicium communicatione componēdam, dici possit accommodatius? In has enim præcipuas propositiones ad causam nostram pertinentes, resolutur totus iste Vigilius contextus. Nam regula fidei Catholicæ præmissa, quæ in contextu notata est litera A: ex illa deducit certas theses,

theses, quibus hæresin Eutychis, manifestè refutat. Summa regula fidei, hęc est: vnum eundemque Christum, esse Deum & hominem: salua vtrāque in eo natura. Ex hac regula colligit Vigilius has theses.

1. Dominus Iesus Christus, idem verus est DEVS: idem verus est homo. Ratio: Ex duabus enim naturis (diuina & humana) in vna persona ineffabiliter unitis idque in alio (seu vtero) virginali, existit. Et hoc contra Nestorium: contra verò Eutychen, subdituralia thesis.

2. Hęc nature in illa mirabili cōunione, non sunt in eo (Christo) abolitę. Confirmatio subiicitur ex vita Christi: quia Dominus Iesus dictis & factis, vtriusque naturae proprietates in se ipso saluas esse monstrauit: ideo subdit.

3. Ad demonstrandam vtrarūmque proprietatis extantiam (id est, existentiam: hoc est, in se existere distinctas vtriusque nature proprietates:) in uno se ipso, vtriusque (nature) res locutus est atque egit. Hoc itidem contra Eutychen.

Sed quomodo? ita nimirum, ut ostenderit ea dicta & facta, fuisse non durarum personarum, sed vnius. Ideo contra Nestorium denuò subdit: Non voces diuidens, non aspectus partiens, non gesta secernens: sed ipse unus in seipsoque ex vtrōque (id est, ex vtrāque natura) & in vtrūmque conueniens, & quod proprium fuit (vtriusque nature) loquens & peragens.

Ex ijs verbis, duo hęc luce meridiana clarius eluccent: vnum, in CHRISTO, non duos fuisse operantes, volentes, intelligentes, sed vnum duntaxat: nempe ipsum

ipsum λόγον incarnatum, qui dicitur Christus: ideo ait,  
IN VNO SEIPSO &c: Item, SED IPSE VNVS, IN SE-  
IPSO QVE LOQVENS ET PERAGENS: hoc est primum,  
idque contra Nestorium.

Alterum est: Duo verò in eodem Christo agentes,  
fuisse & esse actionum principia, inter se distincta: ex qui-  
bus formaliter (vt loquuntur scholæ) actiones illæ, per  
agentem deducebantur: duarum nimirum naturarum  
facultates seu diuinae, idque contra Eutychen.

Et ideo subdit, EX VTRQVE (id est ex utraque  
natura) QVOD PROPRIVM FVERAT (cuiusque scilicet  
naturæ) LOQVENS, ET PERAGENS.

Quis verò hinc non videat, quæ Christus egit secun-  
dum vnam naturam: illum ea non egisse secundum alte-  
ram? EX VTRQVE enim agebat, quæ cuiusque erant  
propria: non ergo secundum humanitatem, quæ pro-  
pria erant Deitatis: nec contra.

Hæc porro confirmans, & illustrans, ad fert exem-  
plum vnius eiusdemque hominis, qui secundum diuer-  
sas animi facultates, diuersas etiam actiones edit, & ope-  
ra cuique facultati conuenientia efficit.

Simile perspicuum est per se, ibi: ET VT QVOD  
DICIMVS, PLANVM FIAT: &c.

Tantum diligenter obseruandæ sunt particulæ, non  
solum affirmatiuæ, sed etiam negatiuæ. Negat enim  
hominem oculis carnis videre, quæ oculis mentis videntur:  
Et contra. Negat igitur etiam Christum, secundum car-  
nem agere: quæ secundum Deitatem operatur. Hoc clara-  
re explicat, cùm ad Christum accommodans exemplum,  
præter alia dicit de Christo, SED VNVM ILLI EST EX  
NATVRA VERBI, QVAM DEVVS PERMANENS NON A-  
MISIT:

MISIT: ET ALIVD ILLI EST EX NATURA CARNIS,  
QUAM HOMO FACTVS ACCEPIT. &c.

Item notandum est, Vigilium tam negare, Christum ex carne, idest, secundūm carnem agere, quæ Deitatis sunt propria: quām negat etiam eundem secundūm Deitatē passum esse & egisse, quæ propria fuerunt carnis.

Subdit præterea Vigilius specialem de proprietate & communione naturarum explicationem: eāmq; perspicuam & certam: cū māit: AD HVC DICAMVS MANIFESTIVS PROPTER EOS &c. Summa hæc est:

4. Vtriūque naturæ proprietates, ipsi Christi personæ, sunt propriae: naturis autem inter se communes, non in ipsis in naturis, sed in persona. Explicatio hæc est.

Mori enim (quæ est proprietas carnis) proprium est Christo. Quòd enim dicatur mortuus esse: id propriè dicitur propter humanam naturam, quæ in ipso est. Non morietiam eidem proprium est: propter naturam diuinam ipsius propriam, quæ mori non potest.

Mori itidem, commune est verbo seu Deitati Christi: non in ipsa natura diuina, quippe quæ mortis particeps esse non potest: sed in persona commune hoc illi fuit cum carne, quia persona carnem sustentans, in carne mori potuit, & mortuus est Christus. Idem de altera parte dividū ac sentiendum est: quemadmodū ipse Vigilius explicat: addito etiam exemplo sui, id est, hominis: cū māit, ET, VT EXEMPLI GRATIA DIXERIM &c. Nihil in hoc exemplo est obscurum.

Diligenter verò notanda est conclusio, vbi ait: QVOD ERGO PROPRIVM MIHI EST IN SINGVLIS, ET ALIENVM EST A SINGVLIS: ID COMMUNE EST IN ME IPSO SINGVLIS, QVOD PROPRIVM EST SINGVLIS: ET TAMEN EGO IPSE VNVS SVM IN VTRISQVE, ET

IN ME IPSO COMMVNIBVS: ET EGO IPSE, VNVS SV  
AN SINGVLIS MTHIMET IPSI PROPRIIS,

Nihil ad quæstionis de reali proprietatum communicatione, explicationem, dici potest clarius. Primum enim docet, proprietates vnius naturæ ita esse illius proprias, vt ab altera natura, prorsus sunt alienæ, atque ita alienæ, vt nullo modo in sua ipsius  $\sigma\alpha$ , communes fieri possint: hoc est, ita realiter communicari, vt ipsa quoque fiat vel id, vel talis, quod & qualis est altera natura: pura, vt humanitas fiat vel Deitas, vel omnipotens, quæ ad modum nec contra Deitas, humanitas, vel passionis pateticeps fieri potuit aut potest.

2. Deinde, disertis verbis tradit, proprietates cuiusque naturæ, esse Christo proprias: quia nimis illius in se ipso proprium est, v. g. pati, ex una sua natura, & non posse pati ex altera: ita vt hoc cum nulla re alia habeatur commune: vel in coelo, vel in terra, vel in seipso. Nam nihil aliud præter ipsum, est Deus & homo simul: & neutra in eo natura, alterius quoque naturæ proprietates, præter suas, in sua habet  $\sigma\alpha$ . Solius igitur Christi Dicitur & hominis est, essentiales cuiusque naturæ, diuinæ & humanae, realiter in se ipso habere proprietates eoque sibi proprias:

Quare hinc etiam liquet id, quod ante de communicatione dictum est: Si enim hoc personæ Christi proprium est, vt de ipso hæc contraria, v. g. pati, & non posse pati, verè & reapse prædicentur, non tamen simpli citer sed  $\pi\alpha\tau\alpha$ , hoc est, secundum alteram Christi naturam: Ergo neutri illius naturæ seorsum hoc congruit: nempe, vt eadem natura, verè & realiter dici possit, & pote potuisse, & non potuisse pati, in sua  $\sigma\alpha$ .

Qnas

## APPENDIX.

23

3. Quas Christo proprias esse dixit naturarum proprietates: eas communes quidem ipsis, verum non in ipsam naturam; sed in persona factas esse docuit. Putat, quod est proprium humanae naturae simpliciter & per se, in sua  $\sigma\tau\alpha$ , personae autem proprium est  $\kappa\alpha\tau\alpha$ , id est, secundum carnem tantum: haec inquam essentialis carnis proprietas, propter unionem, quam caro cum Deitate ipsa habet in eadem  $\sigma\tau\alpha$ ; facta est ipsis etiam naturae diuinae cum humana communis: quomodo communis? nempe, ut ipsis quoque diuinae,  $\kappa\alpha\tau\alpha$  verè attribuatur.

Sed quomodo, cum passio in illam cadere nequeat? Commune est igitur illi  $\kappa\alpha\tau\alpha$ , non in ipsam  $\sigma\tau\alpha$  (ea enim pati non potuit, nec potest): sed in Christo, hoc est, in persona Christi, quae duabus constat naturis: Et ideo, quae  $\kappa\alpha\tau\alpha$   $\zeta\alpha\rho\mu\alpha$  duntaxat passa est: ita ut passio in propria quidem Deitatis  $\sigma\tau\alpha$  nulla, sed in communiduntaxat persona, propter carnem haret: ac proinde etiam Deus quidem passus esse dicatur, cum tamen Deitas nihil sit passa, sed tantum persona Dei & hominis, id est, ille qui Deus est & homo,  $\kappa\alpha\tau\alpha$   $\zeta\alpha\rho\mu\alpha$ . Repeto: Proprietates v. g. humanae naturae, puta pati posse & mori, ideo dicuntur esse COMMUNES Deitati: quia haec quoque illas habet. Si enim nullo modo haberet: nullo etiam modo dici possent huic ille factae esse cum carne communes.

Ideo verò dicuntur communes esse Deitati cum humanitate, non simpliciter, sed <sup>in</sup> ipso CHRISTO: quia illas non habet in seipsa, hoc est, in sua  $\sigma\tau\alpha$ , sicut caro habet: sed solum in persona CHRISTI, quae una & eadem est utriusque naturae hypostasis, cum in utraque subsistat.

Anima etiam proprietates corporis, sibi communes habet, non in sua  $\sigma \tau \alpha$ , sicut corpus; sed in persona hominis, qui sicut vtraque, tanquam partibus essentialibus constat, sic etiam utriusque in se realiter habet proprietates: ut verè dici possit & visibilis esse, & inuisibilis: mortalis & immortalis.

Quod verò dictum est de proprietatibus humanae naturæ, cum diuina communibus, non in propria eius  $\sigma \tau \alpha$ , sed in communivtriusque naturæ persona: idem de diuinis cum humana, sentiendum ac dicendum esse, docet Vigilius Episcopus & Martyr:

**1.** Cum hæc ita se habeant re ipsa: hinc sequitur, quales de hisc rebus, concipi veræ possint enunciations: Si proprietas carnis, puta **P A T I**. communis est aliquo modo Deitati: Ergo aliquo modo de illa prædicari potest. Si non est ei ita communis, ut eam habeat in se ipsa, seu in sua  $\sigma \tau \alpha$ , neque ut partem suientiale, neque ut accidens in subiecto: Ergo Deitas dicinon potest, sua  $\sigma \tau \alpha$  esse passioni obnoxia.

**2.** Si verò est ei communis in persona tantummodo: Ergo **P A T I** de Deitate, in abstracto prædicari non potest: sed tantum in concreto: hoc est, tali nomine, quo ita notetur Deitas, ut persona connotetur: qualia sunt nomina concreta, ut Deus.

Hoc enim nomine, quatenus significatur persona Christi, qui Deus etiam est, non nudus homo, verè & realiter dicitur Deus, passus & mortuus esse: non simpliciter tamen, & secundum etiam Deitatem, sed tantum  $\kappa \alpha \tau \alpha$  Cæpsa: cuius proprium est pati & mori. Quare, ut hæc est verissima, Deus passus est: sic hæc altera falsoissima, Deitas passa est: vel Christus secundum naturam etiam diuinam passus est. Hæc est doctrina Vigilij, & totius Ecclesiæ.

Cum

Cum autem quæ tradit Vigilius, de naturarum proprietatibus & cōmunione, de omnibus ex æquo proprietatis & illarum cōmunione in Christo dicantur: ita ut propter vniōnem hypostaticam, eodem sensu diuinæ dicantur factæ esse communes humanitati, quo etiam humānæ, Diuinitati: nempe, non in ipsarum naturarum ~~sc̄ias~~, sed tantum in Christo, personāque Christi: Sequitur, sicut hæc propositio impia est, Deitas propter vniōnem cum carne in persona Filij Dei, facta est in sua ~~sc̄ia~~ passionis particeps: sicutiam hęc sit blasphemia: humana natura, propter vniōnem cum diuina, ab illa accepit, vt in sua ~~sc̄ia~~ realiter sit omnipotens, &c.

Si iam his addantur, quæ idem Vigilius, ex communione totius Ecclesiæ Catholice consensu scripta reliquit, lib. 4. cap. 4: Luculentior fiet hęc, quam ex eo modò monstrauimus, doctrina. Disputans enim aduersus Monophysitas, à diuersis proprietatibus, quæ in uno codēmine Christo spectate fuerunt, & quas prædicant sacrę litterę: luculenter euincit, non posse in eo VERBUM & carnem, vnam esse naturam: rationem adfert, quia vna natura, contrarium quid & diuersum, non recipit in se ipsa: Preter alia, hæc quoque scribit: Deinde si verbi & carnis vna natura est: quomodo cūm verbum vbique sit, non vbique inueniatur & caro? Nämque quando in terra fuit, non erat vtique in cœlo: Et nunc quia in cœlo est, non est vtique in terra, & in tantum non est, vt secundūm ipsam Christum spectemus venturum de cœlo, quem secundūm verbum nobiscum esse credimus in terra. Igitur secundūm vos, aut verbum cum carne sua, loco continetur, aut caro cum verbo vbique est: quando vna natura contrarium quid & diuersum non recipit in seipsa. Diuersum est autem & longè dissimile, circumscribi loco, &

vbique esse: & quia verbum vbique est, caro autem eius  
 vbique non est: appetet, vnum eundemque Christum v-  
 ttiūsq; esse naturæ: & esse quidem vbique secundum na-  
 turam diuinitatis suæ, & loco contineri secundum natu-  
 ram humanitatis suæ: creatum esse, & initium non habe-  
 re: morti subiacere, & mori non posse: quod vñ illi est  
 ex natura verbi, quâ Deus est: aliud ex natura carnis, qua  
 idem Deus homo est. Igitur vñ Dei Filius, idemque ho-  
 minis factus Filius, habet initium ex natura carnis suę, &  
 non habet initium ex natura diuinitatis suæ: creatus est  
 per naturam carnis suæ, & non est creatus per naturam  
 diuinitatis suæ: circumscribit per naturam carnis suę,  
 & loco non capitur per naturam diuinitatis suæ: minor  
 est etiam Angelis per naturam carnis suæ, & æqualis est  
 Patri secundum naturam diuinitatis suæ: mortuus est na-  
 turâ carnis suæ, & non est mortuus naturâ diuinitatis suæ.  
 Hæc est fides & confessio catholica, quam Apostoli tradi-  
 derunt, martyres roborauerunt, & fideles nunc usque cu-  
 stodiunt. Hæc Vigilius.

Ex quibus idem, quod ex præcedentibus evincitur:  
 nempe, non solum vnius naturæ esse non posse, V E R B U M  
 & carnem, ut volebant Monophysitæ: sed etiam proprie-  
 tates vnius naturæ, alteri realiter communicari non pos-  
 se: ita nimirum, ut eas habeat in se ipsa, & talis fiat vna na-  
 tura, qualis & altera, puta vt C A R O , propter vñionem cuni-  
 V E R B O , cum eodem etiam V E R B O facta sit vbique pre-  
 sens sua g̃riga. Ab hac enim propositione, tanquam in  
 confessio apud omnes orthodoxos posita, nempe, C A R O  
 propter vñionem cum V E R B O , non est consecuta hanc  
 proprietatem V E R B I , ut nimirum ipsa, cum verbo ubi-  
 que sit sua substantia præsens: ab hac inquam proposizio-  
 ne concludit, Ergo neque facta est eiusdem naturæ cum  
 V E R B O

**V E R B O.** Hoc certè est argumentum Vigilij, imò totius Ecclesiæ Catholicæ. Quid restat? Hoc vnum, ut si dicenda sit esse ubique præsens: non alia ratione, quām sua ~~carne~~, quæ est ipsum V E R B U M, ubique præsens esse dici queat.

In natura enim Christi humana, duo tantum sunt: propria ipsius naturæ ~~et~~ cum suis proprietatibus ac creatis donis: Et communis cum diuina ~~carne~~, quæ est ipsum V E R B U M. Propria ~~carne~~ finita est, eoque uno tantum loco esse potest: ~~carne~~ infinita, & immensa est ac simplicissima. Hæc igitur sola, non autem propria ~~carne~~, ubique præsens esse potest, & re ipsa est caro Christi.

Quod verò de hac proprietate dictum est: idem de omnibus tam V E R B I, quām C A R N I S, sentiendum est. Nam in præcedenti etiam argumento contra Monophysitas, libro 4. cap. 4. idem conclusit, à quibusdam V E R B I proprietatibus, vt est, esse increatum, inuisibilem, incontrebilem: dixitque, impossibile esse, vt ijs conditionibus C A R O subiaceat. Hinc conclusit, C A R N E mero-  
go vnius naturæ cum V E R B O, esse non posse: cùm fieri nullo modo queat inuisibilis, increata, incontrebilis: intellige in sua ~~carne~~: cùm tamen in sua ~~carne~~, quæ illicum V E R B O communis est, reuera sit, sicut ubiq; præsens, sic etiam increata, inuisibilis, incontrebilis, & quid non, quando eadem ~~carne~~, D E V S etiam est? Hæc omnia certa sunt, & plana, & ab illa infallibili regula, quām lib. 5. capite 2. tradidit, pendent, videlicet: Melius igitur & Catholicè dicimus: In ipso: & non ipsi esse commune: Et melius ipsi, & non in ipso dicimus primum esse.

Precor omnes Christianos, per Dominum Iesum:  
 vt positis vanis priuatorum hominum: somnijs: positis  
 etiam proprijs carnis affectibus, odijs, inimicijs: ample-  
 xi verò certam ac salutarem veteris Ecclesiæ doctrinam,  
 Christianamque dilectionem: coëamus omnes in vnam  
 fidem, sanctamq; amicitiam: sicut nobis quoque omni-  
 bus vnu est Deus, vnu Mediator, vnum Baptisma, vna  
 spes vocationis nostræ: ad gloriam nominis Dei, Ecclesiæ  
 ædificationem, salutemque animorum nostrorum. Ci-  
 tius enim quām putamus, sistemur ante tribunal Christi,  
 vt referat vnu quisque prout se gessit in corpore, &  
 in hac vita, quando post hanc vitam nulla  
 spes veniæ nullus resipiscen-  
 tiæ locus est.

EIVS.



# EIVSDEM ZANCHII THESES.

*De precipiis aliquot fidei Christianæ articulâ, aduersus varijs heres, varijs temporib; partim Heidelbergæ, partim Neustadij disputata.*

 Nquem finam, ego Confessionem hanc cum obseruationibus in lucem dedi: eandem ob causam, hasce varijs de rebus, hoc tempore entre uersis theses, partim sub p. m. Friderico III. Heidelbergæ, partim sub Iohann. Casimiro, huius scholæ auctore, domino clementissimo, hic Neustadij, aduersus varijs heres, proprieatis collegi: atque ut simul collecti, vna cum missione confessione imprimerentur, curauit: nimil uera, vt toti posteritati, me in tales heres, quæ hac nocte ex parte ab inferis reuocatae fuerunt, nunquam consensisse, clarius innotescat: idque ad gloriam Dei, ad ædificationem Ecclesie, & ad salutem multorum, per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

DE VNO VERO DEO,  
AETERNO PATRE, FI.  
lio, & Spiritu S.

THESES.

Anno 1572.

I.

VNs tantum est Iehoua, creator cœli & terræ, &  
Deus Israëlis.

OO

## II.

Iste verò Deus, et si vñus tantum est Iehoua, non vñus tamen est, sed plures Elohim: quorum numerum, & nomina, Filius Dei, Deus in carne manifestatus nobis clare, & sine vila ambiguitate reuelauit: nempe æternus Pater, æternus Filius, & æternus Spiritus sanctus.

## III.

Porrò hi tres Elohim vera sunt Ὡραίμεναι, cāque indiuidua, viuentia, intelligentia, volentia: eoque vero (vt haec tenus loquuta est Ecclesia) personæ.

## IV.

Atque ita inter se sunt distincti, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vt vñus non sit alius.

## V.

Ipsorum autem vñus quisque verus est Iehoua.

## VI.

Neque ideo tamen plures sunt Iehouæ: sed vñus duntaxat Iehoua.

DE VNIVS VERI DEI,  
NATVRA, SIMPLICITATE,  
atque immensitate.

THESES.

Anno 23.

## I.

NATVRA Dei nomine, non solum ipsius essentia, simpliciter in se considerata; verum etiam omnes eius proprietates, seu attributa, quibus qualis sit, nobis nostrâque caussa declaratur; significari solent.

## II.

Meritò itaque dici solet Deus, sua natura clementis, spiens, bonus, & alia id genus esse.

## III.

## III.

Etsi verò qualitates multas, huic suę naturę similes, indere hominibus solet, quibus sumus iusti, boni, sapientes; suam tamen naturā nulli creatęrei cōmunicat, quòd neque communicari queat, nisi plures fieri possint dij.

## IV.

Est autem præter alia Deus, simpliciter simplex; vt nullo planè modo dici possit pluribus ex rebus compositus, ne ex esse quidem & essentia.

## V.

Etsi enim multa sibi in sacris literis, quasi multas qualitates attribuit, vt quòd sit iustus, bonus, potēs, reue-  
ra tamen in Deum nulla cadit qualitas: sed qualis qualis est, sua simplicissima essentia talis est: verū varijs nomi-  
nibus infinita simplicissimæ essentiæ perfectio nobis si-  
gnificatur.

## VI.

Non solū autem nullam admittit in se composi-  
tionem Deus; sed neq; in vlliis rei creatæ concretionem  
venit, ita vt cius fiat vel forma, vel materia.

## VII.

Est præterea Deus verè immensus & infinitus; & ideò etiam vbique præsens: idque non potentia tantum & vir-  
tute, sed tota sua essentia: cœlum & terram atque omnia  
implens.

## VIII.

Etsi verò vbique præsens est sua essentia: magis ta-  
men in cœlis esse prædicatur, quam in terris; & magis in  
sanctis, quam in impijs; magisq; in uno pio, quam in alte-  
ro: Verū id non ratione suæ essentiæ, sed efficacitate  
operationis & gratiæ.

## IX.

Quare quum etiam in sacris literis legitur Deus, aut à nobis recedere, aut ad nos redire; non mutatione loci id facere credendus est: sed effectis suæ præsentiae, cùm internis, tum externis; vel exerendis, vel subtrahendis.

## X.

Cæterum in humana Christi natura longè alia illustratione, quam in nobis, nempe non solum efficacius operando, verum etiam *in quaestu* inhabitando, & tanquam pars compositi; vt ille sit verus Deus, nos autem esse non possumus.

## XI.

Est porrò ita Dei proprium, esse immensum & infinitum, ac proinde etiam ubique præsentem; vt in nullam planè rem creatam, ne in humanam quidem Christi naturam, competere possit.

## XII.

Quemadmodum enim fieri nequit, vt creatura fiat Deus essentia; ita neque fieri potest, vt quod Deus non est, sua essentia ubique existere possit; cùm neque infinitum esse queat, & immensum.

## XIII.

Proinde sicut ex eo, quod demonstratur Christum esse ubique sua essentia, verè etiam euincitur ipsum esse verum Deum: sic si qui contendant corpus Christi sua substantia ubique existere, ij, aut ex illo argumento Christi Deitatem probari negent, aut nouum fabricent Deum, cùmque corporeum, oportet.

## XIV.

Præsens quidem est corpus Christi, sua non solum virtute, sed etiam substantia, piorum omnium mentibus,

bus, illud vera fide percipientibus, eoque per Christi Spiritum cum ipso Christo magis ac magis coalescentibus; non minus, immo magis, quam Sol omnium se videntium oculis: Sed tamen multis in locis simul, nedum vbiique, tam existere potest corpus Christi, eo existendi modo, quo est in celo; quam etiam Solis corpus in omnibus cœli terraque partibus, ea ratione, qua in suo est orbe, existere queat.

## XV.

Neque tamen hinc sequitur (ut quidam impudenter calumniantur) negari æternam, veramque Christi Deitatem: Sed contraria potius esseritur; cum talis esse Deitatis ολόγονο, defendatur, quæ in nullam rem creatam ita effundi possit, ut ea aut Deus fiat τὸ σῶμα, aut Deo diuina villa proprietate æqualis.

## XVI.

Neque enim verus Deus esset ολόγονο; si qualis ipse est, talis omnino fieri quoque posset aliqua creatura; etiam spiritualis, nedum humanum corpus.

## XVII.

Ex aduerso potius, qui ita in Christi humanitatem effusas esse volunt diuinæ, essentialisque proprietates, ut tam hæc sit omnipotens, & vbiique, quam ipsius Deitas; non solum amplissimam aperient Arianis ianuam, sed ipsi veram Christi Deitatem tollunt.

## XVIII.

Etenim is verus Deus non est, cuius essentia & natura, ita realiter in aliquam rem creatam effundi potest, ut ipsa quoque talis omnino fiat, qualis est iste Deus: realiter & per se, infinitè potens, infinitè sapiens, in infinitum (ut ita loquar) sese extendens, & ea re vbiique sua essentia, actu existens.

## XIX.

Nam essentiales proprietates Dei re ipsa nihil aliud sunt, quam ipsa eius essentia: quia alioqui simplicissima esse non posset.

## XX.

Dicere itaque humanitatem Christi, tam factam esse omnipotentem, & ubique presentem, quam est eiusdem Deitas: perinde est, atque si dicas, eam factam esse talam sua essentia, atque natura, ac proinde verum Deum.

## XXI.

Talis autem Deitas vera Deitas non est: ideoque, ο λόγος (quæ horrenda est blasphemia) verus non fuerit Deus.

## XXII.

Addi quod non solum absurdissime, verum etiam impissimè dicitur, proprietates diuinæ naturæ in humanam effusas esse.

## XXIII.

Nam neque legimus unquam τὸν λόγον ullam esse eius proprietatem fuisse in semen Abrahæ effusam; sicut contraria semen Abrahæ fuisse à Filio Dei assumptum: Neque τὸν λόγον proprietates effundi in humanam potuerunt natum, sine naturæ ipsis, essentiæque diuinæ effusione: cum ille nihil aliud re ipsa sint, quam essentia diuina.

## XXIV.

Non potest autem natura diuina transfundi in humanam, quin desinat naturarum unio, & mixtio fiat atque confusio. Quæ vero ita miscentur, desinunt esse id, quod erant.

## XXV.

Denuo itaque dicimus, Deitatem illam, cui ex qua-  
tri possit res aliqua creata, veram Deitatem non esse.

XXVI.

## XXVI.

Oportuerit enim, ut aut res exæquāda fiat infinita; id quod omnino *adūlātō* est: aut Deitas illa, cui exæquanda est, sit finita, cùm nihil finitum exæquari possit, nisi finito. Finita autem Deitas, vera Deitas non est.

THESES  
DE VNIVS VERI DEI  
AETERNA OMNIPOTENTIA.

Anno 1575.

## I.

**Q**um Deus in sacris literis vocatur potens, nulla in Deo passiva potentia animo nobis est concipienda: qua aliquid pari, & aut quod est, esse desinere: aut quod non est, cum aliqua sui mutatione, fieri possit: Sed actiua tantum, qua semper agat, & agere possit, sicut reuera est; sic etiam firma fide, credenda est.

## II.

Est enim Deus essentia simplicissima, perfectissima, vetere eterna, omnis passionis expers, atque incommutabilis, & *cregnūnātām*: à qua, & per quam sunt, suntque omnia.

## III.

Sed neque actiua potentia talis in Deo singenda est: quæ aliquid sit ab eius essentia diuersum.

## IV.

Est enim Deus sua essentia simplicissima talis: quæ qualis est: iustus, bonus, omnipotens.

## V.

## V.

Etsi verò reapse vna tantum est in Deo potentia: propter diuersos tamen respectus, quibus consideratus multiplex esse haud impiè dici potest.

## VI.

Alius enim respectus est, dum consideratur, quatenus Deus in seipso semper agit, intelligendo, volendo, amando: Et alius, dum easam contemplamur, quatenus Deus extra se operatus est, mundum creando: & semper operatur, illum regendo: operarique innumerabilia, si velit, potest.

## VII.

Sicut ergo actiones Dei non ineptè distinguuntur in immanentes, & in transientes: sic potentia Dei duplex esse non immerito dici potest: una, qua in se ab omni aeternitate semper egit, & agit: & altera, qua in tempore extra se, non solum omnia condidit, regit, operatur: verum etiam infinita, quemquam efficiet, efficere potest.

## VIII.

Ita fit, ut haec rursus in actualem, quæ operatur quæcunque vult: & in absolutem, quæ infinita etiam, quæ non vult, operari potest: distinguiri solita sit, quod aliquis simpliciter omnipotens esse, dici non posset.

## IX.

Sicut enim non sentimus cum illis, qui ideo Deum vocari, & omnipotentem putant: quod simpliciter, quæcunque dici possunt, aut excogitari, siue mala, siue bona, siue contradictionem implicantia, eadem etiam efficere queat: sic neque illorum sententiae subscribimus, qui non alia de causa, Deum omnipotentem appellari, & esse contendunt; nisi quia quæcunque vult, potest: quod non latius pateat eius potentia, quam voluntas; sed ideo

verit

we're omnipotentem esse credimus: quia præterquam quod potest quæcunque vult: innumerabilia etiam potest & velle, & efficere, quæ nunquā volet, neque efficiet.

## X.

Quum enim scriptura dicit, Deum quæcunque voluit fecisse: apertè docet, multò plura etiam facere posuisse, si voluisset. Et qui dicit, se misereri quorum vult, & quos vult, indurare: luculenter demonstrat, se tam posse, aut omnium misereri, aut omnes indurare, quam etiā potest quosdam indurare, & quorundam misereri: eoque plurimum se posse misereri, quam misereri velit: ac proinde plura esse, quæ potest, quam quæ vult.

## XI.

Nam quæ potest, natura potest: eoque facere nequit, quin ea possit: nisi etiam possit efficere ne sit Deus. Quæ autem extra se vult, liberè vult: eoque potuit etiam eam non velle, ut manifestum sit, Deum plura posse, quam velle: cùm possit etiam velle, quæ non vult.

## XII.

Ea autem omnia dicimus Deum posse: quæ aut cum proprietatibus eius personalibus, aut cum eiusdem essentia, naturæ non pugnant: aut quæ contradictionem non implicant: aut deniq; quæ à defectu potentiarum, si admittantur, non sint.

## XIII.

Ita licet Pater, Filius esse nequeat, nec Filius, Pater: neque etiam aut Pater alium ex se Filium, neque Filius iterum ullum ex se generare possit: non ideo tamen definit aur Filius, aut Pater esse omnipotens.

## XIV.

Personales enim proprietates sunt istæ, ut Pater ge-

peret, non generetur, Filius autem generetur, non generet: neque essentia Dei fert, ut plures ibi sint Patres, plures Filii,

## X V.

Neque itidem aliquid de potentia Dei decedit, si Deus efficere nequeat, quin sit bonus, iustus, sapiens: cum Deus esse nequeat, nisi talis sit, qualem sacræ literæ describunt.

## X VI.

Ita potentiam Dei minimè tollimus, aut infirmamus; si dicamus Deum non posse peccare, non posse pati, non posse efficere, ut aut quod est, dum est, non sit: aut que facta sunt, sint infecta: quoniā hæc partim sunt ex defectu potentiae, partim contradictionem implicant: Eoque cum veritate Dei ex diametro pugnant: ac simpliciter sunt adūalæ.

## X VII.

Est autem ita Dei proprium, esse omnipotentem: ut in nullam rem creatam competere possit.

## X VIII.

Cum enim omnipotencia nihil aliud sit, quam ipsa immensa, infinita, nullique creaturæ communicabilis essentia: fieri non potest, ut in quam rem non potest competere, ut sit Deus sua essentia; in eam quadret, esse omnipotentem.

## X IX.

Neque etiam rei infinitæ capax esse potest res finita: cum unumquodque recipiatur secundum modum (ut loquuntur) recipientis.

## XX.

## XX.

Pugnat etiam cum natura Dei, ut plures sint omnipotentes: non minus, quam ut plures sunt Dij. Vnde neque religio Christiana fert: ut tres in Deo personæ, tres dicantur esse omnipotentes.

## XXI.

Proinde licet homo Christus Iesus verè sit omnipotens, quia non homo tantum, sed etiam Deus est: ipsis tamen humanitas, propriè omnipotens esse, aut dici, sine impietatis crimen non potest.

## XXII.

Nam humana Christi natura, licet vñita sit diuinæ in vnam τε λόγια personam: tamen sicut non propterea facta est Deus, sic neque propriè facta est omnipotens: sed suam retinuit imbecillitatem, qua pati pro nobis posset & mori.

## XXIII.

Neque enim potuisset pati, si sicut Deus, sic etiam ipsa facta fuisset omnipotens: cùm posse pati, impotentia sit: & ideo Deus pati non possit, quia omnipotens est.

## XXIV.

Ac si propter vñionem hypostaticam facta fuit humana natura in Christo omnipotens: cur quòd corpus aut non viderit corruptionem: aut etiam quòd anima ei restituta, resurrexerit à mortuis, hoc sacræ literæ non humaniti, sed Deitati attribuunt?

## XXV.

Accedit, quòd ut corpus humanum, propter vñionem cum mente, neque substantia sit incorporeæ, in-

tellem & voluntate prædita: neq; aut immortalitatem  
aut vim intelligendi volendiuæ ab illa accipit: sic neque  
humana natura, propter unionem cum diuina τὸ λόγος,  
aut facta est essentia per se subsistens, simplicissima & per-  
fectissima: aut ab illa accepit, ut propriè sit omnipotens.

## XXVI.

Argumentum porrò quo Patres ab omnipotentiā  
Filio in sacris literis tradita, cum verum esse Deum, ad-  
uersus Arrianos demonstrarunt, penitus euertitur: si o-  
mnipotentiam alicui rei creatę communicari posse con-  
cedimus.

## XXVII.

Deniq; de religione, non nisi consentaneè cum sa-  
cra literis, & cum analogia fidei loquendum est. Sacra  
autem literę non alium preter Deum predicant esse o-  
mnipotentem, neque etiam Ecclesia in suis Symbolis  
aliter vñquam est professa.

## XXVIII.

Quod verò post resurrectionem dixit Christus, Da-  
ta est mihi omnis potestas: Aliud est ἔγοια, aliud δύναμις:  
neque dixit, Data est humanitati meæ, sed mihi: neque  
respectu naturæ, sed officij Mediatoris hoc fuit dictum.  
Officium autem totius fuit & est personæ, secundūm v-  
trāmque naturam.

## XXIX.

Solum igitur Deum verè & propriè omnipotentem  
esse, sicut per Spiritum sanctum credimus: sic etiam cum  
tota Ecclesia confitemur ac predicamus.

## XXX.

## XXX.

Humanam autem Christi naturam, tum ea potentia quanquā finita, que omnium rerum creatarum tam cœlestium quam terrestrium potentiam longè supereret: ac proinde, qua omnium creaturarū potentissima, propriè & meritò dici possit, donatam esse non dubitamus: tum etiam propter hypostaticam cum verè omnipotente λόγῳ vniōne: licet propriè in se talis ipsa non sit: quodam tamen modo ipsam quoque omnipotentem dici posse concedimus: nempe quatenus ita τῷ λόγῳ unita est, ut & que propria τῷ λόγῳ sunt, ea de ipsa quoque, sed in concreto prædicentur: & ὁ λόγος, ad multa suæ omnipotentie opera præstanda suo animo atque corpore tanquam proprijs organis, (distinctis tamen manentibus singulorum proprietatibus & actionibus) usus fuerit, atq; etiam uti possit.

DE PROVIDEN-  
TIA DEI.

## THESES.

Anno 76.

## I.

PROVIDENTIA à Græcis προνοία atq; etiam προ-  
στρέμμα vocantur: qua res prænoscuntur, d' præordi-  
nantur atque reguntur: in Deo esse, ex verbo eius, credi-  
mus atque docemus.

## II.

Est autem Dei PROVIDENTIA, sapientissimum,  
iustissimum, atque immutabile consilium, d' quo res

a Ro. 13. 14

b Luc. 22.

c Act. 4. 28.

d Ps. 139. 4.

e Ps. 119. 91

f Dan. 4. 31

g Job. 9. 4.

h 12. 12.

i Iere. 51. 15.

j Deu. 32.

¶ 145.<sup>17.</sup> omnes, tam in cœlis, quām in terris, vt & fierent, & fierent ratione atque serie, qua fiunt: f ab æterno in se-  
 Sap. 12. 15. c Ps. 33. 11. Bla. 14. 27. ipso constituit: & ad cuius exemplar, omnia etiam in  
 46. 10. tempore, i modò per certa & ordinaria media, modò k  
 d Dan. 4. 32. sine illis, semper autem l ἐνεργητικῶς, m perpetuò admini-  
 e Thes. 2. 37. f Pro. 8. 22. strata regit: idque tum ad n Electorum salutem, tum vco-  
 Ephe. 1. 9. g Ps. 119. 92. rō maximè ad o suæ ipsius gloriæ illustrationem.  
 h Gen. 1. i Le. 26. 4. Ps. 104. 4. Hos. 2. 21. Eph. 4. 11. k Deu. 8. 3. Psal. 72. 18. Ier. 32. 29.  
 1 Reg. 17. 4. l Psal. 115. 3. Rom. 9. 10 m Psalm. 138. 8. Dan. 4. 32. Ioh. 5. 17.  
 n Gen. 50. 20. Rom. 8. 28. Cor. 3. 21 o Psal. 19. 1. 1 Par. 29. 11. 12. Rom. 9. 17.

## III.

a Tere. 32. Nam præterquam quod manifestum est, Deum esse  
 17. b omnipotentem, sapientissimum, optimum; vnde  
 Luc. 1. 37. b Par. 16. fieri nequit, vt amplissimum hunc mundum abs se c crea-  
 34. tūm, & in quo Christi d Ecclesia degit, fortunæ ac casui  
 Matth. 19. temerè volutandum permiserit: e Ipsæ etiam sacræ lite-  
 17. c Gen. 1. 1. rē, luculentis verbis docent, mundum hunc à Dei P R o.  
 Hebr. 11. 3. VIDENTIA gubernari.  
 d Ioh. 16. e Psalm. 33. & 147. Iob. 5. ibi. 9. ibi. 37. 38. 39. capitibus. Sap. 14. 3. Celo, 17.  
 33. Hebreor. 3. Ios. 42. 5.

## IV.

a Neh. 9. N E Q U E vero \* vniuersalem tantum, qua totam  
 31. Actor. 17. simul mundi machinam moderatur, PROVIDENTIAM  
 23. Hebr. 1. 3. in D E O statuimus: Verùm etiam illam singularem,  
 b Iob. 37. qua b singulas quasque res seorsim agit & regit; atque  
 & 38. Ps. 104. & in primis c homines; & inter hos, d Electos suos, cum o-  
 147. Mat. 6. 26. & 10. 29. Iohan. 4. 6. 7. c Psalm. 8. 5. Ierem. 10. 23. d Ies. 43. 1. Psalm. 91.  
 Psalm. 139. Zach. 2. 8. Matt. 6. 10.

## V.

a Mat. 10. Nouimus enim nihil in mundo fieri aut moueri sine  
 29. voluntate<sup>2</sup> Patris: vt nihil absurdius sit, quām dicere  
 Luc. 12. 6. aliquid

aliquid in mundo fieri: quod Deus antè non ordinari, <sup>b Pro. 16. 4</sup>  
quodque sua manu non <sup>b</sup> regat. <sup>Dan. 4. 32.</sup>

## VI.

Neque tamen propterea simpliciter negamus, quin  
multa<sup>a</sup> contingenter & casu eueniāt: cùm hoc recte in- <sup>a Exo. 21. 19.</sup>  
tellectum, cum æterna & infallibili D E I P R O V I D E N T I A <sup>Pro. 16. 33.</sup>  
non pugnet.

## VII.

Deus enim sua immutabili P R O V I D E N T I A non  
solum, ut fierent, quæ fiunt, conſtituit: sed etiam ut eo,  
quo eueniunt, modo, omnia euenirent, ab æterno or-  
dinavit.

## VIII.

Sed neque quia dicimus non sine voluntate Patris,  
quidpiam in Mundo admitti: ideo Deum ipsum actio-  
num omnium sapientissimum & iustissimum modera-  
ratorem; aut peccato inuoluimus, aut peccati autorem  
facimus.

## IX.

Peccatum enim <sup>a</sup> à v o p u ã est, atque à recta legis di- <sup>a Ioh. 3. 4</sup>  
nina linea deflexio. Deus autem <sup>b</sup> neque à suæ volun- <sup>b Nu. 23. 19</sup>  
tatis rectitudine declinare potest, <sup>c</sup> neque alijs vitium <sup>Tit. 1. 2.</sup>  
declinandi instillat, <sup>d</sup> imò peccati osoreſt & <sup>e</sup> vltor iu- <sup>Hebr. 6. 18.</sup>  
stissimus.

## X.

Quare cùm ad P R O V I D E N T I A M Dei pertineat, <sup>Ies. 59. 17.</sup>  
ut peccata à D E O iusto iudice puniantur: Ex doctrina  
de P R O V I D E N T I A euincitur potius, Deum esse  
timendum, peccataque vitanda: quām vt inde queat vī-  
la in Deum culpa transferri, nostraque excusari faci-  
mora.

## XI.

Cùm vero præter hunc, quem modò diximus, multi  
 alij sint huius de PROVIDENTIA doctrinæ salutares vias:  
Act. 2. Par. 14.  
31. 20. 6. 12.  
Psal. 46. 1.  
Mat. 10. 28.  
Act. 27. 23.  
33.  
1 Pe. 5. 6. 7.  
Iaco. 4. 10.  
 ij duo tamen, cum primis obseruandi sunt: Nimirum  
 quòd èo pios adducit hęc doctrina, vt in omnibus rebus  
 aduersis ad "Deum omnia regentem confugiant, in que  
 eius sinu recumbant: & in secundis ei vni omnem defe-  
 rant gloriam: semper autem sub potenti eius manu, qua  
 omnia agit, humiliantur.

## DE AETERNA ELECTIONE ac prædestinatione, deque redem- tione per Christum facta.

## THESES.

EX PRIMO CAPITE AD  
 EPHESIOS:

Anno 79.

I.

Versic. 3.  
& 4. **N**ULLA nobis post orbem conditum contigit, con-  
 tingeréue potest benedictio, ad quam non fuerimus  
 ante mundi constitutionem electi ac prædestinati: neq;  
 per alium, neq; alio modo ea confertur, quām per quem  
 & quomodo præstari debuerit, in ēterno Dei consilio de-  
 finitum fuerat: dicente Apostolo, nos omni benedictio  
 ne spirituali benedictos esse in Christo, καθὼς elegit nos  
 ante mundi constitutionem.

II.

## II.

Sicut in solo Christo omnem spiritualem consequimur benedictionem: sic etiam in eo solo, ad eam consequendam, electi fuimus ac prædestinati: cum vtrumq; dicat Apostolus, nempe nos in Christo esse benedictos, & in ipso etiam fuisse electos. Vcr. 3. & 4.

## III.

Quicunq; electi sumus: non solum ad finem, id est, Versic. 4.  
ad æternam vitam, verùm etiam ad media ad finem ordinata, ele&i fuimus. Ait enim Paulus, Deum nos elegisse, vt essemus sancti & inculpati.

## IV.

Quòd nos elegerit Deus, id ex sua caritate erga nos, Vcr. 3. 4. 5.  
& secundum beneplacitum voluntatis suæ effecit, eóque tota electio gratuita est.

## V.

Finis gratuitæ electionis duplex est, nostra salus & Versic. 5.  
gloria Dei: De prima dicente Apostolo, nos esse prædesti- Versic. 6.  
natos in adoptionem Filiorum Dei, eóque ad cœlestem hæreditatem: De altera, hoc esse factum in laudem gloriæ gratiæ ipsius.

## VI.

Salus itaque electorum in Christo, certa est & neces-  
saria: cuius fundamentum est æternum, gratuitum & im-  
mutabile propositum voluntatis Dei.

## VII.

Quicunque ab æterno electi fuerunt in Christo ad  
æternam salutem, mediisque ad hanc: iij etiam omnes &  
soli in tempore à Patre constituto, quod plenitudo tem- Versic. 7.  
poris appellatur, fuerunt reapsi per Christum, & in Chri-  
sto redempti à peccatis, eóque & à malis peccatum conse-

*cutis: dicente Apostolo, in Christo habere nos redi-  
tionem, remissionem peccatorum.*

## VIII.

*Tit. 3. v. 5.  
Verific. 7.* Neq; verò secundum merita, operáue iustitiae, quæ  
fecerimus nos, sed secundum Dei misericordiam, secun-  
dumque diuitias gratiæ ipsius, per sanguinem Iesu Chri-  
sti redempti sumus: Apostolo utrumque manifestissime  
confirmante.

## IX.

*Quanquam autem Pater æternus redemit nos & ser-  
uavit per Filium, per quem etiam creauit: Filius tamen  
is est, qui κατ ιχθυω appellari solet in Ecclesia Dei, hu-  
mani generis redemptor, seruatörque noster.*

## X.

*Iren. 25.  
ver. 48. 49* Solus enim Filius, Deus & homo simul fuit & est:  
eoq; solus proprietatis simul, ut vocant, & propinquita-  
tis ius ad nos redimendos habuit: solisque sanguinem,  
quo tanquam λύτρω redempti sumus, effudit: Solus deni-  
que is est, in cuius persona perfecta est & consummata re-  
demtio nostri.

## XI.

*1 Cor. 15.  
ver. 30.* Nōmine autem ἀνθύτωσες, quam habete in Chri-  
sto dicimur, intelligimus plenam, consummatamq; re-  
demtionē: quatenus nimirum non solum remissionem  
peccatorum in hac vita, verū etiam quæ futura est in al-  
tero seculo, perfectam ab omni malo, omnisque corru-  
ptionis seruitute liberationem complebitur: ut nulla sit  
ἀνθύτωσις: quam non habeamus in Christo perfectissi-  
mo redemptore, qui factus est nobis à Deo, sicut sapientia,  
iustitia & sanctificatio, sic etiam redemptio.

DE

DE IESV CHRISTI A MOR-  
tuis resurrectione, in cœlum ascensione,  
ad dextram Patris sessione, ex Pauli  
ad Eph. cap. i.

## THESES.

Anno 81.

## I.

**D**eus magnitudinem potentiae suæ, efficaciter exercit in Christo, suscitans eum à mortuis: solus igitur Deus, sua infinita potentia, caussa est efficiens resurrectio-  
nis Christi, omniumque mortuorum. Eph. 1. 20.

## II.

Sed & Christus se ipsum potentia sua ab ipsisdem exci-  
tauit, iuxta illud; Soluite templum hoc, & in tribus die-  
bus erigam illud: Dicebat autem de templo corporis sui:  
& illud; Animam meam ego pono, ut iterum suma in Ioh. 10. 17.  
eam. Christus igitur non minus Deus est, quam Pater,  
neque minoris potentiae Deus.

## III.

Non potest autem idem esse, à mortuis verè & su-  
fultans & suscitatus; nisi verè diuersis constet naturis, di-  
vina, secundum quā suscitet, & humana secundum quam  
suscitetur. Idē igitur Christus, ut verus Deus est, μορφής Patri;  
sic verus homo est, μορφής matri & fratribus suis.

## IV.

Neque quispiam à mortuis suscitatari, & resurgere ve-  
rè dici potest: nisi etiam verè mortuus fuisse, & verè ceci-

diffe dicatur. Mors autem in vera animi à corpore separatione, qua sit, vt corpus mox cadens, cadauer merito appelletur, consistit. Christus igitur si verè resurrexit à mortuis; quin verè etiam mortuus fuerit, anima à corpore verè sepatata, nullo modo negari potest.

## V.

Si autem (quia Christus verè mortuus est) neq; eius anima fuit per illud mortis tempus in corpore; neq; (quia verè sepultus est) corpus eius existens in cruce, erat in sepulcro, aut iacens in sepulcro pendebat in cruce; neque (quia Deus illum verè excitauit à mortuis) vel anima corpus, vel corpus se ipsum à morte ad vitam reuocauit: Ergo humana in Christo natura neq; omnipotens fuit, neq; vbiique sua substantia præsens.

## VI.

Sicut enim hæc non valet consecutio, Ipse Christus mortuus & sepultus est, ac resurrexit à mortuis; Ergo secundum vtranque naturam mortuus & sepultus est, & resurrexit: Sic neque ista, Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationem seculi; Ergo non solùm Deitate, sed etiam humanitatis substantia, nobiscum realiter præsens est in terra.

## VII.

Mat. 28. 20 Sed sicut hæc valet, Christus Deus, est passus, ergo non secundum Deitatem, sed secundum humanitatem passus est: Ita hæc altera, Christus homo, est vbiique, & simpliciter omnipotens, ergo non secundum humanam, sed secundum diuinam naturam vbiique, & omnipotens est: quando non minus diuina humanæ, quam humana diuinæ naturæ, in eadem Christi persona unita est.

## VIII.

## VIII.

**S**i ipse Deus, adeoque diuina in Christo natura corpus a mortuis excitauit, non per ipsum corpus, sed per se ipsam: falsum igitur est, diuinam in Christo naturam omnia egisse & agere non solum in, & cum, sed etiam per humanam.

## IX.

**A**nima namque Christi non omnia operatur per corpus, quemadmodum neque nostrae mentes per illud aut intelligunt aut volunt: idque propterea, quod, ut Philosophi quoque docuerunt, nequaquam mens nostra a corpore dependet. Multò minus igitur Deitas Christi omnia per carnem assumtam operatur.

## X.

**N**um enim Deitas per humanum intellectum intellegit, aut per humanam voluntatem vult? aut nunquid per humanam naturam, ipsammet humanam naturam in persona τῆς λόγου sustentat atque seruat? aut omnia per humanam portat carnem, an verò potius verbo virtutis suæ? Deniq; si forma Dei nihil agit nisi per formam servi, quomodo verum fuerit illud Leonis: vtraque forma agit quod suum est cum communione alterius?

## XI.

**S**icut igitur alia est forma Dei, alia forma servi: sic aliæ sunt & proprietates & actiones illius, & aliæ istius: quanquam sè penumero vnum atque idem est utriusque οὐσία καὶ ἀπότελεσμα.

## XII.

**Q**uare minimè consequitur: Ad quemcunq; Christus vna cum Patre venit secundūm formam Dei, ad eun-

dem etiam venit, & in eodem sua substantia manet secundum formam serui, multò verò minus vbiique.

## XIII.

Quemadmodum pōrro non aliis, sed idem Christus: sic nec in alio, sed in eodem corpore, in quo passus, mortuus & sepultus fuerat, à mortuis resurrexit.

## XIV.

Non enim verè dicitur à mortuis excitari & resurgere: nisi quod verè mortuum ceciderat, illud ipsum, deinde viuiscatum, resurgat.

## XV.

Corpus autem, quo Christus passus, mortuus & sepultus est: corpus fuit verè humanum, visibile, palpabile, circumspectum. Non igitur post resurrectionem, corporis habuit retinuitque Christus, nisi quod certo loco circumspectum, vbiunque fuit aut est, videri & contradicari potuit ac potest.

## XVI.

Cor. 15:1

Adde quod Apostolus de qualitatibus, quibus corpora ad vitam æternam à mortuis excitata ornabuntur, diligenter disserens, non commemorat vel *ἀποτίας*, vel *ἀπέκρισιας*, vel *ἀψηλαφησίας*: sed tantum *ἀΦιησίας*, δοξαν, δύναμιν, veluti est agilitas, & quod resurgent *πνευματικά*, non quod mutanda sit substantia corporea in incorpoream, sed quod (ut uno verbo cum Græcis dicamus), *ἀγαρά*, & Spiritu sancto perfectè inhabitante & operante plena futura sint. Docuit ergo Apostolus, has esse qualitates à corporibus nunquā separandas; nempe quod sint circumscripta, visibilia, palpabilia. Quare neque corpus Christi, has depositus post resurrectionem qualitates.

## XVII.

## XVII.

Nec valet exceptio, Christum à resurrectione, ianuis *Ioh. 20, 19.*  
 clausis ingressum fuisse ad discipulos. Neque enim pro-  
 pterea vel inuisibile, vel incircumspectum, vel impalpa-  
 bile factum fuit: cùm Christus mox ingressus, & à disci-  
 pulis conspectus, dixerit, Palpate seu contrectate & vide. *Luc. 24,*  
 te, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me vide-  
 tis habere: ac proinde mutatio nulla (vt Patres docent)  
 in corpore Christi facta fuerit, sicuti nec cùm deambula-  
 bat super aquas vel ipse vel Petrus; sed omnipotens  
 Deitatis imperium in omnia habentis, fores cesserint ve-  
 ro ac solido corpori Filij Dei.

## XVIII.

Quare meritò à Patribus non solum Marcion, Ma-  
 nichæ & alij, qui Christum non verum ac solidum hu-  
 manum corpus, sed phantasmaticum sumisse, omniaq;  
<sup>κατὰ δόκην & φαντασίαν</sup> egisse docuerunt: verum etiam  
 Origenistæ, Iohannes Hierosolymitanus, Euticius Con-  
 stantinopolitanus episcopi, & alij, qui dixerunt, Christi  
 corpus post resurrectionem ita factum fuisse spirituale, vt  
 esset subtilius aëre, eoque inuisibile & impalpabile, da-  
 minati fuerunt. *Hier. T. 2.*  
*ad Pammachium,*  
*Greg. in Iob. li. 24.*  
*c. 29.*

## XIX.

Cùm autem in Cœna non aliud Christi corpus,  
 quam illud, quod pro nobis fractum, hoc est, verè passum  
 & mortuum est, nobis edendum detur: efficitur, corpus  
 Christi verum, quod in Cœna edimus, verè circunscri-  
 ptum, visibile & palpabile esse: Ac proinde, cùm in  
 Cœna nihil, præter panem, videatur, tangatur, sentiatur;  
 minime illud sub speciebus panis & vini, aut in pane ipso  
 & vino latens atque absconditum, sua substantia reapse  
 contineri.

## XX.

## XX.

**Rom. 6.** Agnoscimus verò Resurrectionem Christi, & causam & exemplar esse nostræ resurrectionis tum spiritualis tum corporalis: Spiritualis quidem caussam, propter illud Apostoli ad Rom. 4; Resurrexit propter iustificationem nostri; exemplar verò, propter illud, Sepulti igitur sumus vñà cum illo per Baptismum in mortem. vt quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitę ambulemus.

## XX I.

**1 Cor. 5.** Corporalis verò caussam esse non dubitamus, propter illud, quod dicit Apostolus, Si Christus resurrexit, & nos resurgemus; & propter illud, quod idem Apostolus ait, Christus primitiæ resurgentium: exemplar verò propter illud, quod ab eodem Apostolo scribitur, Configurabit corpus humilitatis nostræ corpori suo glorioso.

## XX II.

Ex quo etiam sequitur, aut Christi corpus non esse inuisibile, impalbare, incircumspectum: aut nostra quoque corpora futura inuisibilia, impalpabilia, incircumspecta, cōque non corpora spiritualia, sed spiritus incorporeos.

## XX III.

**De Ascen-  
sione.** Cūm enim ait Christus, Palpate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere: non solum conclusit, se non esse Spiritum, sed illud in primis docuit, nullas esse carnes, nullāue ossa, quæ videri & palpati non possint.

## XX IV.

Scriptura tradit, & Ecclesia confitetur, Dominum Iesum Christum, posteaquam à mortuis excitatus mul-  
tis argu-

uis argumentis, per dies quadraginta, se verè resurrexisse, discipulis suis demonstrasset: è terra sursum eleuatum, in cœlum spectantibus Apostolis ascendisse. Sicut igitur non aliud Christus, quām qui mortuus fuerat, resurrexit: sic nec alius, aliōue corpore ascēdit in cœlum, quām qui, & quo verè à mortuis resurrexerat, Filius Dei, corpore verè humano, visibili, palpabili, circumscrip̄to.

## XX.V.

Quare sicut etiam conuersatio eiusdem Domini Iesu Christi, qua post resurrectionem cum Apostolis per dies quadraginta est conuersatus, non fuit phantasmatica, sed realis ac vera: sic etiam Ascensio non solùm visibilis, sed etiam verè (vt Patres loquuntur) localis fuit: quando Apostoli eum è terra sursum ascendentem viderunt.

## XXVI.

Talis autem ascensio atque motus, diuinæ naturæ non conuenit: secundūm igitur humanam ascendit.

## XXVII.

Neque tamen interea inficiamur, quin Christus, vt Deus, sicut dicitur descendisse de cœlo, quatenus exinanuit semet ipsum, vili forma serui assumta, in quæ ea passus est: sic etiam recte dici possit, ascendisse & exaltatus esse in cœlum: quatenus nimirum in eadem forma serui iam glorificata, ipsa etiam forma Dei per & post ascensionem, quodammodo fuit glorificata: hoc est, toti mundo illustris effecta.

## XXVIII.

Cæterū liquet, sicuti hæc consecutio non valet, Christus ipse Deus & homo ascendit motu locali & visibili in cœlum. Ergo secundūm etiam Deitatem eodem

modo ascendit: sic neque hanc valere, Christus Deus & homo nobiscum est usque ad consummationem seculi verè & sua essentia praesens; Ergo tam substantia corporis atque animæ, quam Deitatis essentia, nobiscum est in terris praesens.

## XXIX.

Si etiam Apostoli oculis suis Christum corpore suo per loci mutationem, è terra sursum ascendentem videantur: cœlum igitur, in quod ascendit, cœlum ubiquitatum esse non potest, sed procul à terra distet, necesse est.

## XXX.

Adde, quod & natura, & omnis æquitas postulat, ut locus cuique rei conueniens assignetur: quemadmodum à Deo in rebus ab ipso creatis, factum fuisse videamus. Cum igitur nulla res creata præstantior inueniri possit ipso Christi corpore, tum propter unionem cum λόγῳ, tum propter excellentissima omnium dona in eo creata, adeoque & propter perfectissimam gloriam ac felicitatem, in qua iam viuit: in aliquo certo & felicissimo loco, illud corpus existat, necesse est.

## XXXI.

Neque nisi ex vera pietate, & vera erga Christum reverentia proficiuntur, quod credamus corpus Christi, non infra terram, non in terra, non in aquis, non in frustulo panis, non in singulis arborum folijs, neque in aere, aut in orbibus coelestibus, sed in loco omnium sicut felicissimo, pulcherrimo, perfectissimo, sic etiam altissimo, habitare: quem ab Apostolo indicatum fuisse cum Ambroso non dubitamus, cum dixit, se raptum fuisse in terratum cœlum, & in paradisum.

2. Cor. 12.

21 &amp; 4.

## XXXII.

Accedit, quod eadem scriptura tradit; & fides Catholica

THESES.

tholica credit ac confiteritur, ex eodem cœlo, eundem Ie- Phil. 3. 20.  
sum Christum in nubibus, ad iudicandum viuos & mor- Thc. 4. 16  
tuos, redditum: nosque à mortuis excitatos, è terra in Thc. 4. 17  
eius occursum raptum iri in nubibus, in aëra, & sic semper  
cum Domino, in eodem coelo futuros.

X X X I I.

Hoc porro cœlum, quod & domus Patris, & vrbs cœ- Ioha. 4. 2.  
lestis, alijque nominibus vocatur, supra hos omnes a spe-  
ctabiles ac mobiles cœlos esse collocatum, euincit scri-  
ptura: quæ Christum prædicat, & ascendisse super omnes Eph. 4. 10.  
cœlos, & esse in cœlo.

X X X I V.

Neque enim cœlum, in quo est ipse suo corpore, &  
in quo futuri nos quoq; sumus animis & corporibus no-  
stris, vastum & increatum, nescio quod spacium esse po-  
test: partim quia nihil est increatum, nisi Deus, partim  
quia aperte ad Hebræos opificium esse Dei prædicatur. Heb. 11. 10.

X X X V.

Causa potro efficiens illius motus, quo corpus in  
cœlum sursum ferebatur, primaria ac princeps, fuit diui-  
na in eo inhabitans natura, iuxta illud Philip. 2: Deus ex-  
altauit illum: item assumptus est (à Deo) in gloriam. Se-  
cundaria verò, donum agilitatis, gloriosam consequens  
resurrectionem, à Deitate in humanam naturam colla-  
tum: quo illa caro neque ab Angelis, neque à nubibus ge-  
flata aut sustentata, vt olim Elias curru igneo, sed sponte,  
sine vila molestia aut difficultate ascendebat: eōq; mo-  
tus ille non fuit violentus.

X X X VI.

Ipsa verò Christi capit is nostri ascensio caussa & ex-  
emplar fuit, atque est nostræ futuræ in cœlum ascensio.

nis. Quia enim caput ascendit, ideo & membra tandem  
ascendant, necesse fuerit: Et qualis illa, talis & nostra.  
Phili. 3, 21. Configurabit enim corpora nostra corpori suo glorioso:  
1 Thes. 4, 17 & rapiemur in nubibus obuiam Christo in aëra, & sic sem-  
per cum Domino erimus.

## XXXVII.

Si igitur nostra, vera erit ascensio, & nos verè è ter-  
ra in cœlum eleuabimur: Corpus igitur etiam Christi,  
verè è terra in cœlum ascendit, non κατὰ δόκησιν & pu-  
tatiuè.

## XXXVIII.

Vtilissima verò est & consolationum plena, hæc de  
vera Christi in cœlum illud supremum ascensione, per  
petuaque in illo mansione, doctrina..

## XXXIX.

Primum enim facit ad fidem de certo loco confi-  
mandam: vbi cōrpus Christi nobis sit fidei oculis, & ma-  
nibus, contemplandum, tangendum, apprehendendum.  
Deinde ad spem constabiliendam: fore scilicet, vt etiam  
ante corporum resurrectionem, animi nostri à corpori-  
bus separati; neque infra terram descendant, neq; in aquis  
aut in aëre vagentur, neque cum orbibus cœlestibus ro-  
tentur: sed supra omnes hosce cœlos, in beatissimam il-  
lam cœlestem Patris domum perferantur, in quam &  
Christus suo ingressus est corpore, vt semper sint cum  
Christo: postremò etiam ad amorem & studium vitæ cō-  
uersationisque cœlestis, in cordibus nostris acceden-  
dum: iuxta illud Apostoli, Si consurrexi sis cum Chri-  
sto, quæ sursum sunt, quærите, quæ sursum sunt, sapite, vbi  
Christus est, in dextra Patris sedens..

## XL.

DE SESSIONE CHRISTI ad dextram Patris, sic loquitur Apostolus: Et sedere fecit Christum iam à mortuis excitatum, & in cœlum eueratum) in supercœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominium, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedes illius &c. Ac cum ijs, quæcunque alibi de hæc sessione in sacris literis leguntur, aut in symbolis confitetur Ecclesia: consentanea sunt.

## XL I.

Nullibi autem legimus, propter sessionem ad dextram Dei , aut Christum, ullum aliud sibi summissum corpus, quocunque nomine illud vocetur; aut in naturali eius corpore aliquam substantię, vel earum naturalium qualitatum, proprietatumque essentialium, quas post resurrectionem retinuit, mutationem fuisse factam. Cōstat igitur Christum, quo in corpore resurrexit, & quo ascendit in cœlum, visibili nimis rūpē, palpabili & circumscripto: eodem planè etiam sedere ad dextram Patris in excelsis: & ubique esse est, aut esse vult, tale sibi semper corpus retinere.

## XL II.

Testatur etiam Apostolus, & in symbolis confitetur Ecclesia, Christum priùs mortuum, sepultum, ex mortuis excitatum, & in cœlos assumtum fuisse: quām sederit ad dextram Patris. Aut igitur falsum est, humanam Christi naturam, tum primum accepisse, ut substantia sui corporis ubique realiter esse posset: aut si hoc verum est, non ergo hoc ab unione accepit hypostatica, quæ in ipsa facta est incarnatione.

## XLIII.

Nec valet exceptio, ab unione hypostatica, hoc fuisse illi datum actu primo, seu, ut si vellet, ubique praesens esset, sed a sessione ad dextram concessum fuisse actu secundo, hoc est, ut re ipsa ubique praesens esset.

## XLIV.

Nam præterquam quod ipsa huius distinctionis nomina, nomina sunt, non ex fontibus Israël, sed ex paludibus sophistarum desumpta, ipse quoque Christus exceptionem hanc refellit: qui non de actu primo, sed de secundo, hoc est, de actuali praesentia loquens, cum ante Mat. 18. 20. mortem dixit, Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum; tum post resurrectionem, ante ascensionem, Ecce, inquit, vobis sum, vobis ad consummationem seculi.

## XLV.

Ex quibus etiam dictis luculenter appetat, Christum aut de reali praesentia corporis locutum non esse, sed tantum de Deitatis praesentia, suique Spiritus efficacitate: aut eadem nobiscum, qua tunc cum Apostolis fuit, nimirum visibili, praesentem esse: quando non dixit, Ero, sed sum; neque ut sensus verborum varietur, illa cogit necessitas.

## XLVI.

Adde, quod si de eadem reali corporis praesentia loquebatur, & promissio haec non ad Apostolos tantum, sed etiam ad alios omnes fideles, qui tum in mundo erant, pertinebat: haud verum dixisset Christus. Non enim aut antem mortem, aut post resurrectionem, visibili praesentia fuit cum omnibus fidelibus, qui tum erant in mundo, & in nomine eius congregati.

## XLVII.

## XLVII.

Quapropter doctrina de reali & substantiali, sed inuisibili corporis Christi in terris & vbique præsentia, cum sacris literis consentanea non esse, sed ad Manicheorum figmentum potius: qui (vt refert Augustinus contra Faustum) corpus Christi ex singulis arboribus inuisibiliter pendere dicebant, accedere videtur.

## XLVIII.

Si etiam non ante resurrectionem ascensionemque in cœlum, Christus suo corpore sedet ad dextram, vt tota confitetur Ecclesia: impia igitur & hæretica est illorum doctrina, qui docēt Christum ab utero matris secundūm carnem assumtam, sedisse ad dextram virtutis Dei.

## XLIX.

Si illud quoque verum est, quod Apostolus docet, & tota scriptura confirmat, & Catholica Ecclesia confitetur, Christum non solum tum demum sedisse ad dextram Patris, cùm ascendit in cœlum, verū etiam ita in ipso cœlo collocatum esse ad dextram Dei, vt nunquam legatur alibi, quàm in cœlo ad talem dextram sedere: Ergo non solum dici non potest secundūm scripturas, Christū alibi quàm in cœlo ad dextram Dei sedere: sed etiam falsum est, cum ita in terris quoque sedere: vt non minùs in pane Cœnæ Dominicæ, & vbique locorum, quàm in cœlo, sui corporis substantia realiter præsens sit.

## L.

Nam alibi quoque contradicit Apostolus, præser-  
tim ad Hebræos, vbi ex eo, quod Christus ad dextram throni Maiestatis in cœlis sedens, suo perfungitur sacerdotio, negat illum esse super terram, corporal inimicorum præsentia,

Heb. 8; 4

## LI.

## L I.

Christum porro sedere ad dextram Dei patris, figuratam esse locutionem, extra controuersiam esse iudicamus: cum Deus propriè loquendo, neque dextram, neque sinistram habeat; neque etiam de sellis vel solijs, in quibus sedeatur, carnale aliquid in illo cœlesti regno cogitare fas sit; & sæpe in sacris literis, verbum Sedendi, præteralia significata, pro habitare, pro regnare, pro iudicium exercere, & pro quiescere usurpetur.

## L II.

Quodverò hac phrasí Apostolus noluerit significare, Christum suo corpore vbiique locorum verè & substantialiter presentem esse: præter ea, quæ dicta sunt, ex ijs etiā quæ explicationis causa subdit, luculenter appetet.

## L III.

Illi enim Christi ad dextram Dei Patris sessioni, tria explicationis causa subiicit Apostolus: primum, Christum ita collocatum fuisse ad dextram Dei, ut fuerit supra omnem principatum, id est, ut nullam supra se, aut superiæ qualē, ne in cœlo quidem habuerit creaturam, sed excelsior cœlis, rebusque omnibus cœlestibus factus sit: Deinde addit, omnia fuisse ei subiecta, hoc est, infra se eum nihil habere, in quod non habeat ius atque imperium: Tertio, ipsi Ecclesiæ datum fuisse caput.

## L IV.

Sicut autem quæ suprà dixit de resurrectione à mortuis, eoque de ascensione, intelligenda esse diximus de Christo, secundum humanam naturam: sic etiam hæc cum primis secundum eandem humanam naturam intelligenda esse, cum Patribus orthodoxis sentimus.

## L V.

## L V.

Bifariam verò natura humana in Christo supra omnia exaltata fuisse intelligi potest: aut quò ad situm localem, sicut & illud, Ascendit supra omnes cœlos, vt sit <sup>Eph. 4.10.</sup> sensus, eam naturam humanam localiter supra omnes res creatas collocatam esse: aut quò ad eminentiam dignitatis & imperij, vt sit sensus, Christum quò ad humanam etiam naturam præfectum fuisse omnibus rebus creatis, datumque illi in omnia imperium & potestatem. Duo bus enim ijs modis aliquid eiusdem generis dicitur esse supra aliud, aut loco, aut dignitate.

## L VI.

Si hoc igitur altero modo dictum intelligatur: inde Vbiuitas concludi non potest; quia Christus ea sua natura humana potest imperium hoc in omnia exercere, etiamsi sui corporis substantia non sit vbiique. Si priori modo; Ergo non est vbiique: quia quod vbiique est, tam est infra, & apud, & intra, quām supra omnes creature.

## L VII.

Paulus autem aperte docet, Christum (quoad humanam naturam) ita à mortuis surrexisse, vt non fuerit amplius inter mortuos; & ita in cœlum ascēsse, vt non fuerit amplius in terris; & ita supra omnes creature exaltatum sedere ad dextram Patris, vt non sit vel infra, vel intra res creatas; cùm omnia sint subiecta pedibus eius.

## L VIII.

Neque caput dici potest sua substantia esse, vbi pedes, licet in eis sit virtute & efficacitate sua; atq; etiam tam ipsum pedibus, quām pedes capiti coniuncti sint sua substantia, per neruos & animam.

## LIX.

Apostolus autem dicit, Christum datum esse Ecclesia caput, nempe etiam secundum humanitatem: caput autem toti eminet corpori.

## L X.

Nil minus igitur voluit Apostolus verbis de sessione ad dextram Dei, quam concludere, corpus Christi, sua substantia ubique praesens existere. Quare iniuriam faciunt Apostolo; qui hoc inde concludere suis sophismatis conantur.

## L XI.

Sed neque illa necessaria consecutione, ex illo articulo fidei, euinci potest talis Vbiquitas..

## L XII.

Etsi enim concederetur (quod non potest concedi) ex sessione ad dextram Dei, humanam naturam factam esse verè in se omnipotentem: nisi tamen probetur ita esse factam omniapotentem, ut facta etiam sit infinita & immensa: euinci nullo modo potest, corpus Christi sua substantia ubique praesens esse.

## L XIII.

Hæc enim ita sola causâ est, curetiam Deus verè sua essentia sit ubique: ut si immensitatem ab eo tollas, ipsa ubique esse sua essentia, minimè dici queat.

## L XIV.

Ac si etiam corpus singas infinitum, & ea re ubique esse: in singulis tamen locis totum simul esse, nunquam in exteriorum probabis, nisi illud simplicissimam quoque essentiam esse demonstres: quando etiam Deus ideo totus ubique est, non autem secundum partes, quia simplissima est essentia.

## L XV.

## L X V .

Quare quicquid garriant Vbiquitarij, siue ab vnione hypostatica, siue à dextra Dei, siue à verbis Cœnæ, siue à varijs essendi modis, siue à verbo, Data est mihi omnis potestas, & similibus dictis argumentantes: paralogismum semper in hac disputatione admittunt (ut de alijs in præsentia taceamus) qui vocatur non caussa pro causâ: nisi illis argumentis demonstrent substantiam corporis Christi, factam esse immensam ac infinitam, & simul etiam simplicissimam, qualis est essentia Dei.

## L X VI .

Neque tamen propterea negamus, quin corpus Domini nostri Iesu Christi, licet in cœlo maneat, nobis tamen reuera præsens sit, sua non solùm efficacitate, sed etiam substantia.

## L X VII .

Sed quomodo, aut quali præsentia; præsentia certè vera; sed quæ realiter in nobis sit per eius in nobis Spiritum & per nostram fidem: ac, si licet similibus vti, quali præsentia caput singulis membris, etiam pedibus, verè & reapse præsens est.

## L X VIII .

Quomodo autem hæc sibi intuicem præsentia sunt? non loci propriauitate (alioqui enim caput Pigmæi magis præsens esset suis pedibus, quam caput Gigantis) sed vi unius animæ, & nexus nerorum ac ligamentorum.

## L XIX .

Cum igitur, secundum scripturas, eodem Spiritu nos, nostræq; corpora, & corpus Christi, simul verè connectantur; ita ut nos simus vnu & idem corpus sub vno eodemq; capite, quod Deus dedit Ecclesiæ, nempe Christo:

nemo veram hanc præsentiam, sine summa blasphemia,  
inficiari potest.

## LXX.

Cæterum de Sessione ad dextrā nos credimus. Apo-  
stolum hac locutione significare voluisse, Christum se-  
cundūm humanitatem, post multos grauissimósque no-  
stræ redēctionis cauſa, exantlatos in terris labores, tol-  
eratósque mortis dolores; nunc in cœlis glorioſum quie-  
ſcere, eūmque Patri carissimum in summa felicitate vi-  
uere: in conspectu Dei Patris pro nobis apparere, & eius  
intercessionem atque *ἱλασμὸν* Patri gratissimum esse: re-  
gnare item cum Patre, & ab eo iudicem, qui tandem ali-  
quando veniat ad iudicandum viuos & mortuos, conſti-  
tutum, inque cœlesti ſolio collocatum esse.

## LXXI.

Sedere enim & quiescentis est, vt Tertullianus do-  
quit: & habitantis & regnantis, ac iudicem agentis, vt Au-  
gustinus: neque ad dextram sedere dicuntur, niſi qui ca-  
rissimi ſunt & amicissimi.

## LXXII.

Augustinus certè hunc locum ſic eſt interpretatus:  
*De Symbolo ad Catchumenos.*

*Mm. ca. 4.* Ascendit in cœlum, credite: ſedet ad dextram Dei,  
credite: Sedere, intelligite habitare: quomodo dicimus  
de quocunque homine, In illa patria ſedit per tres annos.  
*Ibid.* Item: Sic ergo credite, habitare Christum in dextra Dei  
Patris, ibi eſt. Nē dicat vobis cor vestrū, quid agit? No-  
lite querere, quod non licet inuenire: Ibi eſt, ſufficit vo-  
bis: Beatus eſt, & à beatitudine, quæ dextra patris voca-  
tur, ipſius beatitudinis nomen eſt, dextra Patris. Nam fi-  
carnaliter acceperimus, quia ſedet ad dextram Patris, ille  
ad fini-

ad sinistram: nunquid fas est, ut sic illos componamus, Filium ad dextram, Patrem ad sinistram? Ibi omnis dextra est, quia ibi nulla est miseria.

Item: Sessionem istam dilectissimi, non accipiatis lib. 2. c. 4.  
humanis membris positā, tanquam Pater sedeat in sinistra, vt Filius sedeat ad dextram, sed ipsam dextram intellegite potestatem, quam accepit homo ille susceptus à Deo, vt veniat iudicaturus, qui prius venerat iudicandus.

Item: Quis est, qui sedet ad dextram Patris? Homo lib. 3. ca. 7.  
Christus. Nam in quantum Deus, semper cum Patre & ex Patre: & quando ad nos processit, à Patre non recessit. Hoc enim est esse Deum, vbique esse totum. Totus ergo Filius apud Patrem, totus in cōcelo, totus in terra, totus in utero virginis, totus in cruce, totus in inferno, totus in paradiſo, quo latronem introduxit. Non per diuersa tempora vel loca dicimus vbique esse totum, vt modò ibi totus sit, & alio tempore alibi totus, sed vt semper vbique sit totus.

Item: Sed hoc quod Filius dicitur sedere ad de- Ibidem.  
xtram Patris, demonstratur, quod ipse homo, quem suscepit Christus, potestatem acceperit iudicantis.

Item: Regnat homo iam susceptus à Christo ad de- lib. 4. ca. 7.  
xtram Patris sedens.

Item: Cæterū id, quod Deus est, & Patri æqualis Ibidem.  
est, & semper iudicar, semper præsens est: veniet autem Redemptor in ea forma, in qua assumptus est.

### LXXXIII.

Tantum igitur abest, vt sessione ad dextram Dei, significare voluerit Apostolus, Christum sui corporis substantia in terris & vbique esse, vt potius contrarium docuisse videatur: quando in cōcelo solum, non autem in his terris, perfecta beatitudo consistit; & in cœlis,

non autem in terris Deus habitare, & in cœlis potius, quam in terris regnare dicitur: Christusque non est terris, sed è cœlo ad iudicandum viuos & mortuos, venturus est se creditur ac prædicatur.

## LX XIV.

*Adde, quod sicut pedes Dei per avagantibus nos in*  
*Act. 7. 49. cœlis esse dicuntur, sed in terris, iuxta illud, Coelum mihi*  
*sedes est, terra autem scabellum pedum meorum: sic etiam*  
*ciusdem dextra in cœlis potius, quam in terris locum ha-*  
*bere, haud immerito dici nobis potest.*

## LXV.

Concludimus ergo, sicut ex doctrina Apostolica de resurrectione à mortuis & de ascensione in cœlum, demonstrari non potest ubiquitas corporis Christi, sed potius refellitur: sic neque ex ea, quæ de Sessione est ad dextram Dei, eam necessariò inferri posse.

## LXXVI.

Immo si talis Ubiquitas admittatur, dicimus omnes hos Fidei articulos, de Incarnatione in utero dūtaxat virginis facta; de vera morte, hoc est, vera animi à corpore separatione; de vera carnis resurrectione; de vera & visibili è terris in cœlum ascensione; de vera ad dextram Patris in supercœlestibus locis sessione; denique de visibili reditu ex iisdem locis ad iudicandum viuos & mortuos, non tam labefactari, quam penitus cuerti.

## LXXVII.

Corpus enim quod ubique est, è loco ad locum secundum se totum non moueri, tum vera philosophia demonstrat, tum etiam Christiana Theologia confirmat; quæ docet. Deum ideo non moueri è loco ad locum, quia immensus cum sit, omnia implet.

## LXXVIII.

## LXXVIII.

Nēquc etiam quod vbiique est corpus, illud vel ad dextram vel ad sinistram alterius sedere rectè dici potest; sed confundas substantiam sedentis, cum substantia dextra, ad quam, & cum substantia eius, cuius est dextra. ne esse est: cùm ideo etiam Pater, Filius & Spiritus sanctus cœlum & terram implentes vbiq; sint, & omnes & singuli, quia omnes vna sunt eadémque essentia..

## LXXIX.

Ad extremum sentimus doctrinam hanc de inuisibili & inpalabili carnis Christi vbiique præsentia, neque veram neque salutarem esse..

## LXXX.

Non veram quidem, quia nondum eam aut manifestis sacrarum literarum testimonij, aut necessarijs inde deductis consecutionibus, demonstrari, videre potuimus: Immo eam cum sacris literis, & cum Catholico veteris Ecclesiæ cōsensu ad fidei regulam, symbolo Apostolico comprehensam, diligenter examinatis, pugnare animaduertimus.

## LXXXI.

Atque ita illam cum scripturis pugnare obseruamus, vt & quæ symbolum tradit, & quæ Vbiquitariæ doctrinæ autores scribunt, simul admittere, sine manifesta contradictionis implicatione non possis.

## LXXXII.

Non salutarem verò: quia quod cum verbo Dei consentaneum non est, illud tanquam consentaneum & ad salutem necessarium proponere, credere aut seruare, peccatum est: dicente Domino, Non addas neque detrahias: & Apostolo; Omne quod non est ex fide, peccatum est: stipendum autem peccati, mors est.

Deu. 12. 32.Roma. 14.23.Rom. 6. 23.

## LXXXIII.

## LXXXIII.

Denique, quia si opinio illa de Vbiuitate corporis Christi, vera esse credatur: impedimento fuerit, ne quis veram Christi carnem in celo existentem, mente per Christum subleuata apprehendat & edat: quo tamen & Apostolus & Ecclesia nos vocant, dicendo: Sursum cor-  
Col. 3. 1. da; Item, Quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est in dextra Dei sedens.

## LXXXIV.

Nihil minus igitur, quæ carnem Christi edunt, qui eam non in celo, vbi reuera est, cōtemplantur: sed vbiq; sua substātia realiter præsentem esse imaginantur. Aelopicus canis, relicta vera carne, vanam carnis vmbra, quia videbatur grandius frustum, stultè persecutus est.

## Quæstio ex 1. Iohan. 4. 3.

D. Iohannes Antichristum describens, ait: Omnis Spiritus, qui non confitetur, Iesum Christum in carne (verè humana) vniisse, ex Deo non est: Et hic est Spiritus ille Antichristi.

Cum verò Christus, quam semel assumit carnem, eam nunquam deposuerit, sed secum in cælum attulerit, & in ea omnibus hominibus conspicua, ad iudicandum viuos & mortuos, in nubibus redditurus sit: Quæritur, Cuiusnam Spiritus illi sint, & quo nomine appellandi, qui Domino nostro Iesu Christo, nescio quam carnem inuisibilem, incircumscripatam, impalpabilem, ubiq; locorum, in cælis et Astris, in aere, in terra, subtus terram, in inferno, & in singulis partium mundi partibus, & partiū particulis, particularumq; minimis particulis, totam totaq; (se Deo placet) substantia, realiter existentem, contra scripturam, & contra Orthodoxum Ecclesię Catholica consensem, affingere cum veteribus hereticis non dubitant.

DE

## DE DISPENSATIONE SA-

lutis per Christum : Ex i. cap.

ad Ephesios,

THESES.

Anno 80.

## I.

DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS, in quo ver. 7. & 8.  
ad æternam salutem electi fuimus, non solum nos  
semel redemit, per sanguinem suum, remissione pecca-  
torum im petrata, & victoria parta: verum etiam redem-  
tionis & salutis gratiam, quotidie nobis dispensat, atque  
communicat.

## II.

Perfecti enim redemptoris est, non solum dato λύτρῳ  
redimere, verum etiam redemptionem factam, redemptis  
significare, eosq; è manibus tyranni in libertatem re ipsa  
asserere: quemadmodum boni etiam capit is est, quam  
in se habet vitam, sensum, ac motum, cum in membra  
deriuare.

## III.

Dispensare autem solet Christus hanc salutis gra- vers. 13.  
tiam, per sermonem veritatis, hoc est, per Euangeliū  
salutis nostræ: cum quo Sacra menta etiam tanquam si-  
gilla, & salutis organa, coniungimus.

## IV.

Euangelio enim, notum nobis facit mysterium vo- vers. 9. & 10.  
luntatis diuinæ, de nobis per Christum ipsum seruandis,  
& omnibus tam quæ in cœlo, quam quæ in terra sunt, col-  
ligendis, & vni capiti Christo adglutinandis.

T t

## V.

vers. 13.

Nec soldam per Euangelium, notum facit salutis mysterium; verum etiam ad se, & ad sui *renovavit*, eoque ad redemtionis salutisque participationem, nos efficaciter vocat, atque trahit.

## VI.

vers. 13.

Roma. 10.

Ad Euangeliū enim prædicationem, excitare consuevit fidem in cordibus nostris: qua credamus in eum, & in eius communionem recipiamur.

## VII.

vers. 13.

Donat etiam Spiritum sanctum, per quem nos regenerat: & impressa Dei imagine, ad plenam æternæ hæreditatis possessionem obsignat.

## VIII.

Pereundem Spiritum, nos ad studium sancte virtutis honorumque operum, excitat, agit, ducit.

## IX.

vers. 14.

Ac si in peccata (quæ nostra est imbecillitas) labimur, inde nos donata resipiscientia subleuat: & de remissione certiores facit: & ea re per ipsum Spiritum, tanquam per arthabonem, nos in certitudine salutis æternæ, magis ac magis in dies confirmat.

## X.

vers. 14.

Facit vero hæc in nobis Christus officia, nunquam nos penitus deserens, donec tandem à prima ἀπλύτεωσι, quæ est à reata & seruitute peccati, & à potestate diaboli, ad alteram ἀπλύτεωσι, nimirum περιποίησις, quæ in perfecta assertione, plenaque cœlestis hæreditatis possessione consistit, pro sua gratia, immensaque erga nos bencvolentia perducat.

## X I.

Ceterum Dominus Iesus, sicut redemptor noster est,  
& caput totius Ecclesie, secundum utramq; naturam: sic ~~res~~ <sup>ad 2307</sup>  
etiam salutem vitamq; æternam communicat, nō solū  
quā Deus, sed etiam quā homo est iuxta illud, Cōfide fili,  
remissa sunt tibi peccata tua: Et mox vt autem sciatis,  
quod Filius hominis potestatem habeat remittendi pec-  
cata (dicit paralytico) Surge tolle tuum leđum, & abi-  
mum tuam: utrāque natura, cum communione alterius,  
quod proprium est, operante.

## X II.

Sicut enim naturę ita vnitæ sunt inter se, in vna per-  
sona, vt tamē neq; inter ipsas, neq; inter ipsarū proprieta-  
tes, vlla fācta sit vel mutatio vel confusio: sic etiam actio-  
nes ita vnius eiusdemque sunt personæ actiones, vt tamen  
verè inter se distinguantur: atque ita distinguantur, vt  
quæ ab vna sunt natura, illiusque propriæ, eas, licet cum  
alterius fiant communione, ab altera tamen, aut secun-  
dum alteram à Christo fieri, nefas sit dicere.

## X III.

Quapropter sicut probamus Patres, cum dicunt,  
actiones Christi in nobis redimendis atq; lru indi, acti-  
nes fuisse & esse Jeāde mās: sic etiam dictum illud Leonis  
Episcopi Romani celeberrimum, in Epistola ad Flavia-  
num, vehementer laudamus, firmaq; fide retinendum  
esse, docemus: nimirum, AGIT ENIM VTRAQUE FOR-  
MA CVM COMMUNIONE ALTERIVS, QVOB PROPRI-  
VMB ESI: VERBO SCILICET OPERANTE QVOD VER-  
BI AST, ET CARNE EXEQVENTE QVOD CARNIS EST.

## X IV.

P̄ssus enim est pro nobis & mortuus, & sepultus,  
secundum carnem: sed gratiam promerendi, & re-

dimidi dedit passioni, per quam nos redemit, secundum  
Deitatem: omnia vero haec voluit secundum utramque  
naturam.

## X V.

VER. 20. 21.

Resurrexit item a mortuis & visibili localique as-  
censione ascendit in coelum, exaltatus supra omnes An-  
gelos, secundum humanitatem: sed resurrectione ipsam  
ascensionem & exaltationem, operatus est secundum di-  
uinitatem: voluit autem secundum utriusque naturae vo-  
luntatem.

## X VI.

*Quemadmodum igitur credimus Christum nos re-*  
*demisse secundum utramque naturam, iuxta illud, Deus*  
*Ecclesiam suam acquisiuit per proprium sanguinem: sic*  
*etiam non dubitamus, eundem ad dexteram Patris in su-*  
*percoelestibus sedentem ac quiescentem, omniaque cum*  
*Patre regentem, gratiam redēctionis aeternāque salutis;*  
*toti Ecclesiae, quae est corpus ipsius, singulisq; eius mem-  
*bris, secundum utramque naturam, e coelo dispensare ac*  
*communicare: verbo quod verbi est, & carne quod car-  
*nis est, efficiente.***

## X VII.

Etsi enim ministerio verbi & Sacramentorum, per  
homines ad salutem nobis communicandam vtitur: ipse  
tamen Christus, & quā Deus, & quā homo, is propriè est,  
qui nos vocat, fide & resipiscētia donat, ac credentes  
narrat τὴν ἐργασίαν τῆς κράτους τῆς ιωχήνας iustificat, rege-  
nerat, vivificat, seruatque in vitam aeternam.

## X VIII.

Proinde fides etiam nostra, qua salutem in Christo,  
vitamque aeternam apprehendimus, non in unam aut in  
alteram

alteram seorsum naturam, sed in totum ipsum Christum,  
respicere & recumbere debet, quemadmodum & Ephesij,  
fidem dicuntur habuisse οὐκεῖνος Ιησός.

## XIX.

Ex quo sequitur, qui in Christo aut alterutram natu-  
ram negant, aut alteram ab altera diuidunt, aut utramq;  
simul confundunt, ita, ut eum aut pro vero Deo, aut pro  
vero homine, nobis per omnia simili excepto peccato,  
non agnoscant, & ut talem eōq; verum, & perfectum re-  
demtorem non amplectantur: eos redemtionis, æter-  
næque salutis compotes fieri non posse..

## XX.

Nam sicut qui credit in Christum, qualis est, habet  
vitam æternā: sic qui non credit, eam habere non potest.

## DE IIS.

Q V AE D E D O M I N O N O-  
stro Iesu Christo, post vunionem, prædicantur:  
tur: & quonam prædicentur modo.

Ex Epistola ad Ephesios  
capite I,

## THESES.

Anno 82.

## I.

A P O S T O L V S scribit, Christum à mortuis excitatum,  
eoque verè mortuum fuisse: alibi verò, Dominum  
gloriae fuisse crucifixum: sed & sēpe legimus, Filium ho-

minis fuisse morti traditum. In ijs autem omnibus enuntiationibus, de eadem persona, Filio nimirum Dei incarnato, semper est sermo. Persona ergo Christi, quæ in his propositionibus subiectitur, tribus nominum generibus significari solet: nimirum, quæ aut diuinam tantum naturam, modò ratione essentiæ, modò ratione hypostaseos, notant: vt, Dominus gloriæ, vnigenitus Dei Filius: aut humanam dunt a xat eodem modo, vt, homo, Filius Mariæ: aut utrunque simul, vt, Christus, Immanuel, Deus incarnatus.

## II.

Addimus verò, nominibus etiam, quæ ab officiis Mediatoris predominantur, personam ipsam Christi significari: Veluti sunt hæc: Mediator, redemptor, servator, pontifex, aduocatus, & his similia. Sed hæc ad tertium genus referri possunt: quia ijs utraque natura in una persona indicatur.

## III.

Nomina concretiæ à naturis denominata, vt homo ab humanitate, & Deus à Deitate, cùm in sermonibus de Christo subiectiuntur, duo simul habent significata: unum formale (vt loquuntur Scholæ) & alterum materiale: quorum priore natura ipsa, altero persona notatur, quæ talem habet naturam à qua denominata est.

## IV.

Sicut enim nomina abstractiua solam naturam & proprietatem, quæ alicui inest, significant: sic omnia concretiua, & naturam ac qualitatem quæ inest, & hypostasin, cui inest, connotant: Ut exempli caussa, nomen iusti, & iustitiam, qua, & cum qui iustus est, simul demonstrat.

## V.

In his itaque subiectis nominibus, quæ à naturis denominata, personam Christi monstrant: modò naturæ propriæ

Proprietas, modò vñitas personæ indicatur: ac proinde pro varietate prædicatorum intelligenda & explicanda sunt subiecta.

## V. I.

In hac enim oratione, Filius Dei, eternus est: subiectum, secundum proprietatem naturæ, explicandum est. In hac autem, Filius Dei vñigenitus, passus est: secundum vnitatem personæ. Passus enim est ille, qui non solum homo, sed etiam Deus est: Deitate impassibili permanente.

## V. II.

Non inficiamur, quin nonnunquam inueniantur nomina abstractiua, quæ subijciantur, vt, Lux venit in mundum: sicut & quæ prædicantur, vt, Christus est lux mundi, nostra iustitia, pax: sed illa vicem tenet concretiorum: Vt, lux venit in mundum, id est, Ille, qui nos illuminat. Proinde pro talium nominum ratione ad aliquid illorum trium generum, referenda sunt.

## V. III.

Tría porro sunt attributorum genera, quæ de eadem Dei & hominis Christi persona, quouis nomine significatur, prædicari solent. Quædam enim propria sunt diuinæ naturæ, cōque alteri naturæ, minimè realiter communica-bilia: vt, esse imparabilem, eternum, immensum. Quædam propria humana, cōque alteri re ipsa prorsus ~~āreūā~~, vt esse factum, finitum, patibilem. Alia vero propriatotius personæ, vtrâque natura constantis, ac proinde vtrique simul naturæ communia; Vt, esse Mediatorem, Redemptorem, Seruatorem.

## I. X.

Ad tertium hoc genus pertinent actiones, quas Græci patres ~~Ιεράδεινας~~ ἀργεῖας appellantur: quò in operibus redēctionis, vtraque forma agat, non quod alterius, sed quod.

quod proprium est, verum cum communione alterius.  
Verbo agente, quod Verbi est, & carne exequente, quod  
carnis est.

## X.

Horum trium generum attributorum, haud difficile exemplum in nobis ipsis reperimus. In homine enim quædam solius animæ propria sunt; Ut, immortale esse, intelligere, velle. Quædam solius corporis, ut, esse mortale, palpabile, ponderosum. Quædam vtricq; communia, vti sunt ea opera, ad quæ peragenda, vtraque hominis pars agit, quod suum est, cum alterius communione: qualia sunt scribere, loqui, currere, & deniq; quæcumque ministerio quidem corporis, sed non nisi vi & duæ animæ perficiuntur.

## XI.

Ex ijs vero, quæ de subiectis & prædicatis diuersis dicta sunt, sequitur diuersitas etiam prædicationis. Omnis igitur de Christo prædicatio aut propria est & simplex, aut impropria & figurata.

## XII.

Propria ac simplex, duobus contingit modis. Vnus est, cum quæ sunt vnius naturæ propria: ea de persona Christi, nomine, vel ab eadem natura denominato, vel personæ proprio, expressa, prædicantur; Ut, hic Deus noster, vel Christus, omnipotens est, & ubique presens. Item, hichomo, vel Christus, passus ac mortuus est. Alter est, cum quæ totius sunt personæ propria: ea de tota etiam persona, nomine vtramque naturam complectente, significata, prædicantur: qualia sunt ea, quæ ad officium Mediatoris, & honorem capitis pertinent, Ut, Christus, Immanuel, Deus incarnatus, nos redemit, sanctificauit, seruauit,

seruauit, est rex, adorandus: quæ idcirco dicuntur personæ propria, quia neutri naturæ seorsum recte accommodari possunt. Sunt autem omnes hæc enunciationes propriæ ac simplices: quia in ijs omnibus, quæ eiusdem generis sunt, connectuntur prædicata cum subiectis.

## XIII.

Impropria autem & figurata itidem duplex est. Una, cum quæ totius sunt personæ, siue ad officium Mediatoris, siue ad honorem capitinis pertinentia: ea de altera natura, siue abstractiō, siue concretiō nomine significata, prædicantur: Ut caro viuificat, sanguis lauat à peccatis, Deus redemit Ecclesiam, Mediator Dei & hominum homo, &c.

Altera, cum quod unius est naturæ proprium, de altera natura concretiō nomine significata, & personam connotante, prædicatur: Ut, Deus passus ac mortuus est: Homo cum esset in terris, simul etiam erat in cœlis.

## XIV.

In ijs enim alterius modi propositionibus improprijs, diuersorum generum idiomata, seu concretiua nomina copulantur: & ideo impropriè dicitur Deus passus, quatenus nomen Dei, sua propria significatione, essentiali diuinam significat, quæ pati non potest: sed respectu connotatae personæ, quæ etiam homo est, vera est, licet impropria, propositio: & ideo ῥυματικῶς etiam hæc dicuntur de tota persona, cum tamen ei reuera non congruant, nisi unius naturæ respectu.

## XV.

Hanc alteram orationis impropriæ formam, cum Græcis vocamus κειμενικὰς ιδιωμάτων: quam Theodoretus

Dia 3. p. 68 explicans vocat κοινωνίαν, & κοινώπολιτῶν ὀνομάτων: Et D<sup>a</sup>  
Lib. 3. c. 3. & 4. mascotenus, τὸν τῆς ἀνθρώπων τόπον.

## X VI.

Idioma enim illis fuit nomen concretium, idiomatis proprietatem alicuius naturæ significans: & κοινωνία, seu ἀνθρώπων, fuit mutua & reciproca idioma vnius, de concretio alterius naturæ nomine, personam connotante, prædicatio: ut summa sit inscitia, putare, cum Patres de communicatione idiomatum loquebantur, eos de reali essentialium proprietatum vnius naturæ, in alteram, vel effusione, vel communicatione, differere voluisse: cum apertè scribant: η ἔνωσις κοινὰ ποιεῖ τὰ ὄντα: nusquam autem, τὰ πεάγματα.

## X VII.

Theodor. Si enim de naturis ipsis, quæ in Christo sunt, nobis  
Dialo. 3. p. fit sermo: Theodoretus, cum alijs patribus, docet, sic  
67. B. nobis loquendum esse, ut non, quæ vnius sunt idia, altell etiam reapse communia esse doceamus: sed, ut quæ cuiusque sunt, illi etiam soli tribuamus. quemadmodum & quæ sunt animæ non damus corpori, sed animæ soli, & contraria. Siverò de persona loquamur: sic componendam esse orationem, ut quæ cuiusque naturæ sunt idia, ea etiam toti personæ verè & re ipsa communia esse significemus: quemadmodum etiam, tam quæ sunt animæ, quam quæ sunt corporis, toti homini realiter & in veritate tribuimus.

Sunt autem hec eius verba, post allatum simile animæ & corporis, totiusq; hominis: ὅτω τοὶ ρχεῖν, καὶ τὸς φειτὸς πεισθεῖν αφοίκαι λόγοις: καὶ τοῖ μὲν τῶν φύσεων διαλεγομένοις, ἀπονέμεν εὐαλέσσα τὰ πεῖστορες, καὶ εἰδέναι. πίνα μηδὲν θέονται, πίνα δὲ τῆς ἀνθρώπου idia. οὐν δέ τε τὴν

τῷ τοῦ περισάπτου πιάμενα λόγιας: καὶ μὲν τοιεῖν τὰ τῶν φύ-  
σεων ἴδια: οὐ πᾶς πάντα, τῷ σωτήρι τοιεῖν περισάπτου τοιεῖν:  
καὶ τὸν αὐτὸν καλεῖν καὶ Ἰησούν, καὶ ἀνθρώπουν: οὐ ίόν Ἰησόν, καὶ αὐτοῦ πάσας:  
οὐ διαίδει κύριον διαίδει: οὐ πέριμα Αἴρεσθαι, οὐ πιητὴν Δέσα-  
σμον: οὐ τὰ ἄλλα πάντα ὠντωτάς.

Eandem doctrinam ex Amphilochio Iconij Episco.  
Po,& ex alijs Patribus passim in suis dialogis confirmat.

Dia. 1. p. 19

Dia. 3. p. 17

## XVIII.

Damascenus quoque ut eandem rem explicaret, nimirum, quomodo, quæ vniuersitatem naturæ, alteri communimentur, nempe in persona: In hæc verba scribit: οὐκε-  
ταὶ δέ τὰ ἀνθρώπινα οἱ λόγοι. αὐτὸς γένεται, τῆς ἀγίας αὐτὸς σαρ-  
κος ὅντα: οὐ μεταδίδωσι τῇ σορᾷ τῶν ἴδιων κατὰ τὸν τῆς ἀνθρό-  
που τρόπον: διὰ τὴν εἰς ἄλληλα τῶν μερῶν περιχώρησιν, οὐ τὸν  
καθ' ὑπόστασιν ἐνωσιγ.

## XIX.

Quo ex loco non obscurè liquet: primum, non mī-  
nus, quæ sunt carnis, attribui λόγω, quam, quæ λέγεται, car-  
ni: Deinde non alio modo, quæ λόγω sunt, carni tribui,  
quam quo, quæ carnis sunt, λόγω attribuuntur: Denique  
modum hunc, modum vocari ἀνθρόποις, id est, mutuæ  
prædicationis, non simpliciter & in naturarum nominin-  
ibus abstractis, sed in concretis, personam notantibus.

## XX.

Quis porro sit ἀνθρόπος τρόποις, & cur sic vocetur,  
explicat idem Damascenus cap. 4. tum exemplis, tum ad  
finem, his verbis: ἔτι γένεται τὸ τρόπον τῆς ἀνθρόπεως, ἐκάλεσας  
Φύσεως ἀνθροπότην τὴν ἐπέργα τὰ ἴδια, δια τὴν τῆς ἀνθρόπεως ταῦτα.  
τηλα, οὐ τὸν εἰς ἄλληλα αιτῶν περιχώρησιν. καθα τῷτο δυνάμεθα εἰ-  
πεῖν τοὺς ξεῖν, ἔτι γένεται τὸ τρόπον τῆς γῆς γῆς ὁ Φίλος, οὐ τοῖς αὐτοῖς  
τοιεῖσιν σωματεράφῃ: οὐ οἱ αὐτοὶ πάντες οἱ αὐτοὶ, αὐτοὶ εἰσὶ οἱ αὐτοὶ.

Exempla verò subiecta, quomodo vna natura <sup>et id</sup> alteri attribuat, & propter quam causam: luculenter do-  
cent. Non enim Deus prout hoc nomine significatur el-  
fentia diuina, in terris visus est: sed tantum, prout signifi-  
catur persona, quæ & Deus & homo est.

## XX I.

Ideo non displiceret illa recepta <sup>κοινωνίας ιδιωμάτων</sup>  
descriptio:

Communicatio Idiomatum, est prædicatio, in qua  
proprietas vni naturæ conueniens, tribuitur personæ, in  
concreto: quia hæc duæ naturæ, λόγος & natura assumtae  
sunt vnum ὑφιστάμενοι.

## XX II.

Sic ergo non malè definiri posse idiomatum com-  
municationem, iudicamus: Idiomatum communica-  
tio, est prædicatio, seu forma sermonis: In qua Idiomata  
hoc est, nomen concretiuum, vnius naturæ proprietatem  
significans, de persona Christi alterius naturæ nomine si-  
gnificata, realiter: de natura autem ipsa altera, in concre-  
to, nomine tenus, propter πρεγάρησιν naturarum & vni-  
nem καθ' ὑπέρτατον prædicatur.

## XX III.

Idem autem esse dicimus, prædicari de persona, co-  
cretiuo alterius naturæ nomine, significata: atq; de con-  
cretiuo alterius naturæ nomine personam connotante,  
prædicari: sicut etiam idioma in hoc negotio & concre-  
tiuum nomen <sup>ιδιώματι</sup> vnius naturæ significat, idem sunt.

## XX IV.

Quæstio enim hæc à Patribus aduersus haereticos,  
non tam de rebus ipsis proposita fuit, quàm de formis lo-  
quendi, quibus scriptura sancta de Christo loquens vi-  
tur:

tur: cùm modo ait, Dominum gloriæ crucifixum esse, modo, Filium hominis, cùm esset in terris, fuisse etiam in cœlo: & alia ijs similia: quomodo nimirum hæ phrases sint intelligendæ.

## XXV.

Nemo enim rectè sentientium dubitabat, sicut naturas, sic etiam essentiales vtriusq; naturæ proprietates, in persona Christi, post vniōnem, distinctas, integras, inconfusas mansisse: ita, vt nec Deitas (exempli caussa) facta sit impassibilis, & localis, nec humanitas, impassibilis & incircumscripta: quemadmodum hæretici nonnulli scripturas adulterantes blasphemarunt.

## XXVI.

Fundamentum autem totius huius explicationis, fuit vera & intima duarum naturarum inter se vnitio, & in vnam eandemq; personam coitio ἀνέπικλως, ἀσυγχύτως & ἀδιαιρέτως, atque ἀχαρεῖτως, ineffabiliter effecta.

## XXVII.

Hoc enim explicans Damas. postquam docuisset, lib. 3, ca. 3. quomodo, que sunt carnis, attribuantur λόγως, & vicissim, que λόγως, ipsi carni communicentur, nempe καθα τὸν τῆς ἀνθροπείας τρόπον: caussam huius rei subiecit, dicens: διὰ τὴν εἰς ἄλληλα τῶν μερῶν περιχώρησιν, καὶ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἐνωσιν: Et cap. 4. § 7. Θεῖν (inquit) ὁ τρόπος Θεᾶς ἀνθροπείας, ἐναέρας Φύσεως ἀνθροπείας τῇ ἐπέρρετῇ idia, διὰ τὴν παντούσιας παντοτήτα, καὶ τὴν εἰς ἄλληλα μερῶν περιχώρησιν.

## XXVIII.

Περιχώρησις autem, ipsa est ἐνωσις, hoc est, intima & vndeique perfecta atque absoluta vnitio, vt ipse, cùm alibi, tum maximè lib. 4. cap. 19. explicauit, dicens: ἀλλ' η

Δῆμα Φύσις ἀπειχωρέσσα διὰ τῆς συρροής, ἔδωκε καὶ τῇ σφράγι, τῷ  
αὐτὴν ἄρρητον αθειχώρησιν: ἢν δὴ ἐνώσιν λέγομεν,

## XXIX.

Addimus nos, eandem vniōnē cauſsam etiam esse  
finalē huiusce formae loquendi: quoniam ideo hæc re-  
ciprocā prædicatio tradita est à scriptura sancta, vt vera  
naturarum ἐνώσις in una Christi persona ostenderetur:  
qua cauſsa est, cur neque hæ verbales prædications, ina-  
nes aut vanæ vlo modo dici possint: cùm maximum ha-  
beant vsum, duas naturas in unam personam ἀσυγχύτως  
vnitas, ostendentes.

## XXX.

Eandem porrò idiomatum communicationem (ex-  
empli cauſsa, in hac propositione, Deus est crucifixus) &  
verbalem esse dicimus & realē, diuersis respectibus. Qua-  
tenus enim hac voce concretiua, Deus, significatur per-  
sona, qua non solūm Deus est, sed etiam homo: realis est  
prædicatio. Nam, quia homo est, ideo verè & re ipsa mor-  
tuus est. Quatenus autem formalī, vt vocant, significatio-  
ne, notatur Deitas, seu Deus simpliciter: verbalis est, &  
quidem vera. Deus enim verè dicitur esse mortuus, pro-  
pter personam qua connotatur: nec tamen re ipsa mor-  
tuum est, aut mori potuit, quod Deus est: tametsi qui  
Deus est, reuera mortuus sit.

## XXXI.

His ita explicatis: facile est, de varijs enunciationi-  
bus, quānam verē sint, qua falsæ, & quo, qua que prædi-  
cationis modo enuntietur, iudicare.

De una natura, abstractiuo nomine significata: alte-  
ra natura, eiisue proprietates, neq; per abstractiuum, neq;  
per concretium nomen vlo modo prædicari possunt.  
Tam enim falsa est hæc, Humana natura, seu humanitas,  
est Deus:

est Deus: quām hæc, humanitas est Deitas: Et tam hæc, humanitas, est immensa & infinita: quām hæc, Humanitas, est ipsa immensitas atque infinitas.

Proinde nulla in sacris literis huius generis locutio reperitur.

## XXXII.

De una natura siue concretiuo siue abstractiuo no-<sup>Reg. 2.</sup>  
mine significata: altera natura, ciūsiue proprietates, in ab-  
stracto prædicari non possunt. Vtraq; enim hæc proposi-  
tio, falsa est. Deus est humanitas, & Deitas est humanitas.

## XXXIII.

De quauis natura quocunq; nomine significetur: <sup>Reg. 3.</sup>  
quæcunq; illius sunt, verè ac propriè prædicantur, idq; in  
concreto de vtrâque: de diuina autem, etiam in abstra-  
cto, propter eius simplicitatem. Tam enim vera ac pro-  
pria est hæc. Deitas est omnipotens, quām hæc, Deus est  
omnipotens, atque etiam sua omnipotentia. Et rursus  
humanitas & homo est mutabilis.

## XXXIV.

De persona, nomine proprio & vtramque naturam <sup>Reg. 4.</sup>  
notante, aut nomine Mediatoris officium significante,  
expressa: tam quæ vnius, quām quæ alterius, aut vtriusq;  
simil sunt naturæ, verè & propriè prædicantur: Ut Chri-  
stus est Deus vel omnipotens: Item Christus est homo, est  
mortuus. Item Christus, est Redemptor, Mediator. Item  
Mediator est Deus, est homo, est immortalis, est mortuus,  
redemit nos.

## XXXV.

De persona, per nomen vnius naturæ significata: <sup>Reg. 5.</sup>  
que sunt illius naturæ, verè & propriè prædicantur: Ut, hic  
Deus, aut vñigenitus Dei Filius, æternus & omnipotens  
est.

est. Item hic homo, aut Filius hominis, in nouissimis diebus natus est, mortuus est.

## XXXVI.

Reg. 6.

*Devna natura, siue abstractiuo, siue concretiuo nomine significata, quæ sunt totius personæ, non nisi suuenda, parte pro toto sumta, prædicari possunt: Ut, caro viuificat, Deus redemit Ecclesiam,*

## XXXVII.

Quocirca illud Leonis, vtraque forma agit, quod suum est, idem esse, cum Damasceno dicimus, cum eo quod est (idque propriè) Christus secundum vtramque formam agit. Actiones enim suppositorum propriè sunt seu personarum.

## XXXVIII.

Sic quod Iohan. ait: Sanguis eius lauat nos à peccatis. Et Christus, Caro mea, verè est cibus: Item quòd viuificare, quòdq; adoranda esse dicitur: nomina illa pro contritiis ponuntur: nempe, caro Christi, pro Christo incarnato: Et sanguis Christi, pro, Christus suo sanguine.

## XXXIX.

Quienam dixit, Qui edit carnem meam, habet vitam æternam: idem dixit, Qui manducat me, ipse viuet propter me. Et qui scripsit, Sanguis eius lauat nos à peccatis: idem explicans sese, ait: Christus lauabit nos à peccatis nostris, in suo sanguine. Et qui definierunt, carnem Christi adorandam esse: ijdem cauissam exprefserunt: nempe, non quia caro, sed quia caro Dei est, eoque proprie non carnem, sed Deum incarnatum. *Jeov' crougnw Jēsū, à Christianis adorari.*

## XL.

Reg. 7.

De persona per nomen unius naturæ indicata, quæ sunt alterius naturæ, verè quidem & realiter, sed impro priè ac

priè ac figuratè per communicationem idiomatum prædicantur: Ut, Filius hominis, in cœlo simile est. & in terris. Item, vñigenitus, & Dominus gloriæ, crucifixus est.

## XL I.

Hinc etiam alia sequitur: de natura vna, concreti Reg. 28.  
uo nomine expressa, quæ sunt alterius propria, ea verè quidem propter personam connotatam, sed tamen non realiter, verum nominetenus tantum prædicantur: ut, Deus formalí significatione acceptus, mortuus est: homo, æternus est.

## XL II.

Quare illa per communicationem idiomatum prædicari dicimus: quæ, cùm sint propria vnius naturæ, alteri quoq; in concreto, ἀνθρώπως modo, communia fiunt: dum nimirum personæ, cuius vtraq; natura pars est, hæc realiter attribuuntur.

## XL III.

Cùm enim Christus verissimè & realissimè sit & Deus & homo: verè etiam ac realiter, & passum esse (exempli causa) secundùm scilicet vnam naturam: & nihil esse passum, secundùm scilicet alteram: dicere, & cum tota Ecclesia prædicare, non dubitamus.

## XL IV.

Ac cùm scripture dicat, & Deum ἄθανατον esse, & eundem esse mortuum seu crucifixum: in priori sermone nomen Dei ἐπωδῶς, in altero, ἴμσαλικῶς accipi, docemus: ac proinde in oratione de Christo, vtrumque verum esse: sed diuerso prædicandi modo, de eodem vtrumque enunciari.

Reg. 9.

## XL V.

Quæcunq; in tempore, Christo, post unionem, rea-  
liter datæ fuisse, leguntur: ea de persona respectu huma-  
nitatis, eōq; & de humanitate ipsa realiter & propriè p̄z-  
dicantur: respectu autem diuinitatis, idq; concretiuo no-  
mine indicatæ, non nisi per communicationem idiomati-  
cum prædicari intelligenda sunt. Exemplū primi, Ies. 11.  
requiescat super eum Spiritus sapientiae &c. Exemplum  
secundi, Iohan. 3. Dedit ei (filio, qui de cœlo est, quem  
misit Deus pater) Spiritum non ad mensuram. Neq; enim  
quatenus filius unigenitus, Spiritum accepisse realiter,  
sed tantum per communicationem idiomatum, dici po-  
test.

## XL VI.

Quæ autem hoc modo data fuisse fatemur: ea non  
fuerunt essentiales Dei proprietates, sed dona tantum  
creatitia, & gratia, ut vocant, habituales. Quæ partim ad  
humanæ in Christo naturæ perfectionem: partim ad of-  
ficia mediatoris perficienda: partim ad honorem capitis  
Ecclesiæ pertinent.

## XL VII.

Proprietates enim Dei essentiales, cum natura qui-  
dem humana realissimè vnitæ sunt in eadem persona: sed  
realiter illi in ipsa eius ḡosia nequaquam sunt communi-  
cate.

## XL IX.

Nam (ut alias propè infinitas rationes omittamus,  
& testimonia, tum Apostolorum tum veterum patrum)  
Quæcunque accepit Christus, ut homo in suę nimis  
humanæ naturæ ḡosia: ea accepit, ut, tanquam caput, illa  
in sua membra deriuaret: testimoniis Athanasio & Cyrillo:  
quando ideo etiam se sanctificauit, ut nos quoque esse  
mū.

Athanas.  
contra A-  
gall. p. 531.

mus sanctificati: & oleum super caput Aaronis effusum  
fuit, vt in omnia reliqua eius membra, ad fimbriam vs.  
que vestis, deflueret.

Cyril. lib.  
The. 3. c. 1.

## XLIX.

Quis autem essentiales Dei proprietates in nos de-  
riuatum iri dixerit, nisi insanus?

## L.

Causa etiam, cur Christus, quâ Deus est, creatitia  
dona accepisse, dici non possit: hęc à Cyrillo assignatur:  
quia, vt Deus, ijs non egebat. Ergo, si etiam, qua homo est,  
essentiales Dei proprietates, sibi realiter communicatas  
accepit: creatitia Spiritus sancti dona, nequaquam acce-  
pisse dicendus fuerit. Quorsum enim finita potentia  
ei, qui infinita realiter sibi communicata  
præditus est?

Cyril. ad  
Reg. li. 2.  
pag. 305.

XX 2



INDEX PRAE CIPVORVM  
DOCTRINAE CHRISTIANAE CA-  
PITVM HAC CONFESSI ONE.  
explicatorum.

I.	De scripturis sanctis, totius Christianae religionis fundamento.	pag. 1.
II.	De Deo, diuinisque personis & proprietatibus.	8
III.	De præscientia & prædestinatione Dei.	12
IV.	De omnipotentia & voluntate Dei.	15
V.	De mundi creatione, de Angelis, deq[ue] primo hominie statu.	17
VI.	De prouidentia, mundiq[ue] gubernatione.	21
VII.	De lapsu hominis, deq[ue] peccato originali, & eius fructibus.	25
VIII.	De libero hominis post lapsum arbitrio.	30
IX.	De promissione redemtionis & salutis per Christum.	34
X.	De Lege.	37
XI.	De Christo Redemptore.	43
XII.	De vera redemtionis, salutis, & vita, qua in uno Christo posse est, dispensatione: eoq[ue] de necessaria cum Christo unitione ac novititia.	59
XIII.	De Euangelio, deq[ue] legis per Euangeliū abrogatione.	72
XIV.	De sacramentis noui testamenti.	78
XV.	De Baptismo.	90
XVI.	De Cœna Domini.	95
XVII.	De fide, spe, & caritate.	107
XVIII.	De pœnitentia.	111
XIX.	De iustificatione.	115
XX.	De libero renati hominis arbitrio, viribusque ad bonum:	123
XXI.	De bonis operibus.	128
	De sacrificio missy et confessione hereticil	XXXI.

I N D E X.	349
<i>XXII. De inuocatione &amp; iuramento.</i>	134
<i>XXIII. De Ecclesia Christi in genere.</i>	137
<i>XXIV. De Ecclesia militante.</i>	143
<i>XXV. De Ecclesia militantis gubernatione, deg̃ ministerio</i>	
<i>Ecclesiastico.</i>	163
<i>coniugio:</i>	177
<i>stipendijs bonisq̃ Ecclesiasticis.</i>	180
<i>Tempis &amp; ceremonijs.</i>	181
<i>letunys.</i>	183
<i>ciborum delectu.</i>	184
<i>agrotis &amp; sepultura.</i>	184
<i>Synodis:</i>	186
<i>disciplina.</i>	186
<i>XXVI. De Magistratu</i>	192
<i>XXVII. De perpetua peccatorum remissione in Ecclesia Chri-</i>	
<i>sti.</i>	198
<i>XXVIII. De statu animarum post mortem, deg̃ resurrectione</i>	
<i>mortuorum.</i>	204
<i>XXIX. De illustri aduentu Domini Iesu, ad iudicandum viuos</i>	
<i>&amp; mortuos.</i>	209
<i>XXX. De vita aeterna.</i>	213

I N D I C U L V S P R A E C I P V O R V M  
locorum, qui in obseruationibus  
explicantur.

<i>De Cœlo beatorum.</i>	pag. 220
<i>De peccato originis, illud non esse substantiam.</i>	221
<i>De persona Christi, in caput XI. 222. usque ad pag.</i>	231
<i>Item in Appendice.</i>	274
<i>De reuivacia nostricūm Christo, in caput XII.</i>	231
<i>De voce sacramenti, in cap. XIV.</i>	234

- De Baptismo nonnulla, in cap. XV.* 238  
*Locus Actorum 19. de duodecim Ephesios, explicatur.* 238  
*De ijs qui indignè manducant panem Domini, in cap. XVI.* 251  
*Anfidelium infantes fidem habeant, nec ne, in cap. XVII.* 257  
*De iustificatione, deḡ illo loco: Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi adiustitiam, in cap. XIX.* 258  
*Item, iustificationem nostri, non in sola remissione peccatorum, sed etiam in imputatione obedientia Christi consistere.* 259  
*De varijs ministrorum in Ecclesia ordinibus, prater illos, qui expresse in sacris literis habentur: ut de Archiepiscopis & Patriarchis &c, in cap. XXV.* 268

INDICVLVS DISPUTATIONVM  
de precipuis aliquot fidei Christiane  
articulis.

1. *De uno vero Deo, aeterno Patre, Filio & Spiritu sancto.* 289  
*pag.*
- II. *De unius veri Dei natura, simplicitate, atque immensitate.* 290
- III. *De unius veri Dei aeterna omnipotentia.* 295
- IV. *Deprouidentia Dei.* 301
- V. *De aeterna electione ac praedestinatione, deḡ redēmitione per Christum facta.* 304
- VI. *De Christi à mortuis resurrectione, in cœlum ascensione, ad dextram Patris sessione, ex Pauli ad Eph. cap. 1.* 307
- VII. *De dispensatione salutis per Christum, ex 1. cap. ad Eph. pag.* 329
- VIII. *De ijs, qua de Domino nostro Iesu Christo, post unionem pradicantur: & quoniam prædicentur modo, ex 1. cap. eiusdem epistola ad Ephes.*

## Errata sic corrigito.

Pag 9. Aphoris 3. lin. 24. pro generali, lege, generari. pag. 17. Aph. 3 lin. 8.  
pro que, lege qua p. 24. Aph. 7 l. 24. pro scientia, l. scientia. p. 48. Aph. 7. l. 3. pro,  
dicitur. l. dicitur. p. ead. Aph. 8 in fine, pro diuina & natura humana. l.  
diuinam naturam & humanam &c. p. 87. Aph. 14. l. 20. post participes, adde, sicut.  
p. 89. Aph. 17. l. 14. dele illud QVOD. p. 103. Aph. 12. l. 15. pro finamus, l. finiu. p. 108.  
Aph. 2. l. 2. pro certe, l. certo p. 145. Aph. 2 l. 3. dele, cum bonis. p. 161. Aph. 23 l. 3. pro,  
habitant, lege habitabant. p. 170. Aph. 11. l. 17. pro, cap. 10 l. cap. 1 p. 222 in cap. 11.  
Aph. 6. in fine, promanus. l. minus. p. 226. Aph. 12. l. 20. pro, perentnt, l. pertincent.  
p. 234. l. 5 post, cum Christo, adde NON. p. ead. in fine, pro in cap. XXIV. l. XI V.  
p. 235. l. 9. pro, in cap. XXV. l. XV p. 268. l. 27. pro, cum in cleri ordine. l. cum in cle-  
ri ordinem &c p. 270. l. 25. pro, Arclatenſi, l. Arclatenſi p. 282. l. 6. pro sunt. l. sint.  
p. 283. l. 25. pro, illa, l. illa. p. 286. l. 12. pro, circumscribit, l. circumscribitur.

Excoſſo ad 1585

1159219

originos s2 mentis

237165 2015